H. P. N. 57

G. F. O

<366138949500 19
<36613894950019
Bayer. Staatsbibliothek

J Pull germ 100 Codex

CODEX EPISTOLARIS

RVDOLFI I.

ROM. REGIS,

EPISTOLAS CCXXX. ANECDOTAS CONTINENS.

X COD. MSTO MEMBRANAC. BIBLIOTHECAE PVBL.
REVIRENSIS ERVIT, — CORRECTIS INSVPER, ET
PPLEMENTO AVCTIS, A GERBERTO EDITIS, ALIIS
V. — AVCTARIO DVPLICI EPISTOLAR. ET CHARTA-
M, AD RES BOHEMIAE SVB PRIMISL. OTTOCARO
II. GESTAS, — ET AD ELECTIONES REGVM GERM.
EC. XIII. ET XIV. PERTINENTIVM, EX TABVLARIO
NCTIORI MOGVNT. ET COLON. INSTRVXIT, —
LVCI PVBLICAE, COMMODISQVE VTENTIVM
CONSIGNAVIT

FRANCISCVS IOSEPH. BODMANN

VR. DR. AVGVSTISS. TRIBVNAL. CIV. DISTRICT. MOGVNT.
EPART. MONS JOVIS DICTI, VICEPRAESES, PLVRIVM
SOCIET. LITTERAR. FRANCIAE ET GERMANIAE
SOCIVS ETC. ETC.

LIPSIAE

IN LIBRARIA WEIDMANNIA

CIƆIƆCCCVI.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

PRAEFATIO.

Anno 1805. ineunte menſe Majo *Treviris* cum eſſem, publicamque, quae ibi extat, Bibliothecam inviſerem, factum eſt ſingulari Viri Clar. D. Wyttenbachii, qui eidem perfecto eruditionis, adſiduitatisque merito praeeſt, humanitate et benevolentia, ut inter quamplures, qui eò ſuppreſſis Collegiatarum, monaſticarumque Eccleſiarum Conſortiis migraverant, MStos Codd. unum quendam, exterâ fronte, habituque ſuo parum quidem commendatum, interno verò ſui valore prorſus egregium, Membranaceum exeuntis Saec. XIII. Codicem, Epiſtolas Rvdolfi I. R. R. numero CCCCVIII. continentem inſpiciendi, propiusque examinandi copia mihi daretur. Comitem ille poſt ſe habet alium Codicem Membr. MStum Saec. XI. aut XII. Epiſtolas 195. *Ivonis* Epiſc. Carnot. complexum, quem A. 1769. cum alio Codice, penes S. Maximinum extante, Epi-

ſtolas 212. continente contulit Cl. Nellervs, Trevirorum quondam in Vniverſitate Anteceſſor, orbi litterato commendatiſſimus, prout is ipſe manûs ſuae teſtatus eſt ſubjuncto epiphonemate. (a)

§. 2.

Vterque Codex *exterâ* ſui facie notas habet ſeqq.

1) Ad pedis Rhenani modulum examinatus, dimenſiones habet: *altitudinis* octo pollicum, minus 2. lineis, — *latitudinis*, 4. pollicum, et 8. linearum.

2) Compactus et ligatus membranâ ſimplici, cui extrinſecus inſcriptum: *Bibliothecae S. Simeonis Trevir.* Dorſo autem, ſuprà: *Eple Yuonis epi Carnoten.* infrà verò: *Dictamina bona;* quemadmodum in fronte primae paginae notatum aeque: *Dictamina bona, non multum aliena a formis dictan-*

(a) Tenoris ſequ.: „ *Collatae ſunt hae Ivonis Epiſtolae* „ *cum MS. S. Maximini 1769. per me Profeſſorem* „ Neller: *inveni, quasdam hujus Collectionis* „ *deeſſe illi MSto, plures autem mox dicti Manu-* „ *ſcripti deeſſe iſti; illud quippe numerat epiſtolas* „ *212. praeſens verò compilatio tantum 195.*" — Quorſum verò Sanmaximinianus ille Codex devenerit? non liquet.

di. Primaria enim colligentium Regias Epiſtolas intentio fere ſemper fuit, ut nonniſi cancellariis et protonotariis formulas cancellariae ſuppeditarent, queis et dexterè ſemper, et conformiter ſtylo ſcribendi normam haberent; id quod integro Saec. XIII. et XIV. uſitatiſſimum fuiſſe, plures, qui extant, quorumque plures ipſemet teneo, hujus farraginis Codices Epiſtt. Reg. affatim docent.

3) Sepoſito, qui me amplius non moratur, Epiſtolarum Ivonis Codice, *Rudolſinus ille Codex Epiſt.* folia utrinque perſcripta habet XCVI. — *membrana* ei puriſſima, candida, affabre laborata. *Pagina* quaecunque, juſtis utrinque marginibus relictis, exhibet 40. lineas, circino ad latus exacte dimenſas, atramentoque ſubductas, queis *ſcriptura* admodum minuta, elegans, correcta, admodumque adbreviata inſidet, *litteris initialibus* rubricatis, quae tantum in tribus primis Epp. comparent, prorſus deficientibus, ut tamen pro normâ Miniatoris minutim admodum ad marginem illitae ſint. Epiſtolarum plures ſuas habent *inſcriptiones* litteris majuſculis expreſſas, quae tamen plerisque

desunt. ([a]) *Liquor scriptorius* integer ferè ex toto, maxumamque partem operis perfectè nigricans, exceptis paginis ferè ultimis, quae rubiginem induxerunt. *Scriptus* est, ceu intuenti liquet, ex integro *ab unâ ejusdem scriptoris manû*, eaque et fidelitate, et adsiduitate, ut, exceptis quibusdam sphalmatibus, (ad marginem subinde correctis,) â scriptore ultrà quod desiderari queat, haud excogitari possit. *Character* est exeuntis Saec. XIII. ineuntisve Saec. XIV. unde reverà propè σύγχρονος.

§. 3.

Facta ejus *collatio* cum Codice Epistolari Rudolfino, quem Rev^mi^ ac Cels^mi^ Principis Abbatis, Martini Gerbert evulgavit industria, ([b]) comprobavit:

1) Codicem Trevir. quem publicâ nunc luce donamus, ultra CCC. Epistolas *hactenus ineditas* continere.

(a) Litteris *superscriptae* sunt. Quae verò *ad latus* illitae sunt, manum Saec. XV. manifeste produnt. Ineptum hunc posteriorem Scholiasten ignorasse adeò verum Auctorem harum Epistolarum, inde palam fit, quod 4. 5. et 6tae Epistolae atramento praeposuerit litteram L. majusculam, Ludovicum procul dubio volens designare, cui nulla profecto litterarum correspondet.

(b) Typis San-Blasianis A. 1772. fol.

2) Econtra plures evulgaſſe Gerbertum, quae in Codice Trevir. deſiderantur.

3) Eas, quas Gerbertus publicavit, ad unam ferè omnes, *mendis quamplurimis* eſſe *depravatas*, quin et *mutilas* ſaepenumero; quod ne perperam dixiſſe videar, ad calcem, ſpeciminis loco, XV. Epiſtolas, à Gerberto editas, ex noſtro correctas, ſupplementisque auctas ſubjunxi, ut inde conſtet, quâ fide et adcuratione perſcripti fuerint Codd. ex quibus Emin. Card. Cennius, et Passioneus, poſtque hoſce purpuratos, ὁ πάνυ Gerbertus ſua deprompſerunt. *Speciminis* duntaxat *loco*, inquam, facta ſunt haec; repetito enim prelo integram Epiſtolarum Gerbertinarum farraginem correctam publicare auctamque, è re viſum non fuit, ne in molem opus excreſceret; nihilominus exemplar noſtrum Gerbertinum omnia ſtudioſiſſime correcta, ſuppletaque ſuſcepit, quo litteratorum deſideriis pareat, qui forte talia ſibi communicari percupiunt.

4) Continet Cod. Epiſt. Gerbertinus Epiſtolas duntaxat 211. Libris III. diſpoſitas; — *Trevirenſis* autem, ceu dixi,

408. — Ex hisce nihilominus 230. duntaxat ineditas (additis 15. aliis, â Gerberto editis, nunc ex Trevirenſi noſtro emendatis, auctisque,) nunc publico ſydere produxi, tum quod aliae, (parùm licet gnaviter,) â CENNIO et GERBERTO jam datae ſint, tum quod aliae, ferè plures, reverâ adhuc ineditae, tam exigui ponderis ſint, momentique, ut lucem haud mereantur, quippe vel ſimplices chartarum formulas, vel negotiorum nullius pretii enarrationem continentes, ratus, non numero, ſed pondere rem abſolvendam eſſe. —

§. 4.

Stylum harum Epiſtolarum Rudolf. *duplicem* obſervo. Is primae Epochae regiminis Rudolſini, *cothurnatus* admodum, contortus, tropis et puerilibus metaphoris, tamque longè exquiſitis dictionis anfractibus turgens et praegravidus, ut orientalem potius rhetoricen ſapiat, quam maſculam, planam, dignitatique Regiae Cancellariae adcommodam energiam. Ejus, nî fallor, auctor eſt GODFRIDVS ille Weſtphalus, RVDOLFI R. R. poſt ſuſceptum ſtatim ſolium, Proto-

notarius, Solienſis praepoſitus, poſteà Regis commendatione, A. 1283. factus Patavienſium Epiſcopus. ([a]) — Mutavit ſtylum felici ſydere, qui ei ſuccenturiatus eſt, ſola nominis initiali littera H. nobis cognitus, ut tamen et is ab his dictionum tricis prorſùs ſe abſolvere non potuerit. Conſtanter hujus ultimi ſtylus per epiſtolas procurrit ad finem usque regiminis Rudolfini, quem inde Domino ſuo ſupervixiſſe auguror. Terſam magis, et propiùs adcommodam, regiaeque gravitati ſupparem Cancellariae rhetoricen profitetur regimen Adolfi, Alberti I. R. R. eorumque, qui hos excipiunt. Diſpar hic *Epiſtolarum* ab eo *Chartarum* Rudolfi I. ſtylus eſt; unde chartas plerumque ab ipſis *Cancellariis* conceptas eſſe credibile eſt. Invaſiſſe autem hos cothurnos aulas ferè ejus aevi plerasque, docent et Primislai Ottocari II. R. Bohem. Wilhelmi R. R. Ricardi, (de quibus infrà,) *Curiae Apoſtolicae*, aliorumque litterae, quae pulcrum et excellens nil duxerunt, niſi

(a) Cf. Hund, Metrop. Salisb. T. I. p. 320. Mallinkrot, d. Archicancell. S. R. I. p. 105.

exotico hoc perorandi faſtu probè conditum et perfumatum.

§. 5.

Supervacui verò laboris opus eſſe arbitror, de *praeſtantia* harum, quas nunc ipſi producimus, aliique ante nos expoſuerunt, Rvdolfi I. Epiſtolarum pluribus ediſſerere. Quandoquidem enim has cum iis combinaveris, quas Gerberti, ([a]) Schvnckii, ([b]) nuperque demum Cl. V. D. Th. Dolliner ([c]) evulgavit induſtria, mirifice dilatari conſtat, et in propatulam nunc lucem prodire omnia, quae ad res Rvdolfi I. R. R. publice privatimque geſtas pertinent, in quibus exponendis gnaviter et ex profeſſo laudabilem alii operam dudum collocarunt. Vt enim de iis, quae 1) ad ipſius *Biographien*, ejusque familiae rationes ſpectant, taceam, multa prorſus et egregia ſunt, quae inde 2) ad *ſupplendam*, perſiciendamque ſimul exterarum terrarum, *Bohemiae* ſpeciatim, *Vnga-*

(a) c. l.

(b) Codex. Diplom. chartas Rvdolfi I. R. R. et Henrici Ep. Baſil. dein AEpi Mogunt. continens etc. Mog. 1788. 8. maj.

(c) Codex Epiſtolar. Primislai Ottocari II. Boh. Reg. etc. Vienn. 1803. 4. maj.

riae, Moraviae, e. i. p. *hiſtoriam* retuleris, nec minus 3) quae eo aevo *adminiſtrandi regni,* negotiorumque expediendorum *ratio et ſormula* fuerit, ſive res publicas et abſolute politicas, ſive cauſas juſtitiae, feudales, eccleſiaſticas ſpectes, — denique 4) quis *genius ſaeculi* in cauſis Europae agendis extiterit, ſinceriùs multo, limpidiusque hinc deſumitur et comprobatur, quam ex *chartis,* quae plerumque negotiorum *extrema* duntaxat, raró ea, quae interceſſerunt, deſcribere ſolent; cui 5) jungimus, quod motiva, cauſaeque ſecretae agendorum plerumque à chartis abſint, quae nuntiis et litteris commiſſa, per poſteriores genuinam rebus ipſis, modisque agendi lucem adſpergunt, eorumque juvant analyſin, et complementum.

§. 6.

Inde ratio deſumenda eſt, quare novum hunc Codicem *in duas partes* distribuendum duxerim, quarum *prior* ea continet, quae ad publicas Rudolfini imperii curas, ad exteros, ad familiam ſuam pertinent, — *poſterior* ea, quae magis et proprie ad exercitium regiminis publici, per diverſa jurium genera et

ſpecies, in cauſis internis, juſtitiae et defenſionis, militiae et feudorum, regalium et privatorum etc. ſpectant; ut inde prior *hiſtorico-politica*, poſterior autem *privata* magis dici queat; cujus *uſum* intelligent ii, quibus olim plenius *Rudolfinos Faſtos* perſcribendi, *Iusque medii aevi*, Rudolfini ſpeciatim, *publicum* luculentiùs exponendi mens eſt, quod dudum promiſit, fidem verò ſuam haud liberavit Goettingenſium decus, ill. St. Pütterus.

§. 7.

Notas et *obſervationes*, quas largâ manû jungere potuiſſem, addidi nullas, ratus, molem citra jus faſque augendam non eſſe. Quonam quodlibet ſpectet, me haud monente, intelligent rerum Rudolfinarum ex integro gnari. Nolui itaque relabi eò, in quo toties erravit b. m. Gerbertus, tribuens Epiſtolas perplures vel aliis plane perſonis, vel aliis temporibus, quam queis conveniebant, ceu multis argumentorum exemplis demonſtratu facile foret. Cum totum hoc genus litteraturae ad *problematica* referendum ſit, patet, inconſultis Annalibus Rudolfinis, iisque perfecte ſubactis, temere ea

de re nequidquam eſſe judicandum. Eae, quae res ferè *communes* et *cottidianas* continent, Epiſtolae Oedipum reverà deſiderant, qui ſtatuat, ad quem illae pertinere debeant; ſed in his multa ſunt, quae praeterhabita ratione *perſonarum*, jam *per ſe*, i. e. inſpecto, quod geritur, negotio, prodeſſe poſſunt; id quod facile ſufficere poteſt iis, qui *realiter* magis, quam *hiſtorice* cupiunt informari. —

§. 8.

Auctaria Diplomatum Codici ſuo Epiſtolari Rudolph. ſubjunxit Gerbertus. Sequutus hoc exemplum, cum centurias quasdam chartarum ejus ſuccenturiandi ſufficiens penus mihi fuiſſet, abſtinui conſultò, earumque loco junxi I) *fragmenta* duntaxat *chartarum*, *res ſpeciatim Bohemicas illuſtrantium*, quarum rationem, et quo pacto ad me devenerint, paucis exponam.

Vicariatum Regni Bohemiae per integrum, et ampliùs, annum gubernavit ineunte Saec. XIV. Petrvs AEp. Mog.— Reverſus, chartularia Bohemica ſecum aſportavit Moguntiam, quae cum plurimis aliis, res *Templariorum* ſpeciatim

concernentibus, morti proximus, custodiae PP. Carthusiensium, quorum domum in *valle S. Petri in Rhingavia* fundaverat, concredidit. Monachi inertes, usum earum rerum nullum facere gnari, turpiter chartularia isthaec dilacerando, tegmina ineptissimarum scribillationum suarum, v. c. sermonum de tempore, historiae Lombardicae, et id genus aliorum, conficiendo, pagellas forfice praecisas limo interjecto adaptarunt, purpurae lacinias pannicularis suis adtexendo. Suppressâ A. 1781. Carthusiâ Mogunt. (quorsum ea ex Valle S. Petri per Mathiam AEp. Mog. Petri successorem translata fuerat Saec. XIV.) cum praediis et reditibus, Bibliotheca ejus quoque cessit Vniversitati Mog. restauratae, ubi dolens illiberale hominum ineptissimorum ingenium, fragmenta haec, quae quidem reperiri adhuc poterant, artis adminiculo studiose vindicavi, collegi, suisque sarcinis, ut hae thuris fiant piperisque cuculli, expedivi, melioribus eorum, quibus proficere possent, usibus profutura. En igitur illa, prout comparere, mutila pluries, permisit forficis carthusiensis inclementia.

§. 9.

II) *Auctarium alterum* ſiſtunt chartae quaedam, res Imperii R. G. ſub auſpiciis Ricardi, Alberti I. Henrici VII. Lvdovici Bavari, aemulique ſui Friderici, Gventheri porrò, Caroli IV. et Wenceslai RR. illuſtrantes. Incidit in manus meas lege auctionis publicae Hagae Comitum Codex integer MStus Membran. Epiſtolas Wilhelmi R. R. et Ricardi 267. continens, Coenobii olim Egmondani proprietas, elegantiſſime ſcriptus, litteris aureis initialibus, et icone picturatâ magnificâ, presbyterum Wilhelmo librum genu flexo offerentem repraeſentante ſuperbiens; — extant et penes me Epiſtolae XIV. Friderici II. R. I. quas apud P. de Vineis fruſtra quaeſieris; — porrò et Lvdovici IV. s. Bavari chartarum et Epp. farrago prorſus inſignis, — denique et Rvperti R. R. acta ferè integra, prout à Cancellario ſuo excepta ſunt. Lecturientis verò ſaeculi hodierni genius in transvorſum actus, dapes hujus generis faſtidiens, priusquam cum ſemetipſo in gratiam redierit, nullam hactenus ſpem occaſionis, evulgandorum quantocyus eorum, quae memo-

ravimus, polliceri videtur. Suis igitur tenebris restent consepulta, donec sydere feliciori adspirante inde resuscitata, in dias luminis auras olim prodire queant.

§. 10.

Quod superest, certum esse persuasumque velim Lectorem benevolum, omnia *summâ fide*, et *religione criticâ* fuisse *descripta*, nil vel addendo, vel demendo, corrigendove, licet id persaepè convenisset. In utraque etiam parte seriem eandem, qua in Cod. Trev. sequuntur, Epistolarum strictim observavi, quoniam eam revera chronologicam tempori, quo quaelibet alteram est insequuta, esse existimo.

Faxint Superi, ut conatus nostri in historiae Augustae Rvdolfi I. qui *Pacificatoris* nomine illuxit, amplitudinem, indeque in Augustissimae Imperialis domûs Austriacae decus, — et in scientiarum vergant incrementum.

Dab. *Moguntiae* ex Musaeo, d. 20. Iulii cIↃIↃcccv.

EPISTOLARVM

RVDOLFI I.

ROM. REGIS

PARS PRIMA.

I.

Rudolfus R. R. Regi Angliae de ineundo secum tractatu consilia aperit, eoque nomine legatos mittit.

APPLAVSVS CVM CREDENTIA.

Regi Angliae, Domino Hyberniae, ac Duci Aquitaniae, Salutem, et integrae semper dilectionis augmentum. Audivit nuper nostra Serenitas, unde novum nobis accumulatum est gaudium, unde materia renovatae jocunditatis accrevit, quod Vos videlicet, in quo utique virtus nativis erecta potentiis, una cum generosi sanguinis claritudine, fortunatioris auspicii beatitudinem quasi quibusdam amplexibus individuis counivit, sublimationis nostrae fastigiis applausivo congratulantes affectu, ad ea Vos promptos impenditis, et benivolos exhibetis, quae titulos nostri honoris et profectus amplificent aptiores. Quam ob rem vice reciprocâ provocati, revera gratanter ad omnia, quae similiter vestris adjicere valeant incrementis, ad cuncta, quae vestrum demulceant animum, nos exponimus Vobis ultroneos, et offerimus nos conformes. Et ecce, quod talem ad Serenitatis vestrae praesentiam, super quodam speciali, nomine nostro vobiscum habendo tractatu, fiducialiter duximus destinandum, Celsitudinem Regiam deprecantes, quatenus verbis suis, quae ex parte nostra pronuntianda decreverit, fidem credulam adhibere dignemini, sicut nostris.

II.

Rudolfi litterae ad civitatem quandam transalpinam, de recipiendo benignè Nuntio Regio illuc ablegato.

Rvdolfvs etc. Vniverſis etc. Tenore praeſentium Vniverſitatis veſtrae notitiae declaramus, quod de circumſpectione ac fide N. fiduciae plenitudinem obtinentes, eundem ad transalpinas Imperii partes duximus deſtinandum, dans ſibi ſpeciale mandatum, et poteſtatem plenariam, ſtatuendi, ordinandi, et omnia procurandi de noſtro conſilio, quae honori Caeſareo, et utilitati Imperii viderit oportuna.

Hinc eſt, quod Vniverſitatis veſtrae prudentiam votivis affectibus exhortamur, quatenus ſuper his ei pro noſtra et Imperii reverentia favorabiliter aſpirantes, conſiliis et auxiliis gratioſis, de aliis etiam viae hujus neceſſariis ſibi tam libenter, quam liberaliter providere curetis, ut propter hoc apud Nos veſtra devotio merito debeat commendari.

III.

Exoratio ad Mag. Iſenb. in curia Rom. exiſtentem, ut Rudolfi negotia ibidem, ut hactenus, proſequatur.

Rvdolfvs etc. Magiſtro Isenb. — Nuntiorum noſtrorum pro diverſitate temporum de Romana curia redeuntium increbreſcens et fida relatio laudes fidei veſtrae puriſſimae, quam ad Nos et Imperium animo geritis indefeſſo, in conſpectu regio, jam profuſo praeconio ſic texuit et diffudit, quod veſtrae gratiae devotionis obſequia mente

sedula recensentes, ad ea ferventer allicimur, quae honoris vestri pariter, et vestrorum accessura noverimus incremento. Vestram igitur honestatem affectu plenario duximus exhortandam, quatenus de benivolentiae nostrae privilegio gratioso securi, vestri laudabilis propositi curas et operas circa nos et nostra negotia laudabilioris continuationis officio prosequi non cessetis. Porro religiosum virum etc.

IV.

Rudolfus orat Cardinalem N. Episc. Sabien. ut Pontificem exhortetur, ut se ad regium diadema evocet.

Venerabili in Christo Patri, Domino . . . divina providentia Sabiensi Episcopo, amico suo dilecto, Rudolfus etc. Salutem, et sincerae semper dilectionis augmentum. Licet ad cuncta, quae Majestati divinae complaceant, et contineant aequitatem, credamini gratiosis semper aspirare favoribus, et intendere studiis oportunis: quia tamen plerumque non obfuit, vigiles mentes in potioris vigilantiae studium excitari; de vestrae rectitudinis zelo, fiduciae plenitudinem obtinentes, Paternitatem vestram rogamus affectu quo possumus ampliori, quatenus diligenti consideratione pensantes, qualiter in sublimationis nostrae principiis operata sit gratia Deitatis, quantaque quies Ecclesiis, quanta etiam toti Reipublicae, et Catholicae fidei Christianae tranquillitas ex prosperitatis nostrae progressibus exspectetur, divinae dispositionis in nobis Cooperator officiosus adesse dignemini, et Sanctissimum patrem Dominum nostrum, Summum Pontificem, ut ad debitum nobis diadema nos evo-

cet, allectivis inductionibus efficaciter exhortari; ut proinde nos in vestris et vestrorum agendis experiamini semper ultroneos, et benivolos sentiatis.

V.

Engelbertus AEp. Colon. nuntiat Summo Pontifici Electionem Rudolfi Com. Habspurg. in Rom. regem.

Sanctissimo etc. E. Archiepiscopus Coloniens. Cum ex vacatione diutina Romani Imperii in diversis mundi partibus multa personarum pericula, corporum strages, et gravia rerum dispendia provenirent, Ego et alii mei conprincipes, jus Rom. Regni habentes, compatiendo miseriis afflictorum, die et loco congruo deputatis, cum omnes convenissemus in unum, qui voluimus et potuimus interesse, unanimi voluntate pariter et consensu omnium, qui affuimus, Nobilem virum Rvdolfvm Comitem de Havesbvrg, virum utique providum et discretum, consilio et serenitate pollentem, morum probitate conspicuum et fidelem, Regali magnificentiae, prout omnibus videbatur, aptum et habilem, in Regem elegimus Romanorum, ducentes eundem omnes pariter sic electum, secundum morem et consuetudinem Aquisgranum, sollempniter consecrandum; ibique per manus venerabilis patris Domini E. Colonien. Archiepiscopi, Sacri Imperii per Italiam Archicancellarii inunctum et consecratum, regalique diademate coronatum, in sede sublimavimus regiae Majestatis; sperantes firmiter, quod Vobis et vestris beneplacitis se per omnia debeat coaptare, Ecclesias, viduas, pupillos et orphanos protegere, idemque regnum multiplici-

ter demembratum in ſtatum juſtitiae reformare. Pro quo Sanctitati veſtrae piiſſimae duximus humillime ſupplicandum, quatenus ipſum pro bono ſtatu totius Reip. Chriſtianae, Imperii diademate dignemini inſignire.

VI.

Gratulatoria Civitatis N. de felicibus Rudolfi R. R. ſucceſſibus, cum commendatione negotii cujusdam.

Excellentiſſimo Domino Rvdolfo Rom. Regi, Cives N. Romani Imperii devoti ſpecialiter et fideles cum affectu debitae promptitudinis ſe et ſua. In omnem terram felicium ſucceſſuum veſtrorum deſiderati rumoris ſonus eggreditur, et de veridicis dignorum diſcurrit labiis nuntiorum. Propter quod ſincera ſubditorum veſtrorum praecordia alacri jocunditate tripudiant, et ad divinae laudis gloriam manus et linguas extollentes, clementiam omnipotentis implorant, ut ad actus Veſtros dexteram ſuae confortationis extendat. Nos verò ſpecialiter propter expertam veſtrae magnitudinis gratiam tanto laetiori animo famam veſtrae felicitatis recipimus, quanto Veſtrae Celſitudinis extollentiam prae coeteris affectamus, ſperantes, Veſtrae Majeſtatis benivolentiam noſtrae promptitudinis et devotionis opera, quibus Vobis placere credebamus, et credimus, prae oculis habituram. Sane, licet nuper, cum eſſetis apud Coloniam, ultra quam regalem decuit excellentiam, inter Dominum noſtrum, et Vos etc.

VII.

Vt foederis cum N. concludendi negotium usque ad Nuntiorum reditum differatur, admonitio.

Delectabiliter introivit in mentis noſtrae ſacrarium lecta et plenius intellecta tuarum, quas nobis miſiſti, dulciflua ſeries litterarum, quarum quidem irriguum eo veriſimilius ex nativae fidei puteo ſcaturire perpendimus, quo ferventius, quoque placidius nullis allicientibus te benivolentiae noſtrae dulcoribus, nullis inſtantiae noſtrae praevenientibus ſuadelis, ad noſtrae gloriae cumulum adaugendum ad oculum te videmus aſſurgere, dum ad unionis amicae concordiam cum illuſtri N. familiariter ineundam, per te tam providis, tam conſultis allectationibus invitamur. Super quo utique tam accepto, tam grato, quod nobis jam impendiſti gratanter, obſequio grates tibi multimodas exſolventes, ſinceritati tuae praeſentium ſerie declaramus, quod, licet promptus Culmini noſtro ſit animus, cum praedicto N. concordiae mutuae foedera contrahendi, ſuper hoc tamen usque ad reditum nuntiorum noſtrorum, quos miſimus ad N. finaliter tibi non poſſumus reſpondere; ſed mox reverſis eisdem, tibi pandemus ſuper hoc negotio noſtrae beneplacitum voluntatis, ſummopere cupientes, et invariabili animo diſponentes, quod ipſa concordia, ſi placeat in excelſis altiſſimo, tuae cooperationis et mediationis induſtriâ principaliter et praecipue procuretur.

VIII.

Rudolfus increpat NN. auxilium ſuum implorantes, qui antea Primisl. Ottocarum R. Boh. receptaverant.

Miramur, nec mirari ſufficimus, quibus praeſumptionis inſtinctibus animati, noſtrae protectionis auxilium imploretis, cum tamen vos tanquam nobis et Imperio directiſſime adverſantes, noſtrum et ejusdem Imperii publicum inimicum, patris et patriae nephandiſſimum traditorem, quem tota Auſtria tanquam inveteratum in perfidiae malitia patenter evomuit, et à ſuo diſtare gremio longe fecit, in veſtra receptacula collegeritis manifeſte, nec nobis in hoc, nec Imperio deferentes. Propter quod veſtra petitio, ſupplicationis excedens ſemitam, non poſtulat, nec praeſumit, cum non meritum, ſed potius exaſperatio praevenerit poſtulantem. Certe ſi talem à veſtro longe ſepoſitum excluderetis et ejiceretis conſortio, Majeſtatem regiam magis vobis placatam, magisque propitiam in veſtris oportunitatibus ſentiretis.

IX.

Moratoriae de ineundo inter Rudolfum R. R. et N. foederis pacto litterae ulteriores.

Iuxta quod aliàs tibi per litteras noſtras inſinuaſſe meminimus, ſic iterato tuae notitiae declaramus, quod nos pro concipiendo inter nos et te finali ſolidioris concordiae complemento Venerabilem B. Herbipoleñ. Epiſcopum, et illuſtrem H. Landgravium Haſſiae, Principes, ad noſtram jam dudum praeſentiam finaliter duxi-

mus evocandos, qui, ſive veniant, ſive non, de quo tibi ad praeſens nihil certi deſcribere poſſumus, cum illuſtri Comite palatino Reni, et Burgravio N. id ſtudebimus ordinare, ut pro conſtruendo indiſſolubilis unionis inter nos et te vinculo completivo, ad locum et terminum ſe transferant competentem, ubi tui arbitrio res cum eisdem apte conveniant, et ſuper praemiſſis tractandis, utiliter et feliciter conſummandis, debitae diligentiae ſtudium applicent et impendant.

X.

Litterae ad Civitatem quandam Italiae, quà Rudolfus eam proximè ſe viſitaturum, laboraturumque pro redemtione civium ejusdem, pollicetur.

Verae fidei veſtrae puritas, conſtantis devotionis integritas, ac inquaſſabilis perſeverantia utriusque, quibus ad noſtram et Imperii exaltationem propoſitis radicatis veſtra Vniverſitas fibulatur, utpote quae nec aquà, nec igne, nec gladio, aut cujuscumque perſecutionis anguſtiis hactenus immutari potuit aut avelli, quin in noſtra, et Imperii devotione debita ſubſiſteret et fideli, in noſtrae contemplationis oculis collocata, multae vos recommendationis et gratitudinis proemiis apud noſtram excellentiam merito dignos facit. Itaque vobis de laetis noſtrae magnificentiae rumoribus avidis ſaturari praeſentibus innoteſcat, quod univerſa noſtra et Imperii negotia in partibus Alemaniae voto diriguntur optato, intendentes, in proximo vos, per ſollempnes nuntios noſtros de adventu noſtro ad Italicas nationes, ac alias, de intentionis noſtrae

proposito plenius informatos, in gaudio visitare; qui nihilominus ad curiam Rom. procedentes, apud summum Pontificem, et illustrem Regem Siciliae pro liberatione concivium vestrorum, si qualitas loci et temporis applauserit oportuni, cum summa diligentia laborabunt. Demum scire nos vos volumus, quod nos dilecto fideli nostro N. pro conservatione jurium Vestrorum litteras nostras dirigimus efficaces, volentes in his, et in aliis, quae vestris profectibus obsecundant, vobis et vestris grati semper favoris auxilia impertiri.

XI.

Responsoriae ad gratulationem Regis N. juncta oblatione servitiorum.

GRATES DE CONGRATVLATIONE.

Nuntium vestrae celsitudinis nuper ad Serenitatis nostrae praesentiam cum credentiae litteris accedentem hilariter vidimus, et, qua condecebat, affectione suscepimus, legationis suae verba venusti sermonis eloquio provide proponentem; prolata siquidem propositionis hujus series continebat, quod nostrae Sublimationis auspiciis pectore laetabundo congratulationis exennia praesentantes, ad ea, quae nobis honoris et commodi incremento cessura noveritis, vobis habilitatis ultroneos et officiose benignos offertis, acceptabili quadam inter caetera nobis petitione porrecta, quod inclytae Dominae thori vestri consorti, et liberis vestris, in juribus suis adesse favorabiliter dignaremur. Nos itaque praenotatis propositionibus, et quibusdam aliis multum perfecte collectis, super congratulatione tam grata, tam placida, super oblatione profecto tam ama-

bili, tam accepta, quam valdè gratanter accepimus, ſublimitati veſtrae ad grates uberrimas inclinantes, in omnibus veſtris et veſtrorum agendis, et praecipue ſuper clarorum Conſortis et liberorum veſtrorum non ſolum juribus aſſequendis, ſed ampliandis ubilibet vice reciproca vobis nos ſpondemus et promptos, et faciles, nec non promotores et adjutores in oportunitate benivolos exhibebimus. Siqua fuerint igitur apud nos, quae veſtris grata ſint uſibus, vel affectibus blandiantur, à nobis ea, ſi placet, cum obtinendi fiducia requiratis.

XII.

Rudolfi etc. Commonitoriae ad Borſonem, ut firmus contra Ottocarum II. R. Boh. fidelisque perſiſtat.

Rvdolfvs etc. Borsoni. Confortare, et eſto robuſtus in fide, in devotione ſtabilis, in ſpe firmus, fidelis noſter kariſſime! nam per ſceptrum juramus regium, et in ſumma veritate, quae eſt Chriſtus, tibi dicimus, quod nunquam te Majeſtas regia deſeret, ſed tibi tanquam carnali noſtro filio favorabiliter aſpirabit. Quanquam igitur ad praeſens aliqua tranſitoria breviter patiaris diſcrimina, patienter quaeque ſuſtine; ſubito enim veniet, qui te ſalvabit ab impio, et manum ipſius ſenties ſine dubio magnifice adjutricem. Et ad noſtrae promiſſionis certitudinem pleniorem, volumus praeciſe, quod N. ad noſtram praeſentiam deſtinare non differas, per quem tibi aliqua demandabimus oretenus referenda, quae ſcripturae officium non admittit, et quae tibi litteratorie non poſſumus demanda-

re. Non restat ergò aliud, quam quod dictum est, futurum adjutorium cum patientia praestolari.

XIII.

Salisburgensis AEpi, ad Rudolfum.

N. Devotionis et fidei certitudinem cum salute. Onerosum dominium, immo gravis oppressio magnifici principis Domini Regis Bohemiae, nec blandimentis seducere, nec tormentis subtrahere nos valebit à Romani Imperii devotione debita et fideli. Constantes erimus, et immobiles persistemus, donec auxilium super nos Regis aeterni, per Vestrum ministerium videamus. Scripsit nobis regalis gratia, ut eidem rescribere deberemus, quo numero militum, quo suffragio armatorum posset nobis succurri hoc tempore hyemali. Sciatis Domine Karissime, quod pro castrorum nostrorum custodia sufficiunt, ut speramus, homines, quos habemus ad praesens; nam dictus Rex nec obsidione nec exercitu publico nos invasit, sed solum victualia nostra ferè omnia occupavit. Ante omnia unum vobis consulimus, ut Dominos Duces Bawariae reducatis ad concordiae unionem, et Ducem H. cum quo multa de ista materià contulimus, à praedicti Regis obsequiis subducatis. Ista sola concordia, sicut firmiter credimus, totam expediet eam, quae inter Vos et Regem praedictum vertitur, quaestionem. Sit igitur praedicta concordia vobis cordi. Si contigerit, hostiliter nos invadi, speramus in Deo, quod tanto tempore salvis nostris munitionibus resistemus, donec vestro nobis suffragio succurratur. Consilium nostrum est, ut devotos vestros in Austria et Styria consolatoriis vestris affatibus visitetis, et quanto po-

testis celerius, manum mittatis ad fortia, ut in fortitudine brachii hostes Imperii publicos conteratis; timendum enim est, quod homines ad vos conversi noviter ex mora faciendi eis succursus, iterum subvertantur ab homine, cujus insidias plenas laqueis illi nobiscum plenius cognoverunt, quos sagacitas venatoris, dulci fistula et figmento fallaci multotiens irretivit. Ministeriales Ecclesiae Babenbergen̄. mittunt Domino Episcopo Babenbergen̄. litteras et nuntium, requirentes ab eo, si Regi Bohemiae jurare debeant vel obedire; hoc intercipite, aliàs sciatis pro firmo, quod, quicquid concepimus in partibus Karinthiae et Styriae, penitus dissolvetur. Facite, ut ipse patentibus suis litteris, nobis, et aliis devotis Imperio ad consilium et auxilium mutuum se astringat, et nos sibi aequâ vicissitudine volumus obligari.

XIV.

Salisburgen̄. AEpi ad Rudolfum.

— Devotionis fidei et obsequii totum posse. Exultat spiritus noster recreatus in gaudio, ditissimo Deo salutari omnium in excelsis laudum libamina offerendo, pro eo, quod Sanctissimi patris nostri, Domini N. Summi pontificis cor et animum tam sancta religione, tamque celebri illustravit, quod sic ardenter, sicque directe desiderat, Vniversalem matrem Ecclesiam per imponendum capiti vestro Imperiale diadema pacis et gloriae jubare coronare. Sublimitati vestrae devotionis nostrae vota artius astringentes, pro eo, quod sola Clementiae vestrae immensitas pollicetur in missis nobis litteris, nos venturis novis â

ſede apoſtolica laetificare, quae, ut audire mereamur ſubito, deprecamur.

Coeterum magnificentiae veſtrae exponere cogimur lacrimoſe vel queruloſe, quod Rex Bohemiae victis aliis quaſi omnibus ſibi adverſantibus, ſolum nobis et Eccleſiae noſtrae exterminium in proximo comminatur; ſuper quibus Serenitatis veſtrae gratiam et juvamen noſtris anxietatibus et tribulationibus petimus impertiri. Timemus enim, quod terribili invaſione quantocius Eccleſiam noſtram obruet, ſi non Dei praeſidium, et defenſionis veſtrae clipeum habuerimus ex adverſo.

XV.

Salisburgens. AEps ad Rudolfum R. R.

Tribulatio et anguſtia intumeſcunt adverſus illorum fidelem promptitudinem, qui ſub certae ſpei confidentia ſe Veſtrae Celſitudini in partibus Styriae et Auſtriae ſubmiſerunt. Ploratus et ululatus multus auditur â matribus, lacerantibus viſcera ſua pro filiis datis obſidibus, quibus corporis cruciatus infligitur, et aerumnae intollerabiles irrogantur. Si propoſiti veſtri eſt, Regem Bohemiae invadere, procedatis, ſi placet, hoc modo: primo infeſtetis eum circa partes Bohemiae, ut ſic ab Auſtria diſcedere compellatur. Deinde per Comites Goritiae circa partes Styriae infeſtetur; tunc demum locus eſt, ut milites veſtri in Auſtriam tranſeant, et ſic ibunt ſine periculo; aliàs eis ſolis procedere non eſt cautum. Ad partes Auſtriae venit Rex praedictus cum multitudine armatorum, volens eos ſubvertere, qui ad refugii veſtri gratiam diverterunt, ubi etiam noviter, ut audivimus, ſunt duo

castra vestrorum fidelium expugnata, homines verò ad castra alia Majestati vestrae subdita confugientes, per Dei gratiam evaserunt. Ad partes Styriae missus est novus Capitaneus quidam potens Bohemiae, ad hoc specialiter, sicut didicimus, ut de terra viventium nos evellat. Domine Karissime! illam vobis scribimus, quam scimus et credimus, veritatem. Oportet vos manum ad fortia mittere, et sententias vestras non tam jure, quam facto juvare, nec in mora morari, quae substantias nostras diripit, et animas nostras tollit. Si tempora datae spei frustra transeunt, qui de vobis speraverunt hactenus, deinceps, proh dolor, desperabunt. Hoc ideo scribimus, ut voluntarium, quem habetis, nos liberandi animum moveamus, ut moras abjiciat, et nobis succurrere, qui in torrente tortoris missi, sicut aqua decurrimus, non moretur. Credimus pro certo, dummodo per modum aliquem invaderetis regem praedictum, nec permitteretis eum adeo otiari, totum suum propositum, et ejus machinatio scinderetur.

XVI.

Salisburgeñ. AEpūs, Rudolfo R. R.

Cum devotione fideli, constantiam debiti famulatûs. Dissipatam in igne et gladio Salisburgeñ. Ecclesiam, princeps magnificus Rex Bohemiae persequi non cessabit, donec eam Romano Imperio faciat indevotam, suaeque subjiciat servituti, nisi vestra Clementia, pro cujus reverentia conculcamur, de remedio cogitet oportuno. Ecce post injurias atroces, post dampna gravissima, inviti compellimur, et nolentes trahimur, ut ad cumulum nostrae verecundiae post offensas,

innumerabiles, praedicti Regis praesentiam personaliter accedamus; et licet subditorum nostrorum importunitas, statûsque nostri dura conditio nos compellant illuc ire, quo nolumus, nulla tamen casus asperitas in hoc constantiam fidei nostrae vincet, ut devotionem debitam Vobis et Rom. Imperio deseramus; de quo regia Celsitudo non dubitet, sed regali consilio tractus cogitet, per quem modum nobis sic subito succurratis, ne fidêi nostrae constantia, deficiente nobis auxilio suffocetur. In his autem omnibus latorem praesentium plenius informatum transmisimus, et transmissum committimus regiae Majestati.

XVII.

Rudolfus etc. mandat N. ut occupet interim Primisl. Ottocari II. Reg. Boh. castra, quo sibi facilior aditus ad ejus terras pateat.

Quam versutae calliditatis insidiis, quam calumpniosae intentationis insultibus temerarius hostis Imperii Rex Bohemiae in exheredationem ejusdem Imperii machinetur, satis, ut credimus, tibi in vicino est cognitum, quod jam transiit ad remotos. Sane, cum ad recuperandum possessiones praeclaras Imperii per eundem hactenus occupatas, Imperialis potentiae signa movere in proximo, duce altissimo exercituum Domino disponamus, sinceritatem tuam, de qua non modicam obtinemus fiduciam, ampliori quâ possumus precum instantia duximus exhortandam, quatenus ad occupationem castrorum praedicti Regis, quae tuae sunt viciniora potentiae, omnes

animi tui curas et ſtudia oportuna convertere non omittas, ut ad invaſionem ipſius per eadem loca liberior nobis tranſitus pateat, et ingreſſus habilior in perpetuum ſuae deſolationis exterminium nobis et noſtris valeat praeparari; per hoc enim procul dubio tu et tui condignis à noſtra munificentia praemiis praeveniri poteritis, et praecelſis honoribus exaltari.

XVIII.

Laetatur Epiſcopus de invitatione redeundi ad gregem ſuum, eique obtemperaturum ſe pollicetur.

Rem jocundam, noſtrisque votivis deſideriis hactenus exſpectatam nuper laetantes audivimus, quod videlicet nunc ad domum paternam, à cujus limine Vos tempeſtuoſi temporis calumpnioſa procella ſeduxerat, de regione diſſimilitudinis redeuntes, et per legitimos veritatis et juſtitiae tramites incedentes, ad relevationem Eccleſiae N. tranquillitatem concuſſae provinciae, ac ad generalis ſciſſurae vitanda diſcrimina, curas veſtras et ſtudia cum effectu convertitis, nos paſtorem veſtrum, veſtraeque ſalutis aſſiduum zelatorem ad ſedis creditae dirigendum ovile familiariter invitando. Nonne igitur non incaſſum de veſtrae fidei promptuario tantae promptitudo devotionis exiliit? nonne non fruſtra complacuit nobis in filiis benedictionis eximiae proemia percepturis? porro de veſtra converſione non aliter glorianies, quam pater de filio redivivo, quem perditum fleverat, vel putabat extinctum, jam vobis ſuper colla jocundi procumbimus et accurrimus ad amplexus; arripuimus enim iter,

ad vos cum gaudio redeundi, alternae ſuffragationis alterutrum ſuſcepturi ſolatia, pariter et daturi.

XIX.

Monitoria Pontificis ad Alfonſum regem Caſtellae, ut ceſſet á molimine, adſpirandi ad Imperium Rom:

PAPA REGI CASTELLAE.

Regi Regni Caſtellae ac Legionis illuſtri. O quam bonus et ſuavis eſt noſter in te fili kariſſime ſpiritus, ſi prudenter circumſpectio regalis attendat, dum Celſitudinem regiam, quantum in nobis eſt, circumveniri non patimur, te in periculoſa prolabi non ſinimus, ſed more patris alloquimur, lapſus hujusmodi paternis monitionibus cum quanta poſſumus diligentia praevenimus. Dudum ſiquidem, ne te in diſcriminoſos anfractus ingereres, ſed ipſos potius, quatinus in illos incidiſſe videbaris, evaderes, tuis ad tuam Excellentiam remiſſis nuntiis, et noſtris litteris, ac nuntio deſtinatis, ſtatum negotii, quod de Imperiali regimine imminebat, non ſub involucro verborum involvere, nec ſub aenigmatum velamine velare curavimus, ſed revelata veritate deteximus, et detegentes expreſſimus, quod ad Caeſarei Culminis faſtigium obtinendum tibi juris cenſura non aderat, ſed juſtitiae rigor, et facti qualitas obſiſtebant, maximeque, cum conſuetudo apud Germanos incommutabilis, ad decus et dyadema Imperii, quod tuo nomine petebatur, pervenire non permittat, quem prius ſollempniter corona regni Alamaniae non decorat, alio apud Aquisgranum de conſenſu omnium

principum, vocem in electione Imperatoris habentium, unico duntaxat excepto, cum sollempnitate debitâ juxta praedictam consuetudinem coronato, et regnum Alamaniae pacifice possidente, ad id tibi via juris recisa finaliter, et facti janua praecisa totaliter videbatur. Et licet dicti negotii expeditionem imminere, orbis, et praecipue ipsius Imperii, ac terrae sanctae necessitates exposcerent, ad eam totius Concilii, quasi communis clamor impelleret, et vulgaris assertio, nobis et Ecclesiae romanae non parcens, immo contra nos et ipsam non solum murmurans, sed exclamans, illud nimis periculose differri, tuorumque nuntiorum coram nobis ac fratribus nostris iterata frequenter instantia constanter affirmans, in hujusmodi negotio solitum in aliis judiciorum ordinem non servandum, sed partibus etiam non vocatis, alterum in discordia electorum, cui concorditer eligentium numerus major assisteret, delectum, non quod prius vel posterius sit electus, per eandem sedem ad favorem apostolicum omnia sollempnia ejusdem Imperii admittendum, nec non et manifesta justitia possessoris urgerent: nos tamen illam tuae Serenitatis obtentu, quanquam nullam spem, nostrum in praemissis differendi processum, praedictis nuntiis dedissemus, non sine multorum ammiratione distulimus, ut omnibus in tuam deductis notitiam, ab ejusdem negotii prosecutione decentius pro communi utilitate, velut de Clementia regali desisteres, quam excludi per diffinitivi rigorem calculi exspectares; et nichilominus ut ejusdem Imperii provisio cum tua magis pace procederet, ea tibi obtulimus, quae non tantum tuae saluti evidentius congruebant, sed ipsius Imperii consideratis oneribus, in quorum consideratione per regnorum tuorum distantiam, alias-

que circumſtantias varias tuae quantaecunque potentiae grave procul dubio pondus adjicitur, eidem Imperio etiam de jure debito et oblato concorditer, forent non immerito plurium recte ſapientium judicio praeferenda; et poſt moras non modicas, cum pericula, quae graviora prioribus expeditionis ipſius moroſa dilatio minabatur, ulteriorem in praemiſſis tarditatem arguerent, illamque accuſaret conſcientia, et evidentia juſtitiae condempnaret: nos tam periculis praedictis occurrere, quam piis inſtantibus providere negotiis intendentes, cum fratribus noſtris deliberatione praehabita, exigente juſtitia, et cogente conſcientia, kariſſimo in Chriſto filio noſtro, Rvdolfo Romanor. Regi illuſtri, de ipſorum fratrum conſilio titulum regiae denominationis aſcripſimus, et eidem ad unctionem, conſecrationem, et coronationem de noſtris recipiendas manibus termino in proximo nos aſſignaturos praediximus, et decrevimus aſſignare. His nichilominus praedictis, et aliis, ejusdem regni Alamaniae principibus, Magnatibus, et Vniverſitatibus per diverſas noſtras litteras nuntiatis, praeſertim cum et miſſae interim tuae Celſitudinis, et praemiſſi noſtri nuntii litterae te praefatis noſtris monitis conſenſurum annuerent, idemque nuntius ad noſtram praeſentiam rediens affirmavit. Penſa itaque, Princeps inclyte! ſincerum procedentis affectum, de tuorum diſcriminum propulſatione ſollicitum, intentum pro tuis oneribus relevandis, et pro ampliandis commodis curioſum; penſa proceſſus juſtitiam, quam ipſius Imperii leges et conſuetudo communiunt, et communium neceſſitatum inſtantia exigebat, in qua recti ſtatera judicii nullus inclinavit favor aut odium, nec aeterni judicis odioſa conſpectui temporalis in judicio conſideratio prae-

mii, rationis rectitudinem obliquavit, sed ad eam solius Dei beneplacitum, et status publici votiva tranquillitas, judicantis votum et animum introduxerunt. Ideoque serenitatem regiam monemus, rogamus, et hortamur in Domino Iesu Christo, per salutiferae crucis suae misterium, et sui pretiosi aspersionem sanguinis obtestantes, quatenus praemissa tranquillâ mente discutiens, et te a rege regum datum regem in gentibus recognoscens, ut te ipsum, ac tuos non peccatorum nexibus implices, sed regas et dirigas ad salutem, quodque, nisi tui votum animi rexeris, non recte tibi regiminis nomen et titulum vendicabis, vanam hujus mundi gloriam instar puncti, cum tuo tuorumque periculo praedictum amplius in commotionis spiritu prosequendo negotium, cujus tamen fructum aliquem nequis procul dubio assequi, non sequaris, sed animarum exitia, strages corporum, rerumque dispendia, quae prosecutionem hujusmodi verisimiliter subsequuntur, quorum tu auctor praecipuus censereris, et reddereris debitor, rationem pro ipsis in die stricti examinis redditurus, in librâ exactae discussionis appendens, momentaneae delectationis ambiguum, certitudini aeternae postponere salutis, et sub potenti creatoris tui manu, ejus Vicario vires tui potentatus humilians, ac justitiae, quae magnum et parvum similiter judicat, magnificentiae tuae colla submittens, humili animo ab eadem prosecutione desistas, omnimodis et multiplicatis ab olim salutiferis nostris persuasionibus humiliter acquiescas; ad quas menti tuae vivae vocis ministerio efficatius imprimendas, venerabilem fratrem N. Valentin. Episcopum, virum religione ac litteratura conspicuum, et suorum meritorum consideratione nobis et fratribus nostris acceptum, Excellentiae

regiae ſedulum zelatorem, ad tuam praeſentiam deſtinamus, cujus te rogamus inductionibus in praemiſſis intendere, ac monita efficaciter exaudire.

XX.

Submiſſio civium N. ad Imperium et Servitium Rudolfi R. R.

CIVES REGI.

Benedictio, claritas, ſapientia, et gratiarum actio, honor, virtus, et fortitudo ſedenti in throno, viventi in ſaecula ſaeculorum, qui vergente mundi veſpere in diebus noſtris, romani Monarchiam Imperii, jam veluti in pedibus fictilibus titubantem aureo capite decoravit, Rege honore et gloria coronato, quem rex regum, dives in omnes, qui eum unxit prae omnibus ſuis conſortibus argentei pectoris, prudentia Salomonis, atque divitiis, ferro victorioſo militiae, gladio ac aere omnium virtutum, praeconio in omnem terram et in fines orbis terrae, in ſibi praedeſtinato Imperio ſtabilem faciat, et per ſaecula glorioſum.

Huic Imperiali veſtrae excellentiſſimae Majeſtati, noſter ſingularis, et totius univerſalis orbis Domine! cum fiducia ad thronum gratiae accedentes, civitatem, omnem ſubſtantiam, et preces noſtras confidenter offerimus, certi, quod gratiam inveniamus in auxilio oportuno, qui dudum ab alienis poſſeſſi Dominis, cui vagum jus eſt, in miſera fuimus ſervitute. Firmetur quapropter clementiâ thronus regis, et dum ab alienis ad proprium, de multis ad Dominum unum convertimur, cum modo noſtra temporalis ſalus

in manu vestra sit, Domine! oculi pietatis vestrae nos respiciant, ut regi nostro laetissime serviamus. Sane, quod hanc professionem debitae servitutis atque fidelitatis, á Nuntiis Majestatis exquisiti non fecimus, non aliud fuit dilationis occasio, nisi quod affectavimus, nos personaliter conspectui vestrae Magnificentiae praesentare per latores praesentium, quos propter suam honestatem ex omnibus nobis elegimus, nostrae legationis ministerium in vestrâ Imperiali curiâ prosequendum. Ad haec quam plurimum indigemus, ut pro nobis reciproca fide solliciti, dum in nobis Iurisdictionem Imperialem vendicatis, commissionem et pactum illud, quo Rex N. romani tunc moderator Imperii nos venerabili Domino N. subjecit, sic concorditer cum ipso disponere dignemini, ut ex hoc praedictus princeps nullam contra nos habeat actionem, quinimo pro vestri Culminis excellentia adjutor noster sit in necessitatibus oportunis. etc.

XXI.

Rudolfus etc. admittit excusationem innocentiae NN. in causa Ottocari II. R. Boh.

Litteras vestras nobis postremò transmissas gratanter accepimus, anteriorum utpote litterarum, quas prius á vobis recepisse dinoscimur, satis incivilem et satis inglorium veritatis indicio detegentes amictum. Sane, ex litterarum ipsarum serie lucido argumento comperimus, quod vos conscientiae foliis revolutis, ad illius fermenti prioris purgamenta recurritis, innocentiam vestram in medium producentes, quae utique cum ex sincerissimi pectoris fonte videatur probabili

conjectura profluere, excusationem vestram cujuslibet conceptionis abrasa rubigine liberaliter et benigne decrevimus admittendam, insignem et inobliquabilem vestri cordis et animi puritatem condigno laudum praeconio commendantes; viderint tamen illi, qui vobis insciis litterarum hujusmodi composuere libellum, quid ex hoc honoris et gloriae fuerint consecuti, vel consequi valeant in futurum. Porro super eo, quod inter coetera vestrae disseruit epistolae series, inter nos et Regem Bohemiae vos per modum mediatoris et tractatoris solliciti, ad concordiae bonum vestras velle libenter curas et operas applicare, sic vestrae prudentiae respondemus etc.

XXII.

Papa Rudolfum nominat R. Regem, eique nuntiat, ut se ad accipiendum Romae diadema regium praeparet.

Solent ardua, praecipue propensis digesta consiliis, sentire potius celeritatis ex directione compendium, quam pati dispendium tarditatis; sic longa belli praeparatio celerem consuevit afferre victoriam, sic iter festinatur instanter, dum sollicite praeparatur. Haec nos consideratio in Imperialis negotii prosecutione hucusque detinuit, haec in tui consummatione fastigii multâ uti maturitate suasit, haec varias vias suggessit exquirere, diversaque remedia cogitare, ut Deo auspice tanto illa, quae instant, deducamus securius, quanto accuratius praeparamus. Licet itaque non sine causâ distulerimus hactenus, Regiam tibi denominationem ascribimus, cum fratribus tamen nostris nuper deliberatione praehabita te Regem Romanorum de ipsorum consilio

nominamus. Caufas autem falubris dilationis, imo potius fagacis accelerationis huiusmodi ad totius orbis, et ad ipfius maxime profuturae pacem Imperii, ut fperamus, dilecti filii H. Tridentinus Electus, et Frater H. tuae Celfitudinis nuntii, non folum ad veritatis expreffionem, fed ad exhortationis follicitudinem aperient, ut in eis doctrinae fpeculum exemplaris infpiciens, et falutaris confuetudinis informationem recipiens, prudenter fatagas, in cunctis tuis proceffibus vitare difcordias, vias tuas facere pro poffe pacificas, et femitas, quas princeps pacis et Dominus dominantium docuit, quantum ipfe tibi concefferit, pro viribus ambulare. Caeterum cum inchoata feliciter ad eiusdem culmen Imperii tuae promotionis aufpicia non profecutionis procraftinatione differri, fed feftina deinceps confummatione compleri utilitas manifefta fuadeat: Serenitatem tuam hortamur, ac fincero tibi affectu et confilio fuademus, quatenus fic te praepares, fic difponas, ut, cum te ad unctionem, confecrationem, et Imperialis dyadematis coronationem de noftris recipiendas manibus duxerimus evocandum, ad quod terminum in proximo, prout circumftantiae penfandae permiferint, intendimus affignare, non inprovifus, fed ficuti tanti negotii follempnia exigunt, apparatus appareas, et ad praemiffa non morofus, fed promptus et feftinus occurras. Expedit autem, ut aliquem vel aliquos, qui fuper ejusdem affignatione termini, quod tuae commoditati congruat, et alias fuper hoc plene tuam per omnia voluntatem nobis infinuare valeant, cito ad praefentiam noftram mittas.

XXIII.

Pontificis ad AEpũm quendam Electorem, in eâdem materia.

Kariſſimo in Chriſto filio, Rvdolfo Regi Romanorum illuſtri denominationem regiam cum fratribus noſtris deliberatione praehabita duximus aſcribendam, et eum Regem Romanorum de ipſorum conſilio nominavimus. Cum autem conſummationem promotionis ejus ad Imperiale faſtigium non procraſtinari, ſed accelerari potius, utilitas manifeſta ſuadeat, regem eundem hortamur, paterno ſibi affectu, et ſano conſilio ſuadentes, ut ſe ſic praeparet, ſic diſponat, quod, cum eum ad unctionem, conſecrationem, et Imperialis dyadematis coronationem de noſtris recipiendas manibus duxerimus evocandum, ad quod terminum in proximo, prout circumſtantiae penſandae permiſerint, intendimus aſſignare, non inprovilus, ſed ut tanti negotii ſollempnia exigunt, apparatus appareat, et ad praemiſſa non moroſus, ſed promptus et feſtinus occurrat, et nichilominus aliquem vel aliquos, qui ſuper ejusdem aſſignatione termini, quid ſuae commoditati congruat, et aliàs plene ipſius ſuper hoc voluntatem nobis inſinuare valeant, citò ad praeſentiam noſtram mittat. Itaque fraternitatem tuam monemus, rogamus, et hortamur, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatinus, cum ad te tanquam eximium principem et honorabile membrum Imperii pertinere noſcatur, quae decus Imperiale reſpiciunt, totis conatibus promovere in praemiſſis memorato regi conſilio et auxilio ſic efficaciter faveas, ſic aſſiſtas, quod tua praecipue, ac aliorum Conprincipum fultus potentia, conſequatur illa facilius, incumbentia ſibi

profequatur utilius, et fub eo latera jura ejusdem redintegrentur Imperii, ac ftatus feliciter reformetur.

XXIV.

Litterae Epifcopi ad Rudolfum etc. quâ laetatur de fponfalibus filiam Rudolfi inter et N. Ducem Slavoniae celebratis.

Cum Romani Regni felix profperitas, et regentis Imperium Romani Regis magnifici profperari nobis felicitas nuntiatur, ubertate mirifica faecundata, fuccrefcit in nobis materia gaudiorum, et diverfis anguftiis anguftatum in Ecclefiae noftrae adverfitatibus pectus noftrum, laetis veftris fuccefflibus ampliatum pafcitur, et in quantum veftrae potentiae brachia dilatatis funiculis virium latius roborantur, in tantum noftra praecordia redundantibus gaudiis altius elevata refpirant. Illi tamen Deo altiffimo dignae devotionis rependimus gratias, qui in vobis virtute fuae potentiae mifericorditer operatur res adeò gratiofas; ubi etiam, quod humanae modulus facultatis difficile et velut impoffibile reputat, moderator alti confilii Dei filius in negotiis veftris facili levitate modificat, perficit, et confummat. Sane fuper fponfalibus inter Dominam noftram, filiam veftram, et illuftrem principem N. Ducem Slavoniae, de confenfu fanctiffimi Patris noftri et Domini, Sanctae Rom. Ecclefiae Summi Pontificis laudabiliter ordinatis laudes omnipotenti Deo referimus, eo quod ad fublimationem facri Imperii foedus hujusmodi amicitiae feliciter duraturae credimus et fperamus divinitus adunatum. In qua fperata diutius unione divifiones et fchifmata, quae adverfus Romani culminis unum ca-

put ſe elevant et extollunt, deficiente ſpe vacua convertentur ad veſperam, ut adorent veſtigia regis magnifici, quem magnificavit altiſſimus in ſublimi ſolio monarchiae confirmans et roborans regnum ejus.

XXV.

Epiſcopus quidam, à Rudolfo R. R. primus nominatus, gratias de nominatione agens, regis protectionem exorat.

Veſtrae regali magnificentiae, prout teneor, deberem, ſi ſcirem vel poſſem, in quo vel qualiter gratiarum actiones referre, eo quod me licet immeritum et indignum ad paſtoralis dignitatem officii non meis praecedentibus meritis, ſed ſolâ regiae benignitatis veſtrae clementia promoviſtis; et licet ab hominibus quaerentibus, quae ſua ſunt, non quae Ieſu Chriſti, Epiſcopalis dignitas, honor, et quaedam mundi ſublimitas cenſeatur, ego tamen tali ac (a) cum cordis mei ſecretarium ſubeo, plus invenio ſarcinae, quam laetitiae, plus oneris, quam honoris, quia omne, quod hic eminet, plus moeroribus afficitur, quam honoribus (b) breviter tranſituris, nec eſt facile, ſtare in loco Petri et Pauli, tenere kathedram regnantium jam cum Chriſto, cum creſcentibus donis rationum redditio ſit donatariis in augmento, et quia ad jugum et onus hujusmodi importabile humeri mei non ſufficiunt, ſed deficiunt imbecilles, vires meas examinando cum mole per moleſtiam toleranda velut impar fere abſtinueram. Verum ob gloriam veſtri nominis attollendam, ſpatulas jugo

(a) tali officio. (b) gaudere.

ſubjugavi fragiles, clamans et exclamans cum tremore: adjuva me ſalvator! — In vobis poſt Deum, qui me ſemper veſtram cognoſcere debeo plantulam et facturam, meae ſpei figens anchoram, mei laboris fluctuoſi, et fluctuationis laborioſae ſolidum firmamentum. Quis enim ego, ut verbis utar Moyſaicis, quod educere debeam filios Iſrael de Aegypto, nunquid Yſaias dicere poterit: quis hic? aut quaſi quis hic? Prothonotaria haec fecit regia, diſpoſuit hoc exhibitum modici temporis regio Culmini ſervitium, quod Doctoratus non praevaluit Decretorum. Opus itaque ſuum fidelis conſervet opifex, et ſemini ſulcis commendato optatis ortolanus ſedulus per fomenta irrigua, ſollicitudine pervigili, exacta praebeat incrementa. Quid enim prodeſt in Gardino virgultis conſitis, pratis ridentibus herbarum varietatibus hinc inde diſpoſitis vitem praegnantem immittere, ſi ſeptis dirutis, non extante materia, depopulator fructus diſſipet et conſumat? Certe Domine! in veſtri orto Imperii ego veſtra primaeva plantula non debeo ab aliquo hominum, praeterquam à regiis manibus, et non graſſantium pedibus attractari. Vnde ſupplico etc.

XXVI.

Civitas Biſuntina Rudolfo R. R. de electione gratulatur.

Civitas Bisvntina, virtute coeleſtis auxilii more Caeſareo omnes nationes barbaras pedi Majeſtatis ſuae ſubjicere, cum gloria triumphali, et omni promptitudine ſervitii, obedientiae, reverentiae, et honoris. Non eſt mirum, ſi de promotione Veſtra damus inceſſanter Domino gloriam et honorem, cum ipſe de talento ſuo nobis contulerit Marga-

ritam, nec fine ratione cedit hoc nobis ad plenitudinem gaudiorum, cum Dominus nobis misericorditer providens, noftris defideriis annuendo, excuffa rubigine, de argento nobis contulerit vas puriffimum, noftrae captivitatis fiduciam, et noftri exterminii redemptorem. Nam prius quam montes fierent, aut formàretur terra et orbis, â faeculo primitivo praedeftinatum fuit, quod deberetis in throno Imperialis Celfitudinis praefidere, ante cujus tribunal naturalia et civilia jura tremefcunt, librantur audita, confcientia relevatur, imperitia detegitur, juftitia roboratur, et iniquitas effugatur. Vnde omnes, qui Chriftiano nomine gloriantur, poffunt et debent ad veftrae Imperatoriae Majeftatis Clementiam recurrere cum fiducia pleniori. Nam vobis Dominus contulit poteftatem gladii temporalis, ut Serenitati veftrae fit proprium, orbem terrae fraeno juris et juftitiae conftringere ac etiam aequitatis. Fecit namque vos Dominus Imperatorem in terris, quem proprium recognofcimus Dominum, et cui noftra fubjacet civitas, ut vos fitis contra hoftes fidei clipeus, juris defenfor, amator aequitatis, extirpator malitiae, fedâtor fcandali, et refugium impotentum. Nam pietas Cefaris fperantes juftitiam non relinquit, oppreffos relevat, relevatos fuftentat, viduas protegit, orphanos praetuetur, imbecilles defenfat, refovet debiles, proftratos erigit, et erectos corroborat in virtute.

XXVII.

Litterae Regis N. ad Rudolphum R. R.

Cum falutis optatu, indeficientis fidei puritatem. Dum de ftatu veftro in omnibus profpero et felici nobis proximo fcriberetis, dumque fanctiffimi

patris noſtri et Domini Sanctae Rom. Eccleſiae Summi Pontificis favoris conſtantia, quo perſonam veſtram pius pater complectitur, gratis indiciis ſentiremus, cor noſtrum, quod jam longo dolore pro honore Reip. promovendo velut marcidum aruit, aſſumpto fomento viroris ad gaudium, ex novis gratuitis reſpiravit. Sane, ut proceſſus veſtri qualitas nos informet, quomodo et qualiter diſponamus pro veſtri gloria ſtatus, noſtrum dilectum N. Serenitati Regiae duximus deſtinandum, cum humilitate rogantes, quatenus tam de veſtra, quam Domini et patris noſtri Summi Pontificis circa coronationem veſtram, et alia contingentia ſtatum Imperii Rom. voluntate, nos dignemini informare, ut ex hoc nos in omnibus et per omnia veſtris beneplacitis conformemus.

XXVIII.

Salisburgenſis AEpi ad Rudolfum R. R.

Devotionis et fidei obſequium indefeſſum. Error incorrigibilis, deſperata malitia, et inflexibilis ad emendam iniquitas N. et N. quondam Eccleſiae noſtrae Miniſterialium, urgente juſtitia nos compellunt, ut eorum peccata notoria, et ſcelera manifeſta, quorum veterata putredine vicinia tota ſordet, juſto Dei judicio perſequamur, utque eos, quos exſpectatione moroſa, et quadam irreprehenſibili ſpecie pietatis ſuſtinuimus, hactenus incorrigibiles animo, et indignos veniâ, relinquimus divino humanoque judicio pro peccatis ſuis propriis condempnatos. Nuper enim univerſis Eccleſiae noſtrae Miniſterialibus in N. pariter convocatis, ſervato juris ordine, et prioribus ſententiis in eos editis, rationabiliter coram

ſuis paribus in judicio repetitis, de communi conſenſu et ſententia ſingulorum ipſos infidelitatis et perjurii criminibus irretitos, et veri ſui Domini hoſtes publicos et malevolos proditores eſſe, et diu fuiſſe pronuntiavimus, et ex his et aliis cauſis multis, judicii tempore declaratis, infames eos judicavimus, eosque omnium bonorum, jurium, nominum, et dignitatum, quae â noſtra Eccleſia tenuerunt hactenus, fecimus exhaeredes; et quia iidem homines inhumani longis retroactis temporibus pro rapinis et praedis publicis, pro nocturnis et diurnis aggreſſionibus, pro ſtratarum publicarum, et peregrinorum pauperum ſpoliis, maxime tempore Concilii generalis, pro raptu virginum, et oppreſſione violenta conjugatarum, excommunicationis ſententias in eos rite latas per biennium et amplius dampnabiliter contempſerunt, praedictas excommunicationis ſententias ſic duximus aggravandas, omnia bona, quae adhuc tenent, ſubjecimus eccleſiaſtico interdicto, omnesque, qui conſilio et auxilio ipſis aſſiſtunt, eis participantes in crimine criminoſo, ſimili excommunicationis ſententia duximus innodandos. Verum, cum Eccleſia non habeat ultra, quid faciat, niſi ut auxilium brachii ſaecularis adverſus eos excitet, qui divina judicia contempſerunt, Serenitatem Regiam devotis precibus imploramus, quatenus pro honore Dei, et Imperii ſalute ac decore, praedictam ſententiam, quoad bonorum, jurium, nominum, et dignitatum exheredationem ratam habentes, Celſitudinis regiae litteris dignemini confirmare, praefatosque maleficos, qui perfidiae ſuae defenſorem Regem Bohemiae advocant, et ſe ad eum convertere cupiunt, ut in perverſitatibus protegantur, curet Majeſtas magnificentiae veſtrae, cum in excommunicatione per biennium et amplius, ut prae-

mifimus, animo indurato perftiterint, nominatim excommunicationis fententia annotare.

XXIX.

Excufatoria et deprecatoria Rudolfi etc. ob abfentiam Epifcopi, in rebus Imp. tractandis occupati.

Quia princeps nofter kariffimus, venerabilis N. Epifcopus in noftris et facri Romani Imperii negotiis quafi frequenter et affiduè praepeditus, fuis et Ecclefiae fuae commodis eâ non poteft intendere diligentia, ficut fuis et ejusdem Ecclefiae neceffitatibus expediret: univerfis vobis et fingulis fub obtentu gratiae noftrae firmiter praecipiendo mandamus, quatenus ejusdem Epifcopi abfentiam, quam propter varias occupationes in profequendis noftris negotiis fibi jugiter incumbentes in partibus contrahit alienis, veftra prudentia favorabiliter redimentes, fuis et Ecclefiae fuae officiatis, quotienscunque et quandocunque per eosdem fueritis requifiti, contra quoslibet affiftatis confilio, auxilio, et favore; fcituri pro certo, quod, quicquid promotionis et commodi eidem Epifcopo in fuis negotiis impendetis, id propriis noftris agendis impenfum fimpliciter decernemus.

XXX.

Grates agit Rudolfus etc. N. quod Borfonem auxilio et favore hactenus fit profequutus.

Quod dilectum fidelem noftrum Borsonem, noftrum et Imperii propugnatorem eggregium tam ferventer profequeris tuo confilio, auxilio, et

favore, in hoc nobis et Imperio ſpecialis devotionis obſequium te noveris impendiſſe; nos enim dictum Borsonem, quamdiu regni habenas moderabimur, nunquam â noſtrae protectionis et defenſionis auxilio excludemus. Itaque, fidelis eggregie! grata tui favoris auxilia eidem B. impertiri non deſinas, ſed in proſequendo ipſum utiliter continuatione laudabili floridè perſeveres, condignae â nobis propter hoc retributionis proemia oportunis temporibus recepturus.

XXXI.

Conſolatoriae Rudolfi etc. ad Conthoralem ſuam, de filii ſui infirmitate.

Naturalis amoris integritas, quae non prius, quam paterno ſubjecto deſtructo deſtruitur, reverâ non patitur, quin paterna commoveantnr viſcera in doloribus filiae ſingularis. Licet igitur hujusmodi naturalis dilectio nos cogat, tibi in infirmitatibus tui filii condolere: quia tamen modus eſt lacrimis imponendus, ecce, quod tibi paternae conſolationis unguenta porrigimus, affectuoſe rogantes, quatenus in ipſius confiſa clementiâ, qui poſt nubiloſa tempora dat ſerenum, et qui laetificat corda filiorum hominum poſt dolores, non permittas ammodo tua praecordia tam vehementi moerore contabeſcere vel turbari; nam religioſorum virorum pia ſuffragia, quae ſuper hoc implorabimus indeſeſſe, eidem filio tuo procul dubio impetrabunt ſanitatem priſtinam apud Deum, et dilatabitur cor tuum in gaudio, filio tuo revocato ipſorum orationibus ad ſalutem.

XXXII.

De generalis pacis obſervatione in partibus Rheni.

Super eo, quod ex litteris veſtris, quas nuper regio Culmini deſtinaſtis, intelleximus, evidenter vos ad generalis pacis obſervantiam in omni ſpiritus bonitate promptos exiſtere, et tranquillitati terrae omnimode, qua inter fideles fovetur concordia, vos velle puris affectibus aſpirare, prudentiae veſtrae grates et gratias praemiſſa commendatione multiplici duximus referendas, incommutabiliter disponentes, illa ſemper excogitare continue, et efficere cum effectu, quae ſubjectorum noſtrorum fidelium, et veſtrum reſpiciunt commodum et profectum. Et quia ad praeſens tam arduis ſumus Imperii negotiis involuti, quod ad partes illas adventum noſtrum maturare non expedit: nobili viro N. cui vices noſtras in illis partibus commiſimus exequendas, dedimus in mandatis, quod vobis cooperetur in omnibus, quibus ad floridae pacis ſtatum priſtinum redire valeant univerſa.

XXXIII.

Commiſſio protectionis Epiſcopi Metenſis.

Quia ſanctiſſimus in Chriſto pater et Dominus noſter Summus Pontifex, cui obedire decet et convenit, nobis tanquam obedientiae filio ſingulari serioſe nuper injunxit, ut venerabilem Metenſem Epiſcopum et ſuam Eccleſiam ab Imperii corde longè ſepoſitam non pateremur ab aliquo perverſis inſultibus impugnari, ſed potius ipſum in perſonis et rebus ſuis et Eccleſiae uni-

verſis obumbraremus ſecurae protectionis clypeo ſingulari: Sinceritatem tuam rogamus et hortamur pleniſſimo cum affectu, quatenus Dei, et ſanctae Rom. Eccleſiae reverentia, ex parte cujus idem Epiſcopus nobis ſpecialiter eſt commiſſus, prae oculis collocata, ipſum Epiſcopum et Eccleſiam ſuam non praeſumas de caetero aliquibus infeſtis moleſtationibus, vel moleſtis impugnationibus perturbari; propter hoc enim regalis benignitas tibi in omnibus tuis agendis cum favoris plenitudine continue aſpirabit.

XXXIV.

P a p a e.

Tantâ nos, prout evidentiſſimis argumentis didicimus, veſtra inceſſanter amplectitur benignitas animi puritate, quod pro eo ad cuncta, quae poſſunt, vel quae ſcimus veſtris blandiri deſideriis, deſiderabiliter promovenda, promptibus affectibus aſſurgemus. De veſtra igitur, Pater reverende! benevolentia confiſi, nos, et noſtra negotia, ſuper quibus nobiſcum noviſſime familiariter contuliſtis, vobis duximus fiducialiter committenda, affectuoſiſſime vos poſcentes, quatenus hujusmodi affectum, quem ad nos affectuoſe geſſiſſe dinoſcimini, continuatione laudabili, ſicut de vobis confidimus, frequentetis, de nobis ſecuriſſimè praeſumentes, quod etc.

XXXV.

Injunctio, ut comes H. de N. missus in administrationem civitatis N. pignoris causa, interim favorabiliter promoveatur.

Quia nos nobili viro H. Comiti N. fideli et avunculo nostro dilecto civitatem nostram N. cum amministratione plenaria, et juribus universis eidem civitati attinentibus pro tanto, quanto filius suus obses pro nobis in Colonia possit ab hujusmodi obstagio liberari, titulo pignoris duximus obligandam, hac conditione subjuncta, quod, quicquid ab eadem civitate percepit in sortem, debeat computari: fidelitatem tuam rogamus ple. cu. aff. regia tibi nichilominus auctoritate mandantes, quatenus ipsum in amministratione civitatis praedictae non praesumas contra nostrae obligationis tenorem pro nostra reverentia aliqualiter molestare, sed eum potius circa praemissa studeas favorabiliter promovere; nam ipsius filio ab hujusmodi obstagio mediantibus illis redditibus, quos ab eadem civitate percepit, absoluto, liberato, memoratae civitatis amministratio cum plenitudine juris pristini ad te plenarie revertetur.

XXXVI.

Excusatio Rudolfi etc. indictam se curiam frequentare ob aegritudinem haud posse.

Pro utilitate Reip. ac praesertim pacis jam deperditae per multa tempora, de tuo prudenti aliorumque principum nostrorum consilio reformandae edici sollempnem curiam in N. in festo N. jussimus, eamque celebrare votum firmissi-

mum nobis fuit. Verùm Dei filius, caeleſtium et terreſtrium moderator ſuâ moderationis temperie nobis inmiſſà gravis aegritudinis ſarcinâ noſtrum propoſitum taliter impedivit, quod curiae nullo modo poſſumus intereſſe. Mittimus itaque tibi, et aliis principibus noſtris N. et N. ut tibi liquidius pateat, quod adventum noſtrum retardaverit neceſſitas, non voluntas; quorum etiam dictis, in omnibus quae tibi ex parte noſtra referentur, fidem plenam adhibebis.

XXXVII.

Super ſtatuendo loco et termino conventus mediatorum et arbitrorum.

Memoria noſtra non recolit, ſenſus et ratio non concedit, et regalis conſcientiae veritas non admittit, quod unquam in cor noſtrum aſcenderit, venerabilem N. Epiſcopum, Lantgravium N. alios arbitratores noſtros verſùs Pragam, vel aliàs in tua domicilia deſtinare. Propter quod nuntiorum tuorum N. et N. probata legalitas non permittit, ut de ipſis aliquo modo ſuſpicemur, quod ipſi aliqua tanquam ab ore noſtro prolata, vel etiam per noſtros mediatores promiſſa tuis auribus inſtillarent. Verùm, quia littera tua continet, te de loco et termino, ubi arbitratores utrimque conveniant, velle deliberatione ſuper hoc praemiſſa diſponere, poſtmodum declarare, deliberationis tuae formulam ſuper hoc cum patientia praeſtolamur, offerentes nos ultroneos et paratos, N. et N. pro conſolidando inter nos concordiae vinculo firmioris, ad locum et terminum dirigere competentem.

XXXVIII.

Rudolphi etc. excitatoria ad Ladislaum Vngar. Regem, ad procedendum nunc contra Ottocarum II. Reg. Boh.

Indue mente virum, fili ac ſocie praedilecte! ecce, jam acceptabile tempus inſtat, in quo ulciſci poterimus atroces injurias callidi inimici Regis Bohemiae, qui fidei pulchritudine â ſe longius exulata, adhuc occultas contra vos et nos machinatur inſidias malignandi. Exſurgat igitur princeps praepotens, ſi acta voluerit vindicare priora, et antiquam perſidiam hoſtis perſidi ad memoriam revocet, nec moretur, ſed poſtpoſitis negotiis quibuslibet quantumcunque arduis, ad metas terrarum noſtrarum veniat indilate; illuc enim vobis procul omni dubio occurremus, ordinaturi et tractaturi vobiſcum, quomodo et qualiter contra dictum Regem Bohemiae in praefato negotio procedere debeamus. Et ut ad ſuas ulciſcendum injurias una nobiscum veſtra poteſtas regia ferventius animetur, in illius amícae ſocietatis et filialitatis vinculo, quo conjungimur, vos monemus, ut ad praedictas metas veſtra Magnificentia veniat, et non tardet, nec â felici unione noſtrae amicitiae reſipiſcat.

XXXIX.

Gratiarum actoriae ad Pontificem.

Reſplenduit nobis velut in jubare ſyderis luminoſi divinitus choruſcantis, in hoc praecípue apoſtolicae gratioſa benivolentia pietatis, quod, quemadmodum N. fida nobis expoſitione narrante didicimus, nuntios noſtros, quos ad beati-

tudinis veſtrae pedes transmiſimus, ex innata clementia gratioſe ſuſcipientes, et placidae propoſitionis eorum ſeriem gratioſius et placidius audiviſtis. Super quo utique digna gratiarum laudumque referre praeconia nos inſufficientes, et prorſus inhabiles arbitrantes, aſſiduis precibus, prout noſtra patitur fragilitas, imploramus divinae clementiam bonitatis, quae Vos Vicarium ſuum in Vrbe pariter et in orbe conſtituit, ut Sanctitati veſtrae piiſſimae dies ſuper dies adjiciat, ad corroborationem catholicae fidei, orthodoxae matris Eccleſiae pacem et tranquillitatem perpetuam, ac Romani Imperii fulcimentum.

XL.

Pontificia gratiarum actio pro eo, quod Electores 1000. marcar. annuos reditus Papae in bonis Imperii aſſignârunt.

Reſplenduit nobis velut in jubare ſyderis luminoſi dilucide choruſcantis, veſtrorum Comprincipum Electorum effervens, quam ad perſonam inclyti Domini noſtri Romanorum Regis et noſtram habere probantur, affectio, et expertae conſtantia puritatis, ex eo praecipue, quod de novo nos hujuscemodi gratia reſpexerunt, quod mille marcarum annui redditus nobis in bonis Imperii debeant aſſignari. De Vobis igitur, quem ſpecialiſſimae praerogativa dilectionis amplectimur, non minoris, aut imparis ſpei fiduciam obtinentes, Sinceritatem veſtram rogamus affectu quo poſſumus ampliori, quatinus praenotatae benivolae gratiae nobis factae veſtrum applauſivum liberaliter et libenter applicantes aſſenſum, confectas ſuper eadem gratia litteras, quas per ex-

hibitorem praefentium veftrae dilectioni transmittimus, veftri jubeatis figilli munimine roborari, ut proinde nos in veftris et veftrorum agendis perpetuo debeatis invenire benivolos, et ultroneos experiri.

XLI.

Littera Epifcopi N. ad N. (Protonotarium, Regium,) gratiarum actoria, et recommendatoria.

Ex fincerae fidelitatis conftantia proceffiffe dinofcimus illam mentis ingenuae legalitatem confpicuam, quae in matris fuae, videlicet N. Ecclefiae gremium videns et percipiens, venenofa quorundam detrahentium fpicula quafi lethaliter fulminari, pro ea ipfis fe murum defenfionis oppofuit, et pro viribus ftudiofae perfpicacitatis ingenio, ipforum violentiam commendabili patrocinio munivit. In hoc enim, quo ejus honori, ne fuper collatione Comitatûs indebita laederetur, vigilanti diligentia infudaftis, devotionis vos oftendiftis filium, et ipfius felicitatis et commodi zelatorem, legemque verae karitatis in hoc adimplevit filialis dilectio, quae ad matris erubefcit opprobria, et ejus periculis femper ftudet oportunis remediis obviare. Sane, apud Deum, et homines, et fpecialiter apud illam aeterni regis gloriae genitricem, cujus dictus Comitatus eft demanium fpeciale, hoc factum laudabile gratiam vobis, ut credimus, comparavit, quod nichilominus in noftrae libro memoriae confignandum cenfuimus, dignis favoribus et gratia oportunis temporibus compenfandum. Hortamur autem, monemus, et rogamus veftrae fidei finceritatem, ut continuatis proceffibus ftu-

deat indefeſſe, ſic directo tramite, noſtro, noſtraeque N. Eccleſiae honori et defenſioni jurium intendere, ut actis prioribus poſteriora conſonent, et ſemper probatae legalitatis redoleant puritatem. Quodſi forte poſt Auguſtum affuturum proximo Alemaniae principes contingat de mandato regio convocari, vos una cum Cancellario, noſtram non obmittatis abſentiam efficaciter excuſare, aut noſtram ſaltem excuſationem in conſpectu Serenitatis regiae cum omni modeſtia praeſentare, praecipue cum nos ſimus quaſi infinitis et inextricabilibus negotiis impediti.

XLII.

Littera Andreae de Rode, regalis aulae Notarii, ad Nicolaum Epiſc. Cameraceñ.

Reverendo in Chriſto patri et Domino ſuo, Domino . . divina providentia N. Epiſcopo ſuus A. Regalis aulae Notarius, ſuorum humillimus Clericorum, id modicum quod eſt, in omnibus et per omnia quidquid poteſt. Tantae praeeminentiae ſcribere ſuper me fore cognoſcens, tremens factus ſum ego, et timeo, dum devotionis meae ſigna permodica veſtrae Magnitudini modicus praeſentare praeſumo. Vereor autem, contra me eſſe, ſi tacens ſilentii fila non rumperem, et ſub diſſimulatione praeteriens poſſem notabilis fieri de contemptu. O humilis altitudo, et alta verè humilitas, quae non dedignata eſt, mihi puſillo congratulationis exhibere mamillam, ubera liquoribus lacteis porrigere, meliora vino, melle quolibet dulciora, pignus reſonantia gratiam, pignus benivolentiae redolentia ſingularis. O mira gratitudo favoris, et ſtupenda paternae

dilectionis affectio, quae sic allectivis apicibus filium et scriptorem elegit dulcedine praevenire subjectum; quis enim tam inconditus et asper, tam expers omnis intelligentiae animus, qui de dulcisluo vestrae salutationis affamine, de regratiatione tam humili, tam benignâ, de pollicitatione tam acceptabili, tam serenâ non fieret laetabundus? Porrò, si super his ad gratiarum actionem (solutionem tempto) prorumpere insufficientem me prorsus invenio, si ad laudis et gloriae vestrae praeconium labia solvere cogito, imperfectum me penitus recognosco, dum conor syderibus addere sydera, dum diurnae lucis nuntium, luminoso jubare chorusçantem per inextinguibilem faculam velle videor adaugere. Ex praemissis igitur matutino Lucifero, vespertinae laetitiae tribuente fiduciam, in hoc immobiliter voti mei finalis intentio vertitur, in hoc propositi summa versatur, quod scire velle ac posse, siquid in me est, totaliter totis viribus et jocundis affectibus, fideique devotione promptissima fervidus exercebo, ad singula, quae decus vestri nominis sapiunt, et honoris almae matris Ecclesiae N. respiciant incrementum. In sollempni curiâ specialiter etiam per me ipsum, ac alios Dominos et amicos, vestrae Paternitatis absentiam, ut mandastis, excusatione pervigili supportabo. Valeat vestra reverenda paternitas nunc et semper. Conservet vos Dominus ministerio suae gloriosissimae Genitricis in tempora diuturna.

XLIII.

Mandatum de custodiendis diligenter stratis, ne clanculùm intret Archieps Colonieñ.

Fidelitati tuae firmiter injungendo mandamus in fidei debito, quo nobis astringeris, nichilominus te monentes, quatinus pervigilem et diligentem custodiam viis et stratis adhibeas, et ad hoc non segnes, sed vigiles deputes excubantes; nam ad aures regias ex verâ famâ pervenit, quod venerabilis Archiepiscopus Colonieñ. per Lucernam, vel per vias tibi convicinas, in nostrum et Imperii praejudicium, sub habitu peregrino, immò, ut magis loquamur in specie, sub similitudine mercatoris intrare disponit; unde iterum tibi dicimus, quod sibi vias praecludas hujusmodi, ita, quod idem lupus, qui sub agnino vellere fraudes excogitat, viam non habeat malignandi.

XLIV.

Rudolfus etc. rogat N. ut Borlaum, Borsonis quondam filium, manuteneat atque defendat.

Cum nobilis vir Borlaus, eggregii quondam Borsonis filius, paterno solatio destitutus, propter adversantium insultus varios amicorum suorum et fidelium nostrorum necesse habeat praesidiis confoveri: fidelitatem tuam in eo fidei debito, quo nobis astringeris, affectuose requirimus, et rogamus, quatenus memor devotionis et fidei, quam nobis et Imperio jugiter impendisti, praedictum Borlaum, quem propter paternae probitatis et devotionis merita, quibus nobis et Imperio se placitum multipliciter reddidit et

acceptum, quemque etiam in omnem eventum derelinquere nullatenus cogitamus, manutenere, defendere, et viriliter ſtudeas conſervare, ſciturus conſtanter, quod, quidquid ei auxilii, favoris, et gratiae impenderis, ſpecialiter nobis factum reputabimus et impenſum.

XLV.

Litterae Rudolfi etc. ad Pontificem, ut ignoſcat delictis juventutis et ignorantiae Epiſcopi N. —

P A P A E.

Audito nuper ex relatione quorundam, quod ergà Venerabilem N. Epiſcopum, principem noſtrum dilectum Vos grandis turbo commotionis exagitet, et in pii cordis intrinſeca gravis indignationis amaritudo ſubrepat, ad Vos, miſericordiarum pater et Domine! in omnimoda reverentiae filialis exhibitione recurrimus, obſervantes, ut licet, et poſſumus, ac debemus, quod ſurgens Auſter et veniens ollam paternae ſeveritatis in filium flante Aquilone ſuccenſam, clementioris aurae temperamento refrigeret, et in tranquillitatis amoenae planitiem ſacrae mentis veſtrae ſacrarium redigat tempeſtatem. In hujus equidem caſus articulo ea nimirum praecipuè nos conſideratio commovet, is revera potiſſime zelus accendit, ut eo in ſuae potentiae robore permanente, nec non coaſpirante nobiſcum in opportuno ſubſidio poſſit ſuccurri facilius et utilius terrae Dei. Speramus enim, et in virtute divina confidimus, quod praedictus Epiſcopus inſpiratione coeleſti, noſtrisque ſalutaribus monitis usque adeo debeat informari, quod indirecta diri-

gere debeat, et deformia reformare, apoſtolicis beneplacitis ſemper in omnibus et per omnia conformandus. His igitur, clementiſſime Pater! in trutina veſtrae purae conſiderationis, ſi placet, appenſis, adinſtar illius, qui non reſtringit in ira miſericordiam, nec, cum indignatur, eſt immemor pietatis, prout audemus, et licet, ad Epiſcopum praenotatum vos petimus oculum propitiationis innatae convertere, ac paternae correptionis acredinem condimento manſuetudinis temperare, ita, quod ſuper impoſitis ſibi juventutis ſuae delictis et ignorantiis manus correptionis omnino quieſcat â verbere, vel ad minus, quousque veſtrae beatitudinis nos contingat repraeſentari praeſentiae, proroget ultionem; nos tamen, qui omnes actus noſtros in beneplacito veſtro dirigere ſemper intendimus, nil finaliter poſtulamus, aut petimus, quod ſit veſtrae beatae contrarium voluntati.

XLVI.

Super matrimonio contrahendo inter filiam, neptem aut ſororis Rudolfi filiam, — et fratrem octennem Regis N.

Incentivi amoris affectio, qua naturaliter ſeminarie dulcedinis propagatione ſumus divino munere counitì, nos ab invicem diſcedere non permittit; nam etſi reliqua turbine varientur, naturalia tamen cognationis jura nequeunt immutari. Vivit namque propinquitatis igniculus, nec excidet, quamvis ardente turbationis ſole non deficit, nutritur ſolis radio, non areſcit. Eo igitur inſtinctu cognationis illecti, quo proximis affinitatis gradibus unum ſumus, de noſtra et regni noſtri perturbatione per veſtras ſcribitis

litteras non immerito vos turbari. Intendentes nichilominus praecordialiter remedium adhibere, quo turbata jura regni noſtri in ſtatum debitum revertantur, nec mirum, ſi â principio regiminis, maxime tenerrimae aetatis noſtrae primordiis, in nos inimici latentis excubiae ubilibet valuerunt. Hoc enim noſtris minoribus aſcribimus annis, et diſcidiis inteſtinis, non potentiae adverſantis, qui potius Regibus N. ſubeſſe noverat, non obeſſe. Nunc verò caeleſti numine noſtris creſcentibus annis, proſperantibus auſpiciis, et diſcordiis intrinſecis ad concordiam revocatis, in ſpem redivivam dante Domino redeunt univerſa; et quemadmodum de felici unione matrimonii veſtrae filiae, cognatae noſtrae kariſſimae, Sereniſſimi Roman. Regis filio copulatae admodum gratulamur, cupientes et nos cognationis propagine unum effici cum eodem, ſicut et vobiscum primordialiter unum ſumus: Sinceritatem Strenuitatis veſtrae requirimus ex affectu, quatenus procurare velitis, et efficaciter interponere partes veſtras, ut fratri noſtro kariſſimo infra octennium conſtituto, ejusdem inclyti Regis Romanorum, ſi extat, filia, aut filii vel filiae ſeu ſororis filia matrimonialiter copuletur; ſuper quo etiam articulo ſecundum veſtrae prudentiae conſilium, ad ipſum Dominum Regem Romanorum nuntium, nobilem virum N. qualibet auctoritate ſuffultum de omnium Procerum et Baronum noſtrorum conſilio ordinavimus deſtinandum, totius negotii ordinem et tractatum veſtris humeris fiducialiter imponentes, ut noſtrae Serenitatis proſapia in reges tales matrimonialiter propagata, redivivo affinitatis vinculo non diſcedens, ſed accedens, quaſi cortina cortinam trahens, recentius eniteſcat; nos enim univerſaliter noſtrae potentiae vires, et amicorum ac cognatorum ſuffragia,

Domini ſcilicet N. ac aliorum quamplurium, qui noſtrae ſocietati cognationis vel amicitiae foedere conjunguntur, parati ſumus totis affectibus ad nutum et honorem veſtri deſiderii efficaciter ordinare, totisque affectibus cogitare, et efficere cum effectu, quod de noſtrae, et amicorum noſtrorum potentiae viribus, veſtrae per omnia placuerit et inſederit voluntati, ut, quos par affectionis norma conſtringit, alae proſperantis fortunae, funiculos propaginis porrigendo obnixius uniant et conjungant. Caeterum, quicquid N. ex parte noſtri vobis dixerit, eidem tanquam ab ore noſtro prolatis fidem velitis credulam adhibere.

XLVII.

Super eodem.

Divinae pietatis providentia, cujus nutu reguntur omnia, et ſubſiſtunt praeſentialiter, ubique contuens univerſa, ne lubrica Microcoſmi materia per devia laberetur, aut naturalis affectionis invicem igniculis ſine dilectionis faſciculo ſolveretur, in paradiſo legem inſtituit matrimonii, per quam propagaretur in terris karitas animorum, et naturae proclivum virtus exciperet honeſtatis. Hinc unitatis et identitatis affectio coaleſcit, quae deſcendentes ramuſculos ad ſe retrahit, ex diverſis, non adverſis, unum efficiens conjugii paritate. Cum itaque in ſublimitate veſtri nominis, tanquam in ortu novi ſyderis, ex intimis gratulemur, cupientes, ut affectum mentis veſtrae proximitatis annexio ſequeretur, ſuper matrimonio contrahendo inter filiam veſtram principaliter, ſi extat, aut filii veſtri, vel filiae, ſeu ſororis filiam, et fratrem noſtrum kariſſimum

N. infra octennium constitutum, de omnium Procerum et parentum nostrorum consilio, Magnifico Domino N. vices nostras duximus committendas; ad Serenitatem vestram nichilominus nobilem virum N. super his et aliis qualibet auctoritate suffultum quantocyus transmissuri, Excellentiam vestram praesentibus affectuosius requirentes, quatinus super hujusmodi matrimonio contrahendo ipsi N. vel ejus misso velitis promptae exauditionis favorem et gratiam impertiri, ut vestrae felicitatis invicem brachiis solidati glorientur humiles, terreantur tumidi, ac conterantur, et ad juga veniant exterae potestates; credentes verbis ipsius nostri nuntii, tanquam nostris.

XLVIII.

Super eodem.

Congratulationis amicae placiditas, litteris vestris nuper, quas valde gratanter accepimus, super fortunatis et prosperis nostrae sublimationis auspiciis, cum tripudiosa jocunditate Regalibus praesentata conspectibus, animum nostrum tanto uberioris congaudii poculo foecundavit, quanto probabilioris ex hoc evidentiae argumento collegimus, quod illius indissolubilis dilectionis identitas, qua cum clarae recordationis N. eggregio viro vestro, qui cor unum et eadem anima noscimur extitisse, dum viveret, cum eodem decedente nequaquam extincta deperiit, sed in Vobis propagatione laudabili radicata, praedicabiliter et transfusa, tenacius conquievit; super quo utique, et super hoc praecipue, quod filiam nostram inclyto N. vestro filio cupitis matrimonia-

lis vinculi foedere couniri, quod ſcilicet in pe-ctore noſtro auxit diffuſius materiam gaudiorum; Dilectioni veſtrae ad grates uberrimas inclinantes, proinde Vos et Veſtros invariabili animo ſemper diſponimus, gratis amplecti favoribus, et condi-gnis honoribus ampliare. Verum licet valde cordi ſit nobis, licetque latis praecordiis affecte-mus, quod domus noſtra cum veſtra matrimonia-libus uniatur amplexibus, nativitatis floridae vir-gulis foecundanda, quibus progenitores exultant in filios filiorum; quia tamen negotii hujus ar-duitas principum et fidelium noſtrorum conſiliis indiget ſuffulciri, cum eis ſuper hoc finalem et ſalutarem diſponimus feſtinanter habere tracta-tum, ut ad honorem et commodum partis utrius-que votiva concluſio in praedicto negotio ſub-ſequatur.

XLIX.

Cardinalibus, de obitu Papae, et creatione novi Papae.

Ex almae matris Eccleſiae nubilo, quo viduita-tis amictu circumdata nunc lugere compellitur, internae compaſſionis inſtinctu, qui maternarum afflictionum expertes revera nos fore non pati-tur, noſtra praecordia gravibus agitata ſuſpiriis, oculos lacrymarum inundatione reſolvunt, utpo-te, quae vicini praeſaga diſcriminis ex Romanae ſedis vacatione diutina irreparabilia Chriſtianita-tis excidia reformidant. Sane, ut caetera peſti-lentiae genera taceamus, quibus in partibus cis-marinis humani generis inimicus ubique deſae-viens inter Catholicos Reges et principes horri-da bellicae tempeſtatis irritamenta diſſeminat, factiones exaggerat, et ediſſerit ſimultates, ut

undique gens in gentem, et regnum adverſus regnum atrociter excandeſcat, univerſitatis et ſingularitatis Catholicae debet meritò pia corda compungere; Vos, qui eſtis micantia domûs dominicae ſydera, poteſt potiſſime ad contribulationis praecipuae lacrimam commovere illius immenſae tribulationis, immò deſolationis acerbitas, quâ jam terra ſancta, quae redemptoris noſtri pro nobis effuſo pretioſiſſimo ſanguine rubuit, malleis Agarenicae perſecutionis atteritur, et nunc ſentit amarius manus inimicae flagellum. Nam ſicut inclytis Cypri et Armeniae Regibus, venerabili ... patriarcha Iheroſolimitano, ac aliis terrae memoratae Magnatibus lugubri nobis annuntiatione ſcribentibus, ſerioſior geſtae rei ſeries nos edocuit evidenter, illius praeclariſſimae regionis defecerunt optima, immo prorſus in contrarium diverterunt, hoſtilium agminum turmis in eam et incolas ejus inhumanitatis immanitate ſic degraſſantibus inceſſanter, quod paucae fidelium reſtant adhuc in regione praedicta reliquiae conterendae. His igitur cauſis, et aliis pluribus rationibus informati, paternitatis veſtrae prudentiam exhortamur attentius, et affectuoſe rogamus, quatinus urbis et orbis pariter evidenti neceſſitate penſatâ, virum tanta perfectione conſpicuum ſtudeatis in apoſtolica ſede praeficere, qui in zelo Dei et Iuſtitiae absque perſonarum acceptione communis appareat, et in caritativa dulcedine cunctis affluat pietatis operibus, quod ſuum eſt, unicuique aequitatis in trutina largiendo. Porrò religioſum et providum virum N. quem nuper ad noſtram praeſentiam deſtinaſtis, affectione benigna ſuſcepimus, his, quae nobis ex parte veſtra propoſuit, intellectu perfecto pleniſſime recollectis; et quia inter caetera ſuae legationi is fuit inſertus articulus, quod velletis

inſpiratione divina celeriter ſacroſanctae Eccleſiae de Pontifice neceſſario providere: placeat, quaeſumus, Veſtrae circumſpectioni, celeritatem hujusmodi tam propinqua interpretatione concludere, quod ex veſtra promiſſione conceptae ſpei ſolatio non fraudemur. Et ecce, quod providum virum N. Notarium noſtrum dilectum, quem ſemper fidum in commiſſis invenimus, ad vos duximus transmittendum, ut de ſollempnium noſtrorum nuntiorum adventu, qui ſuper his, quae nobis inſinuare curaſtis, ac etiam ſuper aliis vota noſtra tangentibus, vobis intima noſtrae mentis aperient, animos veſtros ſufficienter informet; cujus utique verbis ſuper praemiſſis non dubiam fidem vos petimus efficaciter adhibere.

L.

De matrimonio contracto inter duas Rudolfi etc. filias, cum W. haerede Regni Bohemiae, – et fratrem Ottonis Marchion. Brandenburgeñ.

Qualiter caeleſtis altitudo conſilii, cujus occulta judicia colligere nemo poteſt, ad interitum illuſtris quondam O. Regis Bohemiae nos induxit, alias tibi, cui digne debuimus tam glorioſum intimare triumphum, littera noſtra deprompſit. Ideo hujusmodi gaudioſae relationis ſeriem memorandam, ad praeſens ſub ſilentio transeuntes, illa nova, quae ex novitate ſucceſſuum proſperorum ergà nos poſtmodum ſunt ſuborta, tibi in incrementum uberioris laetitiae intimamus, videlicet, quod inter nos, et illuſtrem Ottonem Marchionem de Brandenburg, et quoslibet alios de ejusdem Regis Bohemiae parentela, conſopi-

tis omnibus, quae futurae discordiae pericula minabantur, juxta votum et desiderium cordis nostri pro nostro honore ac totius Reip. commodo, inviolabilis amicitiae, pacisque foedera sunt contracta, sic, quod inclytus W. haeres Regni Bohemiae, illustri filiae nostrae, nec non illustris frater Marchionis praedicti, alteri nostrae natae sunt matrimonialiter copulati; quae quidem sacra connubia sunt cum festivitate celebri consummata, prout regiam condecet Majestatem. Sciat etiam tua fidelitas, quod sanctissimus in Xpo Summus Pontifex ab arce paternae karitatis emisit venerabilem N. legatum et suum nuntium specialem, ut sacrosanctae Matris Ecclesiae, et Imperii Rom. negotia in identitate unionis et amicitiae pro nostro beneplacito uniat et conformet.

LI.

Civitas Iglav. se submittit Rudolfo R. R.

Vobis Domino nostro R. illustri Romanorum Regi, ac Romano Imperio, opidum in Igla et preces nostras subjicimus, et promittimus per sacramentum, quod Vobis sponte praestitimus, quod fideles et devoti vestri sumus, et semper erimus, nec â vestro obsequio et subjectione praetextu, metu, occasione, vel modo aliquo divertemus, nec civitatem seu opidum Igla alicui alii trademus, sed ipsum fideliter vobis servabimus, et adversus omnem alium hominem bonâ fide, totisque viribus defendemus, nisi Vobis placeret inposterum nobis remittere fidelitatis et homagii Vobis praestiti sacramentum. Ad quae omnia et singula sine dolo et omni fraude servanda, p̃s nostras res, et bona nostra, et statum nostrum et liberorum nostrorum praesentibus no-

ſtris litteris vobis voluntarie obligamus. Et ſi, quod Deus avertat à nobis, contrarium faceremus, extunc volumus rei de infidelitate et perfidia judicari, et perpetuo eſſe infames, ac etiam de crimine laeſae Majeſtatis et fractae fidei, ſevero judicio nos et omnes noſtros poſteros condempnari. Subjicimus etiam nos ſponte jurisdictioni et judicio Venerabilis patris et Domini noſtri Olomuceñ. Epiſcopi, qui per excommunicationis et interdicti ſententias, et alias cenſuras eccleſiaſticas ſine ſtrepitu judicii nos compellat, ut ſervemus Vobis et Romano Imperio omnia et ſingula ſupradicta. In cujus etc.

LII.

Rudolfus etc. Regi Vngariae, ut legato Apoſtolico in Vngariam directo, in agendis ſuis adſiſtat.

Sanctiſſimus in Xpo Dominus N. Summus Pontifex, pater patrum, cui univerſi orthodoxae fidei profeſſores tenentur ad reverentiae promptitudinem ſingularem, venerabilem patrem, Epiſcopum N. virum utique in ſpiritualibus providum, et in temporalibus circumſpectum, tanquam imaginarium ſuae ſanctae praeſentiae pro negotiis Sanctae Matris Eccleſiae ſalubriter dirigendis, nec non ad fulcimentum veſtri ſolii, et ad reparationem, et reformationem ſtatus Regni Vngariae, et ad cultum ibidem Catholicae fidei ampliandum in veſtrum favorem cum plenitudine poteſtatis duxit ſpecialiter transmittendum. Eapropter Serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, Vobis tanquam ſingulari filio pleno perſuadentes affectu, quatenus ob ejusdem ſummi patris reverentiam, noſtrarumque precum in-

tuitu, eidem Legato ſic favorabiliter aſſiſtatis, quod ſuae legationis officium ad laudem divini nominis, Eccleſiae Rom. decus, pacificum et tranquillum Regni Vngariae ſtatum, nec non animarum ſalutem valeat divina favente gratia feliciter exercere; propter hoc enim ſub veſtro felici Dominio divini cultus refloreſcet amoenitas, aeterna proemia redditura, Deusque felicibus veſtris ſucceſſibus jocunda adjiciet incrementa, et ſtatus Regni veſtri per ipſius Legati miniſterium in pacis et unitatis concordia exultabit.

LIII.

Rudolfus etc. increpat N. quod conſpirationes in Regis, ejusque domûs excidium, aliaque haud nuntiaverit.

Nobis in minori dignitatis officio conſtitutis, tanta ergà nos in te fides emicuit, quod ſi aliqua, quae in noſtri eſſe poterant honoris diſpendium, alicubi attemptata per aemulos perſenſiſti, ea ad audientiam noſtram tanquam fide nobis et devotione conſpicuus perſerre nullatenus diſtuliſti. Propter quod nunc anxii et dubii non ſufficimus ammirari, quod nunc nobis ad ſumma Regalis throni faſtigia ſublimatis, ex quo etiam effective ſi recolis, nec ingratum te efficis, nunc gradus et honoris tui ſtatus ſublimior eſt effectus, tractatus quosdam nepharios et conatus inter quosdam civitatenſes et nobiles conſpirantes ad invicem, in noſtrum ac domûs noſtrae excidium machinatos, noſtrae Celſitudini nuntiare hactenus neglexiſti, cum tamen hanc excuſationis formam non poſſis praetendere, quod, licet talia contra nos fuerint attemptata, ipſa tamen aliquo modo non poterant effectu operis

consummari; quia, qui scintillae, quantumcunque tenuis et pusillae, virtutem non cohibet et restringit, propter quod hujusmodi nephandis machinationibus, et iniquis divulgationis et publicationis auxilio fuerat obviandum; sed nec illud commune, quod publicâ famâ jam dudum referente cognovimus, ad nostram pertulisti notitiam, videlicet, quod cives N. potiores ad infarcienda de pauperum quaestu sua marsupia desudantes, collectis et sturis communem plebem afficiunt inconsuetis, propter quod jus et libertas civitatis infringitur, et debita Camerae nostrae servitia subtrahuntur. Quomodo igitur tu, quem oculum nostrum ibidem locavimus, tantas enormitates, per quas honor regius et Reip. status confunditur, incorrectas dissimulas et pertransis? Igitur fidelitati tuae firmiter injungimus et mandamus, quatinus, si adhuc non totius devotionis in pectore tuo scintilla refriguit, ad retractationem et correctionem istorum intendas eo severitatis judicio, sicut decet, vel si forte timore vel amore retractus ea non audeas, vel non possis corrigere, nobis nuntiare non differas, et nos de remedio cogitabimus oportuno.

LIV.

Rudolfus etc. notificat NN. se procuratoribus suis in Curia Rom. commendâsse negotium eorum, discordiam scil. cum Episcopo N.

Super odiosae perturbationis materia, quae inter Vos, et venerabilem N. Episcopum jam concrevit, Vobis propter Vestrae devotionis et fidei puritatem, in quâ continue delectamur, ex inti-

mis condolentes, et volentes semper sollicitè meditari, qualiter Vobis quietem et commodum procuremus: nostris procuratoribus et amicis in Romanâ Curiâ, quemadmodum postulastis, vestrum negotium non minori sollicitudine, quam nostrum proprium studiose commisimus procurandum, ac etiam promovendum. Et ut vestra ergà nos non frigescat devotio, sed concrescat irriguis incrementis, sicut de vobis certae fiduciae spes promittit, vobis non solum in his vestris negotiis, quae nostris negotiis implicamus, assistere volumus consilio et auxilio oportunis, verùm etiam in omnibus aliis vestrae fidelitati promittimus grati favoris plenitudinem impertiri favorabiliter per effectum; â quo felici proposito nunquam regalis magnificentia declinabit, sed continue favores accumulando favoribus, vestros profectus pacificos augebit Augustus.

LV.

Rudolfus etc. litium tollendarum causâ inter Episcopum Seccov. et patrem N. — illi donat plenariè N. et N.

Tunc fama regalis munificentiae per orbem longe lateque diffunditur, et honor Imperii dilatatur, dum Ecclesiasticarum personarum profectus et commodum donis gratuitis adauget Augustus. Noverint ergò praesentis aetatis homines et futurae, quod nos purae devotionis et fidei venustatem, qua Venerabilis Seccovien. Episcopus, familiaris noster dilectus incessanter nos colit, ab experto perfectius cognoscentes, sibi, et per eum suae Ecclesiae N. et N. omni jure, quo ad nos et Imperium pertinebant, ex singularis liberalitatis affluentia duximus conferendos, sic,

quod omni rancore vel odio, ſeu odioſae quaeſtionis materia, quae inter praedictum Epiſcopum, et patrem N. hactenus vertebantur, per hoc amicabiliter conſopitis, iidem N. et omnes ab ipſis futurae ſucceſſionis propagine deſcendentes, ad ipſum Epiſcopum et ſuam Eccleſiam perpetuo pertinebunt.

LVI.

Rudolphi etc. ad AEpum M. Litterae, ut Henricum Baſilien. Epiſcopum abſolvat a neceſſitate viſitandi Concilium indictum.

Si in trutina tuae conſiderationis appenderes diligenter, quam fructuoſis obſequiis rerum et perſonae diſcrimina non abhorrens Venerabilis H. N. Epiſcopus, princeps noſter kariſſimus, dum diſcrimen adeſſet in limine, nos et Imperium in ultimis terrae et Imperii finibus poſitos, ac morti expoſitos magnifice viſitavit, quamque potenti ſuffragio nos undique circumſeptos ab hoſtibus ſtrenue liberavit, ad evocationem ejusdem ad Provinciale Concilium, quod diceris indixiſſe, maxime quamdiu noſtris ac totius Reip. deſudaret obſequiis, non ſic improvide proſilires, ſed penſans potius, quantum utilitatis et commodi per eundem ſumus principem conſecuti, ejusdem abſentiae pro Imperii reverentia et amore deferres. Horum igitur praemiſſorum conſideratio diligens et attenta te moveat, nec eum, quem in agendis regalibus oneroſis nobiscum portandis aptiſſimum reperimus, ad Concilium evoces antedictum, quin potius noſtrorum interventu precaminum aut ſuam aequanimiter iſta vice ſubportes abſentiam, aut dicti executionem Concilii in tempus ſuſpendas et proroges

oportunum, quo memoratus Episcopus ab Imperii exemtus oneribus dicto Concilio commodè valeat interesse. In quo tanto gratiori devotionis obsequio nos honoras, quanto ejusdem principis nostri praesentia nobis et Imperio fructuosior comprobatur.

LVII.

Rudolfus etc. eximit Elisabetham, Henrici March. Misniae conjugem, eorum filium Fridericum, universosque liberos etc. á nexu ministerialitatis, iisque omnibus perfectum jus succedendi tribuit.

GRATIA NOBILITATIS.

Dum sacri Imperii principum, per quos idem Imperium tanquam bases eggregias sustentatur, in his specialiter, quae ad solam regiam pertinent Majestatem, petitiones et vota benigni favoris applausu complectimur, Regalis Excellentiae decus attollimus, et eosdem principes ad devotionem ipsius Imperii ferventiùs excitamus. Noverint igitur universi, tam posteri, quam praesentes, quod nos purae fidei, ac praeclara sincerae devotionis insignia, quibus illustris H. Marchio Misnensis, Princeps noster dilectus nos et Romanum veneratur Imperium, claro nostrae mentis intuitu gratiosius intuentes, ac proinde suis desideriis, quae rationi conveniunt, voto promptitudinis dignum ducentes occurrere, devotis suis supplicationibus inclinati, Elyzabeth legitimam thori sui participem, Fridericvm natum legitimum utriusque, et universos liberos, siquos ab eisdem parentibus procreari contigerit in fu-

turum, ab omni servilis seu ministerialis conditionis respectu de plenitudine regiae potestatis eximimus, ac ipsos ingenuitatis et liberi partûs honore et titulo perpetuo insignimus, volentes eos sic semper in antea in ingenuorum et nobilium sorte ac numero recenseri, acsi de ventre libero nati essent; ita, quod ad successionem bonorum feodalium, et aliorum quorumlibet pari formâ sicut nobiles et ingenui admittantur, et universaliter omnibus juribus, libertatibus, dignitatibus, honoribus, et conditionibus, quibus ingenui â sacris sunt legibus et approbatis consuetudinibus insigniti, in perpetuum ex donatione et indulgentia regia gaudeant, et dotentur. Ex praemissis itaque praefato Friderico, ac caeteris liberis Marchionis praedicti, siquos ipsum in antea ex praedicta Elyzabeth procreare contigerit, favorabiliter indulgemus, concedimus, et donamus, ut bonis Marchionis ipsius, possessionibus, terris, dignitatibus, ac caeteris juribus quibuscunque aequo possint et debeant jure succedere, acsi de partu et ventre libero descendissent. Et ut haec gratiae nostrae provisio singularis, quam ex certâ scientia fecimus, perpetuae robur obtineat firmitatis, praesens etc.

LVIII.

Rudolfus etc. insinuat N. ea, quae proximè contra rebellem Ducem (Burgundiae) possessiones et bona Imperii detinentem sit ausurus; illumque, ut ad expeditionem se praeparet, exhortatur.

Noveris Princeps Karissime, quod nos in compositione inter nos et N. habitâ, sibi in tantum detulimus, quia ab illustri Duce N. quaedam bona et possessiones Imperii repetere statim disponimus, quae inquam possessiones sive bona ad XXX. millia librarum annuorum reddituum se extendunt; his autem possessionibus nostris juribus readdictis, quod infra hinc et festum paschae de facili faciemus, statim post festum paschae ad partes Rheni declinare disponimus pro recuperatione jurium et bonorum Imperii, quae N. erectis contra nos rebellionis suae cornibus detinet occupata, opem et operam impensuri. Specialiter autem ad hoc fervor nostri desiderii se extendit, quomodo Ducatum N. de ejusdem nobis ingrati principis manibus abstrahentes, te in eodem Ducatu potenti dexterâ collocemus; ad quod, quia ante omnia praecordialiter aspiramus, Sinceritatem tuam attentius exhortamur, quatinus medio tempore sic te praepares et disponas, ut, cum hostilem manum miserimus contra illum, non improvisus, sed apparatus appareas una nobiscum contra praefatum Imperii potemptorem ([a]) strenue processurus.

(a) vox illegibilis.

LIX.

De matrimonio filii Rudolfi R. R. cum filia Regis Angliae.

Affectantes ex intimis, ut illa celebria et sacra connubia inter illustrem filium nostrum, et inclitam filiam vestram divinâ dispositione feliciter ordinata per exhibitionem suae corporalis praesentiae firmarentur: ecce, quod illum nuper de Serenissimi Domini nostri mandato ad iter accinximus versus Angliam procedendi; sed votis nostris hujusmodi successiva processuum aptitudo non affuit, verùm inopinatae febris accessio dictum filium nostrum gravi punctura percutiens ejusdem processum gratuitum impedivit; nunc autem eodem, divino munere pristinae sospitatis effectu plenarie restaurato, ecce, quod honorabilem virum etc.

LX.

Rudolfus etc. enarrat, quomodo solennis curia (in Nurenberg) habita, quidque praecipuè ibi peractum sit, moresque Regis Bohemiae ibidem exhibitos.

Quam pura, quam integra vestrae amicitiae incontaminatae ferventia, quam ad nos promptissima mentis alacritate portenditis, aliena verborum argumenta non quaerimus, ubi effectus operis dicto praeponderans, certa nobis experimenta dilucidat, et conscientiae nostrae testis q̃ talibus depositione sollempnior interpellatur. Scimus etenim, immò semper indice facto probavimus, quod in vestris praecordiis ergà nos concepta non algeant, sed quo plus labuntur in

tempora, eo gratiofius adolefcant. Patet hoc utique clarius omni claro per ea, quae miffae nobis veftrae noviffimae litterae continebant, ex quarum tenore probabili conjecturâ perpendimus, circa latera noftra vos vigilantis vigilis exercere negotium, et regalium excubiarum officium tam falubriter quam fideliter adimplere, dum nil nobis occurrere poffit tam tempeftuofum vel turbidum, tamque luci impervium et opacum, quin veftrae luminofae prudentiae jubare ferenetur. Super his igitur veftris falutaribus monitis et informatione gratuita, quibus nos utiliter inftruxiftis, paternitati veftrae uberiores, quas poffumus, grates et gratias exfolventes; et propter haec, et alia plurima nobis magnifica lucidius veftrae dulcifluae voluntatis indicia, nos et noftra quibuslibet veftris nutibus exponentes, de noftrae profperitatis eventibus, quae libenter audire vos credimus, veftris defideriis duximus haec pandenda, quod curiam noftram follempnem in N. copiofà nobis principum affidente caterva, et perelectae militiae comitivâ victoriofà ftipati, cui noftris temporibus vix eft vifa confimilis, celebravimus condecenter in regio potentatu, conftitutionibus congruis editis, plurimis cingulo militari tyronibus decoratis, et omnibus aliis, quae fedentem in throno magnificant regem, et regalem exornant curiam, rite actis, et de contingentibus nil omiffo, licet fedentis ab aquilone calliditas Regis Bohemiae vifa fuerit in occulto, cum nequiviffet in publico noftris celebribus obviare progreffibus, tanquam proficuis et feftivis follempniis intentatione nepharia contraire, qui tamen dexterà Domini faciente virtutem, in fua defecit aftutia, nec profecit. Nos itaque juxta veftrae falutiferae fuggeftionis inftantiam, in emiffione praefentium,

de ſollempnibus nuntiis transmittendis ad Curiam ordinare jam coepimus, prout negotii qualitas expoſcebat; proceſſum verò Curiae praenotatae per ordinem Nuntii noſtri ſollempnes, qui ſubſequenter in proximo vobis apertius et lucidius enarrabunt. Caeterum exhibitorem praeſentium, juxta quod aliàs per dilectum familiarem noſtrum N. exiſtit vivae vocis oraculo commendatus, habeatis, ſi placet, in ſuis agendis favorabiliter recommiſſum.

LXI.

Notificatio de matrimonio inter filiam Rudolfi R. R., et N. fratrem N. contracto.

Vt de fortunatis et proſperis noſtrae felicitatis eventibus, veſtris praecordiis nova novae laetitiae tripudia renoventur: ecce, quod vobis inſinuamus ad gaudii incrementum, quod interveniente conſenſu benivolo N. et de libero ſuae beneplacito voluntatis, inter nos ac N. mediante legitimi copulâ matrimonii, inter illuſtrem N. germanum ipſius, et N. natam noſtram, per jam concepta ſponſalia, ordinata perpetuae familiaritatis et amicitiae foedera ſunt firmata; comproмiſſo nichilominus inter nos et inclytum N. controverſiae materiâ in praedictum N. facto jam pridem â nobis ab ipſo N. penitus diſſoluto. Quae quidem Vobis idcircò liquido ſtilo deſcribimus, ut, ſicut eſtis noſtrorum votivorum ſucceſſuum avidi, ſic efficiamini participes premiſſorum.

LXII.

De eodem.

Contractae jam pridem inter Nos et te veteris amicitiae concordantes, ut de fortunatis et prosperis nostrae felicitatis auspiciis nova laetitiae renovet plenitudo: Ecce, quod tibi significamus ad gaudiosi tripudii incrementum, quod inter Nos et N. per sponsalia jam contracta de matrimonio consummando inter N. fratrem suum, et N. natam nostram perpetuae felicitatis et indissolubilis amicitiae foedera, annuente divina clementia, et N. interveniente consensu benivolo sunt firmata. Et quia N. nuper ad devotionis nostrae conversos obsequia, et se beneplacitis nostris in omni spiritus promptitudine coaptantes, nos decet in oportunitatibus consovere, super controversiae materia inter te, ac ipsos odioso tumultu diutius agitata, dilectum familiarem et militem nostrum ad tuam praesentiam duximus transmittendum, Sinceritatem tuam affectu plenissimo deprecantes, quatenus verbis suis, quae tibi nostro nomine proposuerit, plenam fidem super his adhibeas, tanquam nostris.

LXIII.

Regis Hungariae ad Rudolfum R. R. litterae, de castris ab Ottocaro R. Boh. aliisque adhuc detentis.

Ne diu sermonibus immoremur, sed conscientiae nostrae secreta sermo succinctus percurrat, simpliciter teste altissimo, prout in cordis nostri continetur secretario, profitemur, quod juxta felicis unionis foedera, quibus filialitatis ac societa-

tis vinculis unum ſumus, â veſtris deſideriis noſtra nunquam diſcrepabit intentio, ſed in omnibus, quae veſtris blandiuntur affectibus, ſemper prompti et benivoli aſſurgemus. Sane ad hoc, quod nuper Veſtra Celſitudo regia nobis conquerendo monſtravit, videlicet adhuc quaedam veſtra caſtra â noſtris fidelibus detineri in veſtrum praejudicium occupata, Veſtrae Majeſtati taliter duximus reſpondendum: quod nos ab O. et aliis, qui caſtra praedicta detinent, jam dudum eadem requiſivimus, qui offerunt ſe paratos, quandocunque Veſtrae Serenitati placuerit, coram veſtris Baronibus per omnia facere, quicquid juris fuerit, et conſonum rationi. Propter quod Vobis conſulimus bonâ fide, quod ad terrarum noſtrarum metas et terminos viros idoneos transmittatis, et nos de noſtris aliquos adjungemus, ita, quod in ipſorum, et praedicta caſtra detinentium praeſentia quaeſtio hujusmodi fine amicabili terminetur.

LXIV.

Hortatur Rudolfus etc. N. ut ſibi contra Bohemiae regem ſervitutis ſuae obſequium exhibeat.

Cum, ſecundum quod veriſimilibus conjecturis perpendimus, et certis indiciis experimur, futurarum guerrarum diſcrimina movenda cum inclito Rege Bohemiae evitare aliqualiter non poſſimus, ad quod, ſicut videmus ad oculum, jam res congruè ſe diſponunt: expertae fidelitatis tuae conſtantiam in eo fidei debito, quo nobis aſtringeris, ſerioſè requirimus, et propenſius exhortamur, quatenus, ſi honorem regium, de quo

nequaquam ambigimus, diligis profperari, fi in hofte verfuto nos defideras triumphare, fi de regia Majeftate perpetuis beneficentiae fuae muneribus in te et tuis volueris praemiari, ad noftra et Imperii fervitia pro militia decenti et congrua totis affectibus, totisque viribus ftudeas diligentius laborare, fciturus pro certo, quod fi in his promptae devotionis ftudio votis noftris annueris, et in hoc neceffitatis articulo, in quo fidei tuae fummam volumus experiri, tuae fervitutis obfequio nos duxeris honorandos, in uberi affluentia gratiarum hoc ita compenfare difponimus, quod grata et accepta huiusmodi fervitia grato Domino gratulaberis impendiffe.

LXV.

Rudolfi etc. ad Regem Hungariae, de fuppetiis et auxiliis fibi ferendis contra Ottocarum R. Bohemiae.

Quia, prout ex conjecturis certiffimis colligimus, et effectibus operum de die in diem evidentiùs experimur, cum antiquo hofte noftro Rege Bohemiae guerrarum nos oportet difcrimina denuò inchoare, fidelitatem tuam fub indiffolubili affinitatis idemptitate, quae te prae caeteris nobis unit, ac fidei debito, quo ratione Imperii, noftro te adftringi Culmini recognofcis, requirimus, et fiducialiter obteftamur, quatinus attendens provide, quanta cunctis confanguinitatis, feu affinitatis nobis aftrictis debito, tibi autem praecipue de fortunatis regalium fucceffuum aufpiciis accrefcit gloria, meditansque circumfpecte, fiquod futurae de nobis promotionis et exaltationis beneficium praeftolari volueris, oftendens etiam in hac parte dilucidè, fi ea,

quam de te praesumimus, dilectionis sinceritate felicem negotiorum nostrorum exitum concupiscis, totius diligentiae tuae ad hoc convertas studium, nullis prorsus parcens laboribus vel expensis, quod collecto, quantò decentiore poteris, militiae et aliorum armatorum exercitu, Majestatis nostrae praesentiae te acceleres praesentare. Confidimus enim, et speramus in eo, qui hactenus nostra et Imperii negotia direxit feliciter in salutem, quod mediantibus tuis et aliorum, de quibus specialiter praesumimus, auxiliis et consiliis oportunis, contumacem praedicti hostis nostri superbiam, quâ contra nos insurgit et vehitur incessanter, sic potenter succulcare debeamus, succulcatam sic radicitus extirpare, quod nulla sibi facultas in antea suppetat, contra nos et Imperium quid contumeliae vel gravaminis attemptandi. Caeterum sciat tua strenuitas pro constanti, quod, si, quod absit, in hoc negotio, â quo nostrorum et Imperii, ac inclytae A. Contectalis nostrae, tuae sororis, ac liberorum nostrorum successuum felicium quoad praesentia summa dependet, desidem te probaveris et remissum, nos reverâ vice versa his, quae tuis et tuorum profectibus visa fuerint expedire, eâ mentis alacritate, eâ gratiae nostrae affluentia et favoris praerogativa, sicut hactenus, nullo unquam tempore intendemus.

LXVI.

De matrimonio inter N. filiam Rudolfi etc. et N. fratrem N.

Rem jocundam, et communibus desideriis exoptatam, quae prae caeteris hominum votis gratior ex beneficio naturae suscipitur, per quam

ſceptra regnantium floridâ ſucceſſione beantur, per honorabilem virum N. ad nos â veſtrâ Serenitate transmiſſum, et ſuae legationis officium elegantis et ſedulae propoſitionis eloquio in conſpectu regiae Majeſtatis fideliter adimplentem, laetanter accepimus, utpote unam de noſtris filiabus aut neptibus inclyto fratri veſtro N. couniri matrimonialiter veſtro nomine poſtulantem. Penſato igitur Veſtrae Celſitudinis zelo laudabili, et affectionis inſtantia ponderata, quâ una nobiscum cor unum et eadem anima, prout evidentibus patet indiciis, effici peroptatis, ut animorum affectibus mutuis, concurrentibus utrobique profectibus, in effectus proficui robur inter nos perpetui foederis unio et immarceſcibilis amicitiae palmites adoleſcant: Ecce, quod voto veſtro gratulabundius annuentes, eidem fratri veſtro non neptem, aut ſanguinis propagatione remotam, ſed propriam filiam noſtram Clementiam, de conſenſu Domini . . Summi Pontificis, et de principum et fidelium noſtrorum conſilio per ſponſalia jam contracta ſpopondimus, ut, dum os ex oſſibus, caroque de carne traducitur, tam praeclara connubia nos vobiscum vinculo foederent arctiori, et in obligationem et gratiam duraturae poſteritatis aſcendant. Porrò latores praeſentium, viros utique providos et diſcretos, nobisque ſuae meritis probitatis acceptos, ad Excellentiae veſtrae praeſentiam deſtinamus, Celſitudinem veſtram attentè rogantes, quatenus eos in his, quae negotium ipſum contingere dinoſcuntur, et quae alia quaevis auxilii mutui et confoederationis alternae ſolatia poſtulant, cum exhibitione benignitatis audire dignemini, et benignius exaudire. Et quia in omni promptitudine ſpiritus nos paratos obtulimus ad quaecunque, quae conſummationi negotii pote-

rant expedire, conveniens arbitramur, quod tam in donatione propter nuptias, dictae nostrae filiae assignanda, quam in securitate seu cautione praestandâ, â Vobis vestrisque Principibus super matrimonio consummando, ac etiam expeditione movenda, eosdem nuntios, eo quod hoc utrique parti sit utile, studeatis celeriter expedire.

LXVII.

Credentia.

Quia curam sollicitam tuis novimus insidere praecordiis, nostri profectus augmenta sublimius extollendi: Sinceritati tuae fiducialiter duximus intimandum, quod familiaritatis alternae commercium, si quod inter nos, et inclytum N. unanimitatis et amicitiae delectabili foedere vincietur, â Domino N. duxit originem, et per ipsum fructus optati propagines dante Domino gratiosius adolescent; propter hoc ratum habere per omnia pollicemur, et placitum, quicquid inter nos et N. eundem in bono tractare potueris, et salubriter ordinare, dummodo praedictus tractatus de dicti Domini N. beneplacito et assensu benivolo concludatur.

LXVIII.

Rudolfi etc. ad Summum Pontificem litterae.

Geminae karitatis igniculo dudum calescentia pietatis paternae praecordia mirae prudentiae studiis urbi et orbi prospicientia, copiosae flagrantiae globos ubique disseminant igneos, per quos karitas hactenus refrigescens in pluribus redivivae dulcedinis incrementa suscipiens coalescit et

proficit, condensatis tenebris spargit radios, et lapidea corda mollit, dum vos, quos utique pacis evangelizatores in terris divinae sapientiae inscrutabilis altitudo disposuit, pie ac justè officii crediti debitum exequentes, convertitis corda patrum ad filios, et extinctis ubilibet odiorum seminariis, et avulsis germinibus simultatum, conjungitis labia diffidentium populorum reconciliationis in osculo, et pacatae quietis in otio mundi climata reformatis, truculentae tirannidis rabie quiescente. Igitur pie pater, pastorque salutifer, gregis dominici congregator! super his vestris bonis operibus, quae post nubilum, quod diebus malis contexerat omnem terram, nobis et orbi universo serenius illuxerunt, et specialissime super vestrae benevolae voluntatis et beneficentiae inopinabilis ubertate, teneritudini regiae continuatione gratuita gratiosius irrigatae praetensâ, beatitudinis vestrae pedibus nos quâ decet humilitate provolvimus ad solutiones uberrimas gratiarum. Porrò quia de viâ, quâ prosperè procedendo regnemus, obstantium offensionum repagula removentes, nos voluistis cum inclyto Rege Siciliae speciali familiaritatis et amicitiae vinculo couniri, concepta et ordinata per Vestrae Sanctitatis industriam inter dilectam filiam nostram et nepotem ipsius regis accepti et grati matrimonii foedera, gratulabundius duximus acceptanda; ob haec et alia inenarrabilia circa nos praeimpensa vestrae dulcifluae bonitatis indicia sic revera nos vestris et Sanctae Matris Ecclesiae nutibus exponentes, quod proprio etiam filio, si, quod absit, eum in vestra contingeret intentare dispendia, nostra devotio parcere recusaret. —

LXIX.

Marſchalcum de Cunring ad partes Ottocari R. Boh. denuò defeciſſe, intimat Rudolfus etc.

Noverit tua ſinceritas, quod Marſcalcus N. nunc denuò perverſo ductus ſpiritu ad Regem Bohemiae, qui eodem malo perfidiae eſt infectus, tanquam ad ſuum ſimile, â noſtrâ devotione receſſit, de cujus translatione â fide ad perfidiam deteſtandam, ſicut ſperamus in Domino, nobis ſalus et honor accreſcet, ſibique condigna meritorum hujusmodi reſponſiva.

LXX.

De ſervitiis N. non alibi, ſed in Auſtriae terminis exhibendis.

Super eo, quod tu, utpote honoris regii zelator fervidus et fidelis, tam pronum et benivolum noſtris te offers obſequiis et exponis, tanto tibi regalis noſtra Serenitas regratiatur uberius, quanto ex hoc fidei tuae conſtantia evidentius comprobatur. Sciat itaque tua Strenuitas, quod non alias, ſed ad Auſtriae terminos te ad noſtra et Imperii ſervitia intendimus evocare, nec adhuc in mentis noſtrae reſedit propoſitum, nos ad partes Italiae conferendi, niſi prius confractis Regis Bohemiae contumaciae cornibus, et aliis Alemaniae partibus ad ſtatum pacificum poſitis et locatis, ſic nobis, noſtrisque fidelibus, et univerſis fautoribus caveatur, quod alicujus principis vel alterius indevoti â tergo relicti contumacem pertinaciam nos oporteat formidare.

LXXI.

Ut N. ulteriùs Rudolfi etc. contra Ottocarum R. Boh. negotia fideliter profequatur.

In eo, quod tu, tanquam honoris regii zelator fervidus et fidelis, dilectos fideles noftros N. noftris fervitiis attraxifti, fidei tuae puritas clarius nobis patet; fuper quo tibi Regalis noftra Serenitas gratiarum actiones referre non definit multiformes, rogantes attente, quatinus eo follicitudinis fervore, ficut hactenus, univerfa noftra contra Regem Bohemiae negotia et agenda efficaciter profequaris; fperamus enim, quod in brevi per Dei gratiam contra praedictum Regem Bohemiae fic feliciter noftra dirigentur negotia, quod confractis et concuffis rebellionis fuae cornibus, praefati Regis infultus te et alios noftros fideles non erit neceffum formidare.

LXXII.

De fubfidio contra Ottocarum R. Boh. ferendo, — hujus aftutia, — Henrici de Cunring Marfchalci perfidia etc.

Vt emergentium apud nos novitatum multiplicitas te non lateat, fcire debes, quod Marfcalcus de N. nunc de novo perverfo ductus fpiritu ad Regem Bohemiae, qui eodem malo perfidiae eft infectus, tanquam ad fuum fimile â noftra devotione receffit, de cujus translatione â fide ad perfidiam deteftandam, ficut fperamus in Domino, et infallibilibus etiam argumentis

didicimus, nobis et fidelibus noſtris ſalus et honor accreſcit, cum infinitae contra nos perfidiae materiam conceperit, quam cooperante altiſſimo ſic detectam evaſimus gratioſe. Rex etiam Bohemiae non valens amplius ſuam perfidiam occultare, ad delendam noſtri nominis pulcritudinem et honoris, in tantae calliditatis aſtutia elaborat, quod cum eodem nullo modo poſſumus guerrarum diſcrimina evitare. Igitur tibi ad memoriam revocantes, qualiter nobis ex internae familiaritatis, et debitae fidelitatis nodulo aſtringaris, rogamus, et monemus ſinceritatem tuam affectione quâ poſſumus ampliori, quatenus in hoc neceſſitatis tempore ergà nos non deficiat fides tua, ſed ſuſcepto pro qualitate praeſentis temporis, quod amicos examinat, amplioris ferventiae incentivo, te corde et animo, poſſe et viribus, pro habendâ militiâ, ſicut honorem noſtrum et tuum diligas, ſic convertas, ut ſtatim C. et XL. dextrarii cooperti nobis mittantur, per quorum ſuffragium nos ſperamus, tuum et aliorum amicorum noſtrorum adventum poſſe ſine magno honoris diſpendio exſpectare. Caeterum latere te nolumus, quod illuſtris O. filius fratris tui nuper nobis ſuas tranſmiſit litteras, humili prece depoſcens, ut ſibi N. apud Anaſum dignaremur mittere in occurſum; cujus nos votis et precibus annuentes, dictum N. ad locum praedictum duximus deſtinandum, et quicquid ibidem tractatum fuerit, tibi procul dubio reſcribemus; nec tamen quicquam ibidem ordinabitur te inſcio, ſeu etiam inconſulto.

LXXIII.

Ut N. amplius pertractet Rudolfi R. R. negotia apud ejus filium.

Contractam inter Nos et te à creationis noſtrae principio familiaritatem prae oculis collocantes, ad tui favoris auxilium in noſtrae neceſſitatis articulo tantò confidentius duximus recurrendum, quantò ferventius te ad noſtrum et Imperii honorem feliciter ampliandum, ergà filium noſtrum et alibi ſemper agnovimus aſpiraſſe. Eja igitur fidelis eggregie, amice probate! quia tuo ſuffragio nunc ſpecialiter indigemus, tende animum vigilem, et facundum pectus erige, apud praefatum filium noſtrum negotiis noſtris invigila, non dormita! ipſum ad proſequenda viriliter, quae nunc ſunt prae manibus, et incumbunt, negotia oportunis exhortationis tuae ſollicite ſtimulis incitando. Nos enim revera, ſiquid per nos ergà tuam perſonam benè meritam hactenus eſt neglectum, ſi tuis meritis meritoriis non reſpondimus aequà lance, hoc in antea ſic rectificare diſponimus, adeoque gratuite compenſare, quod hoc in honoris et commodi tui perpetuum redundabit augmentum.

LXXIV.

De Curia Imperii Bopardiae celebrandà.

CURIA.

Preſſuras et gemitus afflictorum Imperii miſerantes, et cupientes tranquillitati et paci ejusdem Imperii pulſis calamitatibus et tribulationibus diuturnae tyrannidis, quae praevaluit, et in-

valuit praepotenter, deinceps salutari remedio providere: Ecce, quod in instanti proximo festo N. sollempnem curiam apud N. duximus edicendam, ubi de reformatione collapsi statûs Imperii, et pacifico statu terrae, intendimus nobis conspirante divina clementiâ, prosperum et salubrem habere tractatum. Hinc est, quod vestram prudentiam ampliori, qua possumus, precum affectione requirimus et rogamus, quatenus sollempnitati tam celebri studeatis ob nostram et Imperii reverentiam in condecenti honorificentia, apparatu congruo interesse.

LXXV.

Ut Rex Franciae Metensibus, ab Imperii gremio longè diffitis, protectionem largiatur.

(Forte et Leodienses concernit.)

Adjecit nostrae felicitatis auspiciis incrementa congaudii latioris, quod, sicut celebris famae clangente praeconio, et N. enarratione didicimus, integra fides vestra, nativis erecta potentiis, et instinctu benivolo provocata, quam ad nos et sacrum Imperium geritis incessanter, silere non patitur, nec quiescere zelum vestrum, quin in publicae notionis exteriora prosiliens, ea, quae nobis honoris augmento cessura cognoscitis, et quieti fidelium conspirent, libenter et liberaliter prosequimini cum effectu. Hunc itaque vestri gratiosi favoris applausum ergà praedictos N. à vobis affluentissime sentientes effusum, Serenitati Vestrae ad grates uberrimas inclinamus, affectu plenissimo vos rogantes, quatenus antedictis N. ab Imperii gremio longè sepositis, prout laudabiliter inchoastis, defensio-

nis necessariae praetendatis umbraculum, quo tranquillè dispositi, nullum prorsus adversi gravaminis sentiant nocumentum; propter hoc enim nos in vestris agendis invenietis ultroneos, et experiemini liberaliter operosos.

LXXVI.

De miserâ interemtione Wilhelmi Com. Iuliaceñ. et filiorum suorum, â civibus Aquens. factâ.

Factum detestabile et nephandum, casus miserabilis et stupendus, in Spectabilis Viri, quondam W. Comitis Iuliaceñ. hominum et filiorum suorum interemptione crudeli, per cives Aquenses inciviliter perpetratus, tanto ampliori compassionis moerore perturbat et afficit mentem nostram, quantò singulariori favoris praerogativa eundem semper fuimus amplexati, quantò etiam puriori devotionis et fidei puritate idem nobis et Imperio dinoscitur invariabiliter adhaesisse. Sane, licet praedicti cives suae causas innocentiae aliquales, quas tamen nequaquam admittimus, conentur praetendere, dicentes, hoc ex casu fortuito processisse: nos tamen ad correctionem condignam patrati facinoris, quam primum ad partes illas nos declinare contigerit, intendemus; quapropter Sinceritatem tuam requirimus cum affectu, quatenus in capienda vindicta enormitatis hujusmodi usque ad adventum nostrum, quem dante Domino proximum suspicamur, pro nostrâ reverentiâ et honore proroges et suspendas animi tui motum; nos enim tunc excessus tam graves et asperos in rigore justitiae taliter puniemus, quod acerbi doloris affectum, quem

ex caſu tam lugubri percepto concepimus, evidenter cognoſcere poteris operis per effectum. —

LXXVII.

Privilegium ſuper terris.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri ac Domino, Domino Nicolao Papae III. Rudolfus dei gratia Romanorum Rex ſemper auguſtus, ad perpetuam rei memoriam.

Summa Reip. tuitio, de ſtirpe duarum rerum, Sacerdotii et Imperii, divina inſtitutione proveniens, vimque ſuam exinde muniens, humanum genus ſalubriter gubernabit in poſterum, et reget Deo propitio in aeternum. Haec ſunt duo dona Dei, maxima quidem in omnibus, â supernâ collata clementiâ, videlicet auctoritas ſacra Pontificum, et regalis excellentia poteſtatis. Haec duo Salvator noſter, mediator Dei et hominum Ihc Xpc. ſic per ſe actibus propriis, et dignitatibus diſtinctis exercuit, ut utrāque ab ipſo, tanquam ex uno eodemque principio manifeſtè procedere omnibus indicaret. Ab eo igitur ſolo vivo et vero Deo recognoſcentes omnia, â quo reges et regna ſumpſere principia, et ſacroſanctae Rom. Eccleſiae beneficia ergà nos innumera recolentes, plenis excitamur affectibus, ea, quae poſſumus, illi retribuendo rependere, â quâ nobis et noſtris praedeceſſoribus Regibus Rom. tam grandia, tam excellentia dona conſpicimus eſſe tributa. Praefati itaque praedeceſſores ad magnificentiam munerum, et gratiarum quodammodo ineffabilem largitatem, quae de ipſius matris Eccleſiae uberibus ſuſceperunt, faciem gratitudinis convertentes, nec minus attendentes, quod eadem mater

Ecclesia ipsos in dulcedinis benedictione praeveniens, transferendo de Graecis Imperium in Germanos, eisdem dederat id, quod erant, ut grati praedicarentur filii laudabilis recognitionis effectu, inter caetera, quae ipsi Rom. Ecclesiae confirmarunt, dimiserunt, seu etiam concesserunt totam terram, quae est de Radicofano usque Ceperanum, Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoletanum, terram Comitisse Metildis, Comitatum Bretenorii, Exarchatum Ravennae, Pentapolim, Massam Grebariam, cum adjacentibus terris, et omnia alia bona, terras, possessiones, et jura, ad Rom. Ecclesiam pertinentia, in multis privilegiis Imperatorum â tempore Lodoici expressa sive contenta, ipsi beato Petro caelestis regni clavigero, ejusque successoribus, et Rom. Ecclesiae dimiserunt, renuntiaverunt, restituerunt, et confirmaverunt ad omnem scrupulum removendum, prout melius valeret et efficacius posset intelligi, concesserunt, et etiam donaverunt, sicut in eorum privilegiis seu litteris continetur. Nosque postmodum, prout Deo placuit, ad Regalis Excellentiae Culmen assumpti, ut de susceptis donis innumeris, quae de manibus dictae Matris accepimus, non minoris recognitionis debitum solveremus, praedicta omnia in praesentia recolendae memoriae Domini Gregorii Papae X. recognovimus, et ea omnia et singula ipsi pro Rom. Ecclesia, se, suisque successoribus recipienti confirmavimus, innovavimus, et de novo concessimus atque donavimus, ipsa nihilominus proprio praestito corporaliter juramento firmantes. Verùm quia postmodum absque nostro consensu, conscientia, vel mandato, Rudolfus Cancellarius noster â civibus Ravennateñ. Bobieñ. Cesenateñ. Foropopulieñ. Forlivieñ. Faventiñ. Ymoleñ. Bononieñ. Vrbinatibus, ac

hominibus Montisferetri Bretenorii, nec non et aliis aliarum civitatum, seu illarum partium et locorum, quae ipsius Ecclesiae Rom. juris existunt, juramentum fidelitatis nomine nostro dicitur recepisse: Nos conspicientes, id in praejudicium juris dictae Matris Ecclesiae subsecutum, quicquid per eundem Cancellarium, seu quemcunque alium in praedictis civitatibus, locis, et terris, seu per homines ipsorum, civitatum, terrarum, atque locorum actum, gestum, recognitum extitit, sive juratum, et specialiter praedicta juramenta remittimus, relaxamus, et eis renuntiamus, ac praedicta omnia revocamus, cassamus, annullamus, irritamus, cassa et irrita nuntiamus, ac omnibus juribus vacuamus, volentes, statuentes, ac consentientes expresse, quod per id nullum jus nobis et Imperio accrescat, vel ipsi Rom. Ecclesiae depereat tam circa possessionem, quam circa proprietatem in civitatibus, terris, et locis praefatis, ac hominibus, juribus, et jurisdictionibus eorundem. Et quia decet regales actus in omni claritate procedere, ut omnem obscuritatem, quam frequenter generalitas consuevit inducere, nostra tollat regalis expressio, ac jura ipsius Matris Ecclesiae per nostram declarationem, quam decernimus esse perpetuam, plenarie solidentur, recognoscimus, fatemur, et oraculo praesentis edicti ad aeternam memoriam declaramus, Civitatem Ravennateñ. et Emiliam, Bobium, Cesenam, Foropopulum, Forlivium, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, Adrianis atque Gabellum, Ariminum, Vrbinum, Montem Feltri, Territorium Balnen. suprascriptas provincias, civitates, loca, et territoria, nec non et omnia supradicta cum omnibus finibus, territoriis, atque insulis in terrâ marique

ad provincias, civitates, et territoria et loca praedicta quoquo modo pertinentibus, ad beatum Petrum coeleſtis regni clavigerum, et ad Vos Patrem ſanctiſſimum, Dominum Gregorium Papam III. et ad ſucceſſores veſtros Romanos Pontifices et ad ipſam Rom. Eccleſiam pleno jure ac integrè, non ſolum in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus ſolidum pertinere, ac veſtris et ipſius Rom. Eccleſiae pleni jurisdictionis et principatûs exiſtere, et ad omnem dubitationis ſcrupulum inpoſterum abolendum, et ut noſtra devotio ergà ipſam Matrem Eccleſiam clariùs eniteſcat, praedicta omnia et ſingula tam propriis, ſeu ſpecialibus provinciarum, terrarum, civitatum, atque locorum expreſſa vocabulis, quam etiam non expreſſa, prout melius et efficacius valet intelligi, ipſi beatiſſimo Petro, et Vobis, ſanctiſſime Pater, Domine Gregori Papa III. et per vos ſucceſſoribus veſtris Rom. Pontificibus, et ipſi Rom. Eccleſiae de novo libere et plenarie concedimus, conferimus, et donamus, ut ſublatâ omnis contentionis et diſſenſionis materia, firma pax et plena concordia inter Eccleſiam et Imperium perſeverent. Vt autem haec omnia Vobis memorato ſanctiſſimo Patri Domino Gregorio, ſacroſanctae Rom. Eccleſiae Summo Pontifici, Veſtrisque ſucceſſoribus, et ipſi Rom. Eccleſiae per nos, et noſtros ſucceſſores Rom. Reges et Imperatores in perpetuum obſerventur, firmaque ſemper et inconvulſa permaneant, praeſens noſtrae recognitionis, declarationis, conceſſionis, et donationis privilegium de conſcientia noſtra et expreſſo mandato conſcriptum, juſſimus aurea bulla typario noſtrae Majeſtatis impreſſâ muniri, ac ipſum ad perpetuam ſoliditatem et certitudinem Vobis, et ipſi Rom. Eccleſiae exhiberi. Pro-

mittimus insuper, quod, postquam Romam ad recipiendum unctionem, coronationem, et imperiale dyadema pervenerimus, ipsaque perceperimus, infra octo dies praemissa omnia et singula innovabimus, et de novo integrè ac plenariè faciemus. Actum etc.

LXXVIII.

Privilegium pro Curiâ Romanâ.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis.

Rudolfus divina favente Clementia Romanor. Rex semper augustus. Ab eo solo, per quem Reges regnant, et potentes scribunt justitiam, recognoscentes inaestimabilem nostrae promotionis gratiam, qui regali jam in nobis culmine consummato, nos ad obtinendum Imperialis gloriae solium, sua solâ pietate disponens, ut non solum cum principibus sedeamus, sed ut illis praesideamus, erexit, Sanctaeque Matris Ecclesiae, ac vestra, Pater reverendissime, Domine Gregori, divina providentia Papa III. immensa beneficia, quibus nos in benedictione dulcedinis praevenistis, felicibus eiusdem promotionis nostrae auspiciis, multiplicibus concurrendo favoribus, et ipsam favorabilis prosecutionis auxiliis consovendo, attenta sollicitudine recensentes, reddimur corde solliciti, cogimur cogitare profundius, quâ tantae dignitatis gratiam dignâ saltem, prout humana insufficientia sufficit, gratitudine prosequamur. Illi ergò, â quo cuncta procedere novimus, et humiliter confitemur, quod ab eo recepimus, offerentes ejus et Apostolicae sedis, ac vestris obsequiis, nos, quidquid possumus, quidquid sumus, in perpetuum, humili voto, et incommutabili proposito, de-

vovemus, Vobisque beatiſſime Pater, ac omnibus ſucceſſoribus veſtris catholicis, ac eidem Sanctae Rom. Eccleſiae, ſpeciali matri noſtrae omnem obedientiam, honorificentiam, atque reverentiam ſemper humili corde ac devoto ſpiritu impendemus, quam praedeceſſores noſtri Reges et Imperatores Catholici veſtris anteceſſoribus impendiſſe noſcuntur, nihil exinde volentes diminui, ſed magis augeri, ut magis noſtra devotio eniteſcat. Illum igitur abolere volentes abuſum, quem interdum quidam praedeceſſorum noſtrorum exercuiſſe noſcuntur et dicuntur in electionibus Praelatorum, concedimus et ſancimus, ut electiones Praelatorum libere et canonice fiant, quatenus ille praeficiatur Eccleſiae viduatae, quem totum Capitulum, vel major et ſanior pars ipſius duxerit eligendum, dummodo nihil deſit de canonicis inſtitutis; appellationes autem in negotiis et cauſis Eccleſiaſticis ad ſedem Apoſtolicam liberè fiant, earumque proſecutionem ſive proceſſum nullus impedire praeſumat. Illum quoque dimittimus et refutamus abuſum, quem in occupandis bonis decedentium Praelatorum, aut etiam Eccleſiarum vacantium, noſtri conſueverunt anteceſſores committere pro motu propriae voluntatis. Omnia verò Spiritualia, Vobis, et aliis Eccleſiarum Praelatis relinquimus liberè diſponenda, ut, quae ſunt Caeſaris, Caeſari, et quae ſunt Dei, Deo recta diſtributione reddantur. Super eradicando autem haereticae pravitatis errore auxilium dabimus, et operam efficacem. Poſſeſſiones etiam, quas Rom. Eccleſia recuperavit, ab anteceſſoribus noſtris ſeu quibuslibet aliis ante detentas, liberas et quietas ſibi dimittimus, et ipſam ad eas obtinendas bonâ fide promittimus adjuvare; quas verò nondum recuperavit, ad recuperan-

dum erimus pro viribus adjutores, et quaecumque ad manus noſtras devenient, ſine difficultate ac morâ ei reſtituere ſatagemus. Ad has pertinet tota terra, quae eſt in Radicofano usque Cepanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoleti, Terra Comitiſſae Methildis, Civitas Ravennae, et Emilia, Bobium, Ceſena, Forum populi, Forlivium, Faventia, Ymola, Bononia, Ferraria, Comaclum, Adrianis, atque Gabellum, Ariminum, Vrbinum, Mons feltri, Territorium Balneñ. Comitatus Bricenorii, Exarchatus Ravennae, Pentapolis, Maſſa, Trabaria, cum adjacentibus terris et omnibus aliis, ad Rom. Eccleſiam pertinentibus, cum omnibus finibus, territoriis, atque inſulis in terrâ marique, ad provincias, civitates, territoria et loca praedicta quoquo modo pertinentibus, ut ſupraſcriptas provincias, civitates, loca, et territoria, nec non et omnia ſupradicta habeat Romana Eccleſia in perpetuum cum omni jurisdictione, diſtrictu, et honore ſuo; veruntamen cum ad recipiendum Coronam Imperii, vel pro neceſſitatibus Eccleſiae ab Apoſtolica ſede vocati venerimus, de mandato ſummi Pontificis recipiemus Procurationes ſive fodrum ab ipſis. Omnia igitur ſupradicta, tam propriis ſeu ſpecialibus provinciarum, terrarum, civitatum, atque locorum expreſſa vocabulis, quam etiam non expreſſa, et quaecunque alia pertinent ad Rom. Eccleſiam, de voluntate et conſcientia, conſilio et conſenſu Principum Imperii, libere illi dimittimus, renuntiamus, et reſtituimus, nec non ad omnem ſcrupulum removendum, prout melius valet et efficacius intelligi, de novo concedimus, conferimus, et donamus, ut ſublata omnis contentionis et diſſenſionis materia, firma pax et plena concordia inter Eccleſiam et

Imperium perſeverent. Adjutores erimus ad retinendum et defendendum Eccleſiae Rom. Regnum Siciliae, cum omnibus ad ipſum ſpectantibus, tam citra Farum, quam ultra, nec non Corſicam et Sardiniam, et caetera jura, quae ad eam pertinere noſcuntur, tanquam devotus filius et Catholicus Princeps. Promittimus quoque beato Petro, caeleſtis regni clavigero, ac Vobis Patri ſanctiſſimo, ipſius beati Petri, caeterisque veſtris ſucceſſoribus, et eidem Romanae Eccleſiae, quod per Nos vel per alium ſeu alios non occupabimus, nec invademus, in totum, vel in partem aliquas terras ipſius Eccleſiae Rom. aut vaſſallorum ejus, quas ſub jure feodi, vel ſub cenſus ſeu alterius praeſtationis titulo, ſeu alio quocunque modo tenent ab ipſa Eccleſia, nec eas vel earum aliquam procurabimus occupari per alium ſeu alios, vel invadi, quin etiam nec ipſas, nec tenentes easdem, ſe vel terras ipſas nobis ultrò volentes ſubjicere, nec officium aliquod aut dignitatem, vel quamcunque poteſtatem in terris eisdem, et ſpecialiter in Civitate Rom. recipiemus ſub quocunque colore, ſine veſtrâ ſeu ſucceſſorum veſtrorum licentia ſpeciali; et ſiqui eas occupare vel invadere temptarent, non ſolum denegabimus eis auxilium, conſilium, et favorem, publicum et occultum, verum etiam ad requiſitionem veſtram, veſtrorumve ſucceſſorum, adjutores erimus contra illos in defendendis et conſervandis eisdem, nec offendemus per nos vel per alium vaſſallos Eccleſiae ipſius, et ſpecialiter magnificum Principem Dominum Karolum Regem Siciliae illuſtrem, ſeu heredes ipſius, nec volentibus ipſum offendere, praeſtabimus auxilium, conſilium, vel favorem, publicè vel occultè, nec Regnum Siciliae, quod idem Rex Karolus ab eadem

Romana tenet Ecclesia, vel aliquam ejus partem occupabimus, aut invademus per nos vel per alium, aut occupari vel invadi procurabimus, nec invadere aut occupare temptantibus praestabimus publicum vel occultum auxilium, consilium, vel favorem. Alios etiam devotos ipsius Ecclesiae, qui eidem Ecclesiae astiterunt contra Fridericum olim Romanorum Imperatorem, heredes aut successores ipsius, propterea non gravabimus, sed nichilominus favorabiliter prosequemur; vassallos autem nostros contra praedictorum aliquid facientes compescemus pro viribus bonâ fide. Servabimus propterea, et faciemus omnia et singula, quae in Canonibus positis sexagesima tertia distinctione, quorum quidem Canonum alter: Ego Lodoicus, alter verò: Tibi Domino Papae, incipit, continentur. Postquam autem Romam ad recipiendam unctionem, coronationem, et Imperiale dyadema pervenerimus, ipsamque perceperimus, praemissa omnia et singula innovabimus, seu de novo faciemus, et sine aliqua difficultate juramenta praestabimus, quae Imperatores Rom. hactenus praestiterunt. Promittimus insuper, quod bona fide, sine fraude ac malo ingenio procurabimus, quod omnes Principes Alemaniae Laici promittent, et jurabunt, se bona fide curaturos et facturos, quod Nos praemissa omnia et singula inviolabiliter observemus; et, si, quod absit, eadem non servaremus, ipsi Principes nobis in hoc aliquatenus non assistent. Vt autem haec omnia Vobis etc. (ut in l̄ra p̄cedenti.) —

LXXIX.

Narratio de proelio Rudolfi R. R. cum Ottocaro R. Boh. commiſſo, eiusque eventu.

Si ſcirem, vel poſſem, quomodo aut qualiter pro impenſis mihi à veſtra Sinceritate multiplicibus curialitatum et honorum inſigniis condignas Vobis gratiarum actiones exſolverem, aut quomodo pro ſuſceptis tam gratis beneficentiae veſtrae dulcoribus ad veſtri honoris augmentum me veſtris obſequiis utiliter applicarem, ad id revera gratum et hilarem gererem animum et affectum; ſemper enim apparere et exercitari delectabor ex intimis in his, quae in veſtri honoris et gloriae convaleſcere poterunt incrementum. Sane, ut ſtatus Domini noſtri Regis proſper et floridus ſe â veſtra notitia non occultet, vobis duxi praeſentibus intimandum, quod idem Dominus noſter nuper Danubium tranſiens contra Regem Bohemiae, qui cum paucis finales terminos Auſtriae ſubintraverat, magnifice ſe accinxit, volens divino praeſidio ipſum omninò conterere, aut profugum in Bohemiae partibus occupare. Praedictus ſiquidem Rex Bohemiae, neſcio quo ſpiritu, vel quo ductus conſilio, paucâ comitatus militiae comitiva terram ſubiit antedictam; nam annumeratis plebeis hominibus, et bubulcis inermibus in numerum computatis, ſumma ſui exercitus vix ad ſex milia ſe extendit; ſolus autem Vngariae Rex inclytus cum XL. milibus Vngarorum, et XVI. milibus Cumanorum, Domini noſtri obſequiis ſe aptavit; qui eundem Dominum noſtrum, quem in patrem elegit, filiali affectione proſequens, licet allectus variis promiſſionibus, et ſollicitatus quam

pluribus blandimentis à Rege Bohemiae, ipsi, videlicet Domino nostro, indissociabiliter se conjunxit, secum in omnes, quos fortuna tribuit, accinctus eventus. Sed ecce, praefati Regis meticulositas non valens latere diutiùs, cum Dominum nostrum, et Regem Vngariae castra movisse, et conjunctos esse adinvicem percepisset, statim ad dimidii miliaris spatium retrocessit, duo castra fidelium Domini nostri, quae ante progressum ejus, per inhabitatores famulos ad manus suas traditorie pervenerant, praecipiendo quantocyus demoliri. Ex quibus inter vos discutite, et discutiendo cognoscite, quod praefatus Rex Bohemiae Domino nostro non valens nec sperans resistere, contendit fugae praesidio se salvare.

LXXX.

Ad Summum Pontificem, pro dispensatione connubii, Landgravio Hassiae impendendâ.

Illustris Lantgravius Hassiae, princeps noster karissimus, tam gratis et utilibus suae devotionis obsequiis nobis et Imperio incessanter à creationis nostrae principio se placitum reddidit et acceptum, quod ad ejus augendos honores, et commoda dilatanda meritò semper anxii esse tenemur, solliciti, et intenti. Cum itaque dictus Lantgravius Nobili Matronae, quondam . . illustris Ducis Brabantiae filiae, cui in quarto consanguinitatis gradu conjungi dinoscitur, per conjugalem copulam sit unitus, et dies huic vitae concessos cum ea deducere nequeat sine salutis suae perpetuo detrimento, nisi vestrae

dispensatoriae dignitatis beneficio relevetur: paternitatem vestram humili precum instantia duximus exorandam, quatenus rigore juris dispensatoriae lenitatis gratia temperato, cum dicto Lantgravio, ut uxori suae praedictae cohabitare legitime valeat, de consueta benignitate dignemini misericorditer dispensare, maximè cum, si inter ipsos severitate correctionis ecclesiasticae divortium attemptari contingeret, illud gravia inter amicos utriusque conjugatorum suscitans scandala, infinita personarum et rerum dispendia generaret. —

LXXXI.

De proelio inter Rudolfum R. R. et Ottocarum R. Boh. commisso.

Multas obprobriosas injurias, quas quondam O. Rex Bohemiae illustris, nobis et Imperio contra fidei suae nobis praestitum sacramentum, prout paucos latet in saeculo, multotiens temerè irrogavit, dissimulare salvo honore Imperii diutius non valentes, cum eo qui de diversis mundi partibus infinitam militiam muneribus suis corruptam, in nostram et Imperii subversionem omnimodam congregavit, congredientes intrepidè, eum gladiorum nostrorum ictibus fecimus interire, et cum eo regni Bohemiae potiores; reliqui verò se ad fugae praesidium convertentes, aut ab insequentibus sunt detenti, aut in fluvio adjacente submersi, quorum omnium numerus ad duodecim milia aestimatur. Et quia haec non nostra, sed illius . . . sunt opera, cui est aeque facile, in paucis vincere, et in

multis: rogamus, ut ſuper tam glorioſo triumpho nobis congaudeas, et magnifices omnium ſalvatorem.

LXXXII.

Rudolfus R. R. notificat Summo Pontifici eventum proelii, inter ſe, et Ottocarum R. Boh. commiſſi. —

PAPAE.

Oportunum fore credimus, Apoſtolicae Sanctitati deſcribere, quis eventus finiverit litem illam, quâ quondam O. illuſtris Rex Bohemiae, infatigabilis Reip. fatigator, noſtraeque ſalutis et vitae notorius perſecutor, ſe adverſum nos et Rom. Imperium improvide elevavit, poſt praeſtita nobis, et ab ipſo male contempta fidelitatis et homagii ſacramenta. Dictus ſiquidem Rex in feſto pentecoſtes proxime praeterito contra terras Imperii caſtra movens, ipſasque rapinarum et incendiorum vaſtitati ſubjiciens, caſtra quaedam et opida hoſtiliter expugnavit, tot et tantis dampnoſis injuriis, et probroſis contumeliis et contemptibus nos impellens, quod ad ſtatum Reip. defendendum, cujus idem Rex penè ſuffoderat fundamenta, oportuit ſaltem ſerò gladii nobis à Deo commiſſi educere poteſtatem. Sic itaque in caſtro ([a]) beati Bartholomaei Apoſtoli nos et filius noſter, et amicus kariſſimus, Rex Vngariae illuſtris, eo loco locavimus caſtra noſtra, ubi ab exercitu Regis Bohemiae vix ad miliare theutonicum diſtabamus. Manè verò

(a) forte: *craſtino*.

ſextae feriae, aeterni Dei auxilio invocato proceſſimus, ſignisque belligeris elevatis eo pervenimus, ubi Rex Bohemiae diſpoſitis aciebus finem praelii exſpectabat. Illic milites utriusque, dum ſigna hinc inde perſpiciunt, fero impetu glomerantur in unum, illic de virium paritate inter nos ſtrictis enſibus diſputatur; tantus quoque inerat parti utrilibet triumphandi affectus, ut morte victoriam comparare, et vincere moriendo, rem dignam et debitam quilibet aeſtimaret. Illic milites ſtrenui equorum ungulis ſubſternuntur, illic tanto ſanguine humano terra perfunditur, ut nedum pugnantibus, ſed et pugnae duritiam intuentibus, vitae taedium eſſe poſſet. Tandem verò militia noſtra non ſuâ, ſed Dei omnipotentis virtute praevalens, milites Regis Bohemiae in amnem vicinum impulit, ubi ferè omnes aut gladio interempti, aut flumine ſuffocati, aut capti ab hoſtibus defecerunt, ſic, quod fugae praeſidium paucis profuit; nam ferè omnes apud nos aut capti aut mortui remanſerunt. Licet autem Rex praedictus militum ſuorum agmina diſſipata videret, ſeque ferè ab omnibus derelictum, adhuc tamen victricibus ſignis noſtris cedere noluit, ſed more et animo gygante, virtute mirabili ſe defendit, donec quidam ex noſtris militibus ipſum mortaliter vulneratum unâ cum dextrario dejecerunt; tunc demum ille Rex magnificus cum victoria vitam perdidit, quem non noſtrae potentiae fortitudo, ſed Dei excelſi dextera cauſam noſtram miſericorditer judicans interemit. Nos igitur haec et alia beneficia ab eo, qui nobis eadem contulit, humiliter cognoſcentes, et ad laudem et gloriam ſanctiſſimi ſui nominis referentes, ad omne illud, quod gratum altiſſimo Regi Dei filio Ihu Xpo eſſe ſci-

verimus, devotiori promptitudine noſtram ſollicitudinem convertemus. —

LXXXIII.

Litterae credentiales ad Summum Pontificem directae.

PAPAE.

Inmenſa divinae bonitatis clementia quanto profuſius nobis affluit, tanto ſtrictius nos adſtringit, ut ejus nos beneplacitis conformemus humiliter, qui humiliatis noſtris hoſtibus, noſtrisque viribus roboratis, manſuetudinis noſtrae ſolium eorum proterviae praetulit excellenter. Et quia Vos Patrem ſanctiſſimum nihil aliud velle credimus, nihilque aliud affectare ſperamus, quam ut ejus ſequamini, cujus vices geritis, voluntatem: ecce, quod ad omnia et ſingula pro veſtro beneplacito conſummanda, quae pro negotiis Rom. Eccleſiae petiviſtis à nobis, N. deſtinavimus ad Veſtrae praeſentiam Sanctitatis, plenum habentes à nobis mandatum, tam ad veſtra, et Rom. Eccleſiae explenda negotia, ſive facta, ſicut in veſtris petitionibus continetur, quam etiam ad ea, quae honorem noſtrum, et bonum ſtatum Romani Imperii pertinent, apud Veſtram Clementiam procuranda; non obſtante, quod in quibusdam noſtris aliis litteris priùs datis N. cum N. noſter conſtituitur Procurator ad omnia ſupradicta complenda; nos enim, quantum ad perſonam praedicti pertinet, voluntate mutatâ, praedictum Magiſtrum N. in locum ejus ſubrogavimus, quem tam veſtris quam noſtris exequendis negotiis praedicto Praepoſito novimus aptiorem.

LXXXIV.

Privilegium libertatum civium in Znoim.

Dilectis fidelibus, noſtris civibus Znoimeñ. qui ſe ipſos et civitatem noſtrae et Romani Imperii jurisdictioni tam liberaliter, quam fideliter ſubjecerunt, regalis gratiae plenitudinem plenè contulimus, eosque in noſtrum favorem collegimus ſpecialem; et ut prompta eorum devotio aliis ſit exemplum, ad ſinum noſtrae clementiae fiducialiter transeundi, nos praedictis civibus omnes gratias, libertates, et jura, ſeu praedia vel poſſeſſiones, quae vel quas â quondam O. illuſtri Rege Bohemiae, vel ſuis progenitoribus uſque ad haec tempora tenuerunt, rata habemus et grata, easque et ea ipſis civibus tenore praeſentium confirmamus; quorum jurium, gratiarum, et libertatum, ipſis â terrae principibus indultarum aliquas in ſpecie duximus exprimendas: primò videlicet eisdem civibus noſtris annuimus, ut thelonium ſalis, ac officium, quod Schrotampt vulgariter appellatur, pro roboratione et reparatione civitatis perpetuò, priſtino morè recipiant, ipſam civitatem ubilibet, ubi opus fuerit, dictorum officiorum redditibus congruè muniendo. Item concedimus eisdem, ut univerſis juribus, quibus noſtra civitas Wieneñ. gaudere dinoſcitur, perfruantur. Praeterea tres villas, videlicet N. quas ab antiquo poſſediſſe noſcuntur, ipſis poſſidendas perpetuò tradimus et donamus. Item promittimus, et ad hoc nos praeſentibus obligamus, quod praedictos cives noſtros, et civitatem ipſam nullo unquam tempore â nobis alienabimus, aut alteri committemus, ſed ipſos noſtro et Imperii dominio perpetuo volumus reſervare. In favorem quoque civium praedictorum ſtatuimus, ut in-

fra unius miliaris ſpatium à civitate praedicta, nulla à quoquam braxetur cerevifia, exceptis ſolis nobilibus, quibus pro ſe et ſua familia ipſa braxatio indulgetur. Item eisdem civibus noſtris hoc etiam indulgemus, ut univerſos debitores eorum pro rebus ſuis ipſis traditis poſt lapſum ſolutionis terminum non ſolum in rebus ſuis, verùm etiam in perſonis propriis libere valeant uſque ad ſolutionem creditorum congruam detinere, dummodo tamen conſtet, dictos creditores ſe ad detentionem huiusmodi, ſi in ſolutione deficerent, ſpontanee obligaſſe. Nos quoque cives noſtros praedictos praeter has veteres, his novis gratiis habundare volentes, per continuum quinquennium ipſos plenâ gaudere volumus libertate ab omni exactione ſive angaria liberatos. Volumus etiam, et eisdem concedimus, ut infra ſpatium unius miliaris nobis et Imperio mutas ſeu vectigalia nulla ſolvant, ſuper quibus infra praedictum miliare perpetuam eis concedimus libertatem. Praeſenti quoque privilegio ipſis damus foreſtam ſive ſilvam ante civitatem ſitam, ſic, ut arboribus extirpatis agri ad utilitatem publicam ipſius opidi convertantur. Villam quoque N. ad communes uſus ipſius opidi tradimus et donamus, hac perpetuâ ſanctione jubentes, ut cives praedicti ex devotionis ſuae primitiis meritò honorandi, ab omnibus et ſingulis fidelibus Imperii ſpecialitèr honorentur.

LXXXV.

Rudolfus R. R. intercedit apud Summum Pontificem pro petitione Ladislai R. Hungariae, in favorem Ioannis Praepoſ. Budens.

PAPAE.

Coeleſti diſpenſatione ipſâ voce dominicâ tanquam Vicarius Ihu Xpi in miniſterium ſacroſanctae Rom. Eccleſiae informati, alumnos ejusdem matris, et praecipuos zelatores decens eſt, licitum, et expediens, â Veſtrâ Sanctitate favore proſequi ſpeciali, et eos in gradus devotionis intendere altioris, quos perſpicuis indiciis ſinceritas actuum coaleſcente fidei unitate inter materna ſemper ubera feliciter conſervavit. Cum itaque illuſtres Reges Vngariae fidem dominicis labiis praedicatam â ſuis ſanctis progenitoribus tenuerint fideliter et obſervent, et funiculos tentorii ſui per ampliſſima vaſta terrarum inter ſciſmaticorum et gentilium ampliaverint nationes, ac noviſſimè kariſſimus noſter filius, et inſeparabili amore nobis conjunctus, Dominus Ladislaus illuſtris Rex Vngariae devotione fidei et reverentia Sedis Apoſtolicae progenitorum ſuorum in ipſa aetate tenera actus ſtrenuos mutetur, nobisque ob reverentiam ſacroſanctae Rom. Eccleſiae, et noſtrae invicem amicitiae puritate, quâ idem velle, idem nolle mutuò profitemur, ad conterendos hoſtes Imperii, ab obedientia Rom. Eccleſiae ſuperbâ cervice quodammodo declinantes, ſuam duxerit militiam magnifice largiendam: Beatitudinem Veſtram duximus attentiùs exorandam, quatinus eundem filium noſtrum et amicum, Regem Vngariae, habentes

penes Sanctitatis Veſtrae gremium commendatum, in petitionibus ſuis, praeſertim in perſonâ venerabilis viri Magiſtri Iohannis Praepoſiti Budenſis, Electi Albanenſis Eccleſiae, ad ſedem Sanctitatis Veſtrae immediate ſpectantis, aulae ejusdem Domini Regis Vngariae Vicecancellarii, Doctoris Decretorum, favore benivolo proſequentes, munus confirmationis in tanta rerum turbine et guerrâ dignemini in Vngariam paternaliter delegare, cum eundem Magiſtrum Io. Electum aetatis maturitas, opinionis celebritas, ſanguinis et vitae nobilitas, quem ad nos praeſentialiter cognovimus, et affatu attractavimus ſpeciali, jugiter recommendent, ut in hoc noſtrae petitionis et ſupplicationis intentio ergà Veſtrae Sanctitatis oraculum rerum efficacia ſolitae benignitatis affectu eniteat in effectum.

LXXXVI.

Vt N. abſolvat coeptum opus, firmiter perſuaſus, ſecretum ea de re nemini innotuiſſe.

Tuarum, quas nobis miſiſti, litterarum ſeries continebat, quod propter impedimentum legationis factae Regi Romanorum per quendam, non poſſis hoc tempore conceptum tuae mentis propoſitum, ſecundum quod nobis per N. nuntiaveras, ducere in effectum, et quod tempore procedente ac breviter velis te diſponere juxta beneplaciti noſtri vota. Super quo taliter tibi noſtram exprimimus voluntatem, quod Deum invocamus in teſtem, praeconceptum tui animi ac amicorum tuorum propoſitum nulli umquam manifeſtavimus homini, niſi illis, quibus me-

diantibus et tractantibus id extitit pertractatum. Vnde, quod homo ille, quem tuis nominaſti in litteris, legationes direxit, quas tuum aſſeris praejudicium continere, id utique non fecit tanquam praefati ſecreti conſcius, cum ſciamus, ipſum de facto hujusmodi nihil ſcire, ſed ad nocendum tibi ac aliis amicis tuis id ipſum credimus confinxiſſe. Tuae igitur diſcretionis induſtriam attente requirimus et hortamur, quatenus praeordinatum et tractatum negotium pro te, ac amicis tuis non differas conſummare, et ad finem perducere peroptatum, ſciturus pro firmo, quod ex tali tibi et omnibus amicis tuis multa evenient commoda, et tui honoris ampliabitur latitudo; nam te ac omnes amicos tuos, et totius poſteritatis tuae proſapiam continuis magnificabimus incrementis, ſi, prout nobis per praefatum N. intimaſti, cum amicis tuis noſtris obſequiis te aſcribes. Securum etiam omnino te reddimus, quod nunquam ratione alicujus hominis vel perſonae, quantumcunque nobis familiaris exiſteret, ſive eſſet humilis, vel ſublimis, aliquatenus omittemus, quin te ac amicos tuos, qui noſtris ſe conformaverint obſequiis, una tecum ſpecialioribus proſequemur favoribus, et amplioribus beneficiorum largitionibus augeamus. Vt igitur tanto ſis uberioris gratiae plenitudine praemiandus, feſtina, tuae diſpoſitionis opus perficere laudabiliter inchoatum, de caetero ſecurus, quod ex hoc perpetuae promotionis fructus cum exhibitione noſtri favoris benivola reportabis. —

LXXXVII.

Vt N. contra Ottocarum R. Boh. Rudolfo cum aliquali militia ſuccurrat.

Romanum Imperium licet duris rerum eventibus aliquotiens tribuletur, ab illo tamen ſummo rerum opifice finaliter non deſeritur, qui pro catholicae fidei veritate tuenda, et ad Eccleſiae ſuae ſanctae funiculos dilatandos Romanis Principibus poteſtatem materialis gladii conſecravit. Hic eſt Dominus noſter Dei filius Ihc Xpc, qui noſtro miniſterio, ſuâ tamen virtute mirabili, quondam O. Regem Bohemiae, Romani Imperii validum invaſorem, triumphali victoria conculcavit. Et licet eo die nobis defueris praeſentia corporali, ſcimus tamen, quod fido animo et ſinceris affectibus, noſtris profectibus, ubicunque fueris, aſtitiſti. Adhuc autem, ut alias, te rogamus, quatenus cum decenti, non tamen multa militia, ut prius fieri poterit, nos accedas, nobiscum de bono ſtatu Reip. tractaturus.

LXXXVIII.

De matrimonio inter H. filium Rudolfi R. R. et Io. filiam Regis Angliae. — Praemiſſio legati. —

Accincto nuper vel jam pridem illuſtri H. praedilecto filio noſtro ad procedendum in Angliam, ut celebria illa et ſacra connubia inter eum et illuſtrem, inclytam Io. filiam veſtram felicis auſpicio ſyderis ordinata divinitus, propriae exhibitione praeſentiae conſummaret, Ecce,

quod Vobis in feſti ſtili denuntiatione diſſerimus, ad tenellam et fragilem ſui corporis fabricam diſſolvendam, inopinatam inſultus contrarii machinam morbus inimicus erexit, qui diu contendens de repugnante natura degenerem reportare triumphum, bellorum vices varias alternavit; ſed tandem illius, qui infirma plerumque conſolidat, manû miſericorditer interjecta, invaletudinis ſuae vigor elanguit, ipſo filio noſtro priſtinae ſoſpitatis effectui plenarie reſtituto. Propter quod honorabilem virum N. famulum noſtrum et clericum ſpecialem, Magiſtrum A. fidum veſtri honoris, et gloriae procul dubio zelatorem, ad veſtram praeſentiam ante faciem praenotati filii veſtri praemittimus, ut ipſius in ore cauſas Serenitati veſtrae lucidius exprimat, et jocundum adventûs ſui diem praenuntiet interpretatione certiſſima vivae vocis; cujus utique verbis fidem credulam adhibere vos petimus, ac ſi de noſtri ore, voce veridicâ reſonarent.

LXXXIX.

Fundatio ***Rudolfi R. R.*** *in Eccleſiâ de* ***Marreke***, *à qua haud longè procul praelium cum* ***Ottocaro R. Boh.*** *commiſſum.*

CONCESSIO MOLENDINI.

Inter caetera loca divino cultui deputata, quae Regalem munificentiam decet attollere, Eccleſiam de Marrekke perpetuo volumus cum ſumma devotione et reverentia ſpecialius venerari, et affluentius reſpicere muneribus gratiarum, eo quod pater miſericordiarum altiſſimus cauſam

noſtram intuens, et pie gubernans, in loco ab eadem Eccleſia non longè diſtante nos quaſi in anguſtiis mortis poſitos liberavit ab hoſtibus, et proſtratis eisdem nos liberavit gloria triumphali. Noverit igitur praeſens aetas et ſucceſſio futurorum, quod nos ad divini nominis laudem et gloriam, nec non ad tam glorioſae victoriae memoriam ſempiternam, plebano de Mareke, et ſuae Eccleſiae quendam locum ante pontem civitatis praedictae, in quo molendinum noſtrum ſeu terrae principis ſitum fuerat, ex merâ liberalitate duximus concedendum, ut idem plebanus in ipſo loco molendinum conſtruat, ab eo, et ſuis ſucceſſoribus, Eccleſiae memoratae rectoribus, cum univerſis et ſingulis ſuis attinentiis perpetuo poſſidendum; et ne ipſe plebanus et Eccleſia, ſeu ſucceſſores ipſius tam in reparatione dicti molendini, quod ſibi et Eccleſiae de novo perpetualiter dedimus, quam aliorum molendinorum, quae priùs ex fundatione ipſius Eccleſiae de jure poſſederat, et quae per noſtrum exercitum deſtructa fuerunt, in praeſenti, vel inpoſterum impediantur ab aliquo, vel dispendioſe tangantur, ipſos ſub ſpeciali protectione noſtrâ et ſacri Imperii, cum molendinis praedictis, et eorum attinentiis univerſis, nec non cum caeteris rebus, poſſeſſionibus, libertatibus, gratiis, ſeu perſonis Eccleſiae memoratae ſuſcipimus et tutelâ, univerſis hoc regali edicto firmiter injungentes, ne quis ipſum plebanum, qui nunc praeeſt eidem Eccleſiae, vel quem ipſi praeeſſe contingeret in poſterum, in premiſſis omnibus et ſingulis contra noſtrae protectionis tenorem audeat aliqualiter moleſtare; quod qui forte attemptare etc.

XC.

Rudolfi R. R. preces ad Summum Pontificem, pro Canonizatione b. Margarethae, amitae Ladislai Reg. Hungariae.

Grandis adeſt matri Eccleſiae cauſa laetitiae, multa ei materia jocunditatis advenit; habet enim, unde Domino canticum novum cantet, unde inmenſae laudis ymnum referat Deo ſuo, habet plebs catholica ſonoris jubilet vocibus, et laetis animis jocundetur. De orto ſiquidem fidei chriſtianae ſponſa egrediens, floridae virginitatis floſculis inſignita, ex regali quoque progenie trahens originem nuper meruit aeterni regis regale ſolium accenſis introire lampadibus, ſponſoque altiſſimo copulari, ſancta videlicet Margaretha, incliti ſocii noſtri et amici kariſſimi Regis Vngariae amita, per quam exoratus pius opifex Ihc Xpc multa miraculoſa prodigia operatur in gentibus, et ſignis evidentibus plebem in fide corroborat et confirmat; ſuper cujus quidem Canonizatione votivâ ad inſtantiam inclyti Regis praedicti, cujus litteras ſuper eo recepimus, una cum ipſo Paternitatem veſtram piiſſimam humili prece depoſcimus, et devotâ, quatenus ejusdem ſanctae Margarethae Virginis, quae veluti praefulgida margarita in terris choruſcat miraculis, glorioſis meritis provocati, ipſam dignemini Cathalogo Sanctorum aſcribere, condignis â populo per mundi climata honore et gloria venerandam.

XCI.

Rudolfi R. R. encyclica ad Nobiles, Barones, et civitates Bohemiae, ut se nunc ei submittant.

Quia de jure nobis et Imperio nunc de novo vacare coepiſtis, fidelitatem veſtram monemus et hortamur ſtudio quo poſſumus ampliori, quatenus adinſtar Nobilium, Baronum, ac civitatum multarum per Moraviam, vos noſtrae gratiae ſtudeatis ſubmittere humiliter et devote, conſiderantes attentè, quanta ex indevotione Vobis poterunt ſuboriri diſcrimina, et ex fide commoda provenire. Non enim plus rationis habundat in vobis, quam in caeteris, qui ſe noſtrae clementiae ſubmiſerunt. Propter quod vos Nobis et ſacro Imperio in pura devotione adjungite, et nos affluentibus Vos gratiarum muneribus attollemus. Super his veſtros nuntios qualibet auctoritate ſuffultos cum confidentia tranſmittatis, quos quidem Vobis in perſonis et rebus intactos cum omnis ſecuritatis munimine remittemus.

XCII.

De matrimonio Regis Franciae.

Certis jam pridem argumentorum indiciis claruit evidenter affectionis integritas, quâ honorem et decus inclyti Domini noſtri Rudolfi Rom. Regis, et noſtrum probamini mente ſollicitâ proſequi, et in zelo laudabili gratius aemulari. Haec nempe jam diu crebro praeſigurata praeſagio, nunc de novo quaſi de camino caritatis ingenuae copioſo progrediens, luminoſioribus

nobis radiis apparenter illuxit, dum inclytam domum Angliae domui noſtrae tam firmo foedere et familiari nexû confibulare nitimini per honeſtae copulae miniſterium, et ſpirituum unionem; ex quibus derivanda ſucceſſio nativitatis floridae virgulis foecundanda beatius, fulgidis prodeat natae titulis inſignita. Super quo utique vobis ad grates uberrimas inclinantes, paternitatem veſtram affectu pleniſſimo deprecamur, quatenus, ſi qua veſtris grata ſint uſibus, vel affectibus blandiantur, quae per nos valeant expediri, â nobis ea ſub obtinendi fiducia requiratis; propriis enim commoditatibus applicare videbimur, quicquid â praenotato Domino noſtro, et nobis, in vos et veſtros contigerit gratioſi favoris et benivolentiae derivari.

XCIII.

Civitas Brunenſis in Moraviâ declaratur Civitas Imperii R. G.

Cum Civitas Brunensis noſtrum et Imperii ſuave dominium in debitae devotionis exhibitione gratuita ſit amplexa, ita, quod in caeterarum Civitatum Imperii numero collocetur: Sinceritatem veſtram attente rogamus, quatenus dictam Civitatem noſtris et Imperii ſervitiis applicatam omni eâ libertate et gratia gaudere et perfrui per veſtros diſtrictus et terminos faciatis, quâ caeterae Civitates Imperii de benignitate Regia ſunt gaviſae; in quo ſpeciale nobis dilectionis et amicitiae munus impenditis, et nos nichilominus vice reciprocâ veſtris deſideriis ſtrictius obligatis.

XCIV.

Rudolfus R. R. Reginae Bohemiae, Ottocari R. viduae aſſignat certos reditus pro ſtatûs ſui ſuſtentatione.

DE BONIS ASSIGNATIS REGINAE BOHEMORVM.

Virtutum radiis illuſtrata, Domina Ch. inclita Regina Bohemiae probitate ſua nos compulit, et venuſta morum honeſtate coegit, ut ei, quam duri temporis multipliciter anguſtavit acerbitas, et ſalubriter conſulamus, et liberaliter ſuccurramus. Decet quidem Regiae Majeſtatis honorem, ut eadem Domina, quae ad noſtrae protectionis praeſidium confidenter ſe transtulit, ſperatae gratiam pietatis inveniat, et â noſtra Celſitudine amplius, quam ſperare valuerit, conſequatur. Sane, cum de praedictae Dominae Reginae conſilio et conſenſu, Regnum Bohemiae ſuſceperimus ſub certis pactis et conditionibus inter nos et ipſam habitis pro utilitate et commodo liberorum ſuorum illuſtrium gubernandum, prout haec in aliis noſtris litteris clariùs exprimuntur: dicta Domina Regina cum inſtantia poſtulavit â nobis, ut determinatas poſſeſſiones et certos redditus aſſignaremus eidem, quibus vice et loco donationis ſibi factae propter nuptias à quondam O. illuſtri Rege Bohemiae, vitae ſuae temporibus uteretur. Nos itaque praedictae Dominae Reginae precibus favorabiliter annuentes, ei trium milium marcarum proventus et redditus aſſignamus, et faciemus aſſignari, videlicet Opavieñ. provinciam etc. Quodſi forte viri fideles et providi, nec ipſi Reginae ſuſpecti, quos ad hoc deputabimus, ut taxent et aeſtiment redditus, qui ex dictis bonis annis ſingulis per-

cipi poterunt, nobis retulerint, quod proventus eorundem bonorum non ſufficiant ad complendam ſummam ſuperius, ex tunc de aliis bonis Regni Bohemiae, aut Marchionatus Moraviae procurabimus ſummam, quam ſupradiximus, adimpleri. Si verò redditus aſſignandi ultra ſummam praedictam taxati fuerint, tunc hoc, quod ſummam excedit, de aſſignatione, quam fieri volumus, deducetur; et ſi forte pars redditũum aſſignandorum evinceretur à Domina Regina, tunc in locum ejus, quod evictum ab ipſa fuerit, aliud, quod tantundem valeat, reponemus. Ipſa autem Domina Regina praeſentem aſſignationem gratanter â nobis ſuſcipiens, ſe nobis ad certa pacta voluntarie obligavit, quorum tenor et ordo in litteris ſuis patentibus, quas ſuper his nobis tradidit, plenius continentur. Ad haec praefata Domina Regina, ſi praemiſſa, quod abſit, infringeremus, â pactis et promiſſionibus nobis factis erit libera penitus et ſoluta.

XCV.

Recredentiales, cum reſponſione dilatoria ad preces ab Italâ quadam, ut videtur, civitate Rudolfo R. R. porrectas.

Dum conſiderationis noſtrae volumina volvimus, dum cunctorum fidelium noſtrorum, et Principum ſub Imperio Romano degentium fidem et merita, quibus eidem famulantur Imperio, Regalis circumſpectionis providentia contemplamur, ad vos, tanquam fide, devotione, et opere clariores, benignum convertimus noſtrae conſiderationis intuitum, ſedulâ meditatione penſantes, qualiter huiusmodi clara veſtrae devotionis in-

ſignia, quibus nos et Imperium hactenus coluiſtis, condignae retributionis muneribus honoremus, quò magis accenſa veſtra devotio continuatione laudabili floridè perſeveret. Sanè N. ad Majeſtatis noſtrae praeſentiam in veſtrae legationis officio deſtinatum benignè ſuſcepimus, et ea quidem, quae nobis veſtro nomine referre voluit, advertimus diligenter, ſiquidem de facto, ſuper quo frater H. vobiscum noſtro nomine contuliſſe dinoſcitur, prout etiam N. plenius nos inſtruxit, reſponſo finali vobis ad praeſens non poſſumus reſpondere, maxime quamdiu cauſa ſeu quaeſtio, quae inter Nos, et Marchionem Brandenburgen. emerſit hoc tempore, non eſt ad partem alteram terminata; quâ ſtatim, ut credimus, expeditâ, ſollempnes nuntios noſtros ſuper his et aliis plenius informatos ad veſtram praeſentiam è veſtigio dirigemus, affectuoſe rogantes, quatenus interim taliter veſtra negotia dirigatis, ut, ſi per ipſos ad noſtra ſervitia vocari contigerit, ad ea reperiamini expediti. Super facto autem Tuſciae, veſtrae petitioni annuiſſemus de facili, immo noſtra in hoc et Imperii utilitate penſatâ feciſſemus id ipſum procul dubio non rogati, ſi non ſummi . . . patris petentis ibidem quendam cognatum ſuum per quandam convenientiam collocari praecurrens petitio, vos in ipſo negotio praeveniſſet.

XCVI.

Planctus C. Viduae Ottocari R. Boh. ſuper indignis facinoribus, ab Ottone March. Brandenb. poſt jurata foedera ſpoliativè commiſſis, ad Rudolfum R. R.

Ex quo placuit Regi Regum altiſſimo, praealmo omnia complectenti, nos kariſſimorum noſtrorum orbare ſolatio, ad Vos, tanquam ad potiſſimum, qui nunc ſupereſt, refugii noſtri portum recurrimus confidenter, ſtatum noſtrum, ac ea, quae circa nos fortunae potentis imperium per vices temporum alternat et variat, ad Veſtrae Majeſtatis notitiam meritò deferentes, ut in laetis et proſperis nobis congaudeat, et in adverſis verò et triſtibus nobis quodam naturalis affectionis inſtinctu rationabiliter condeſcendat. Ad veſtrae igitur Excellentiae notitiam deferimus queruloſe, quod illuſtris O. Marchio N. pacis et amicitiae foedera inter ſereniſſimum Dominum noſtrum R. Romanorum Regem, Nos, et ipſum inita non attendens, poſt amicos tractatus et ordinationes habitas hinc inde, et juramentis et litteris confirmatas, ad civitatem Pragēn. ſe transtulit, liberos noſtros illuſtres, univerſa exenia noſtra, civitatem et caſtrum in ſuam temerè redigens poteſtatem. De quo caſu inopinabili ſibi providentia noſtri conſilii de facili praecaviſſet, ſi non praedicti Marchionis legalitas, illibata temporibus retroactis, ſed hoc deteſtabili fine totaliter denigrata nil ſiniſtri, nil perſidi machinandi, plenam de ipſo nobis fiduciam tribuiſſet. Quapropter Serenitati veſtrae devotis humilitatis noſtrae precibus ſupplicamus, quatenus pro recuperandis et repetendis liberis

noſtris, à materno gremio tam fraudulenter et doloſe . . . nec non exenniis noſtris rehabendis, veſtrum nobis et ſereniſſimo Domino noſtro R. dignemini conſilium impertiri; nos enim circa reſtitutionem clenodiorum veſtrorum, quae idem Marchio cum caeteris occupavit, praedicti Domini noſtri R. conſilio parere et intendere volumus bonâ fide. —

XCVII.

Iuramentum et aſſecuratio C. Viduae Ottocari R. Boh. praeſtita Rudolfo R. Regi.

Poſt deceſſum clarae memoriae Domini et mariti noſtri, quondam O. illuſtris Regis Bohemiae, adverſitatum nobis imminentium innumerabiles impetus declinare volentes, ad Sereniſſimi Domini noſtri Rudolfi Romanorum Regis ſemper auguſti tranſivimus gratiam, ſpem habentes, quod idem nobis maritali praeſidio viduatis, paternali clementia provideret; et quoniam idem Dominus ſub protectione Romani Imperii favorabiliter nos collegit, nobisque terras, poſſeſſiones, et redditus in vicem et locum donationis nobis factae propter nuptias à praedicto noſtro quondam Domino et marito liberaliter aſſignavit, quae et qui in ſuis litteris propriis nominibus exprimuntur, in aliis quoque noſtris petitionibus noſtro beneplacito factus nobis placabilis benivole acquievit: nos vicem, quam poſſumus, reddere cupientes eidem, tactis ſacris evangeliis ſibi promittimus, et juramus, quod honorem ſuum et utilitatem ſemper promovebimus bona fide, et quod ad hoc omnem noſtram diligentiam, operam, et ſollicitudinem impendemus, ut omnes tractatus, pa-

cta, promiſſiones, et placita inter ipſum et nos de pueris ſuis et noſtris nuper facta, et omnia alia, quae in aliis noſtris litteris ſibi per nos datis exprimuntur, integrè compleantur, et quod nullâ occaſione, nullo inductu, nullisque promiſſionibus inclinabimur in favorem vel partem eorum, qui impediunt in praeſenti, vel impedire volent inpoſterum, ut illae ordinationes et pacta et placita, de quibus ſupra meminimus, differantur, vel deficiant, vel in parte aliquâ immutentur, niſi prius ad hoc accedat praedicti Domini noſtri Romanorum Regis beneplacitum et conſenſus. Illud etiam cavebimus toto poſſe, et bona fide, quod nullum ſervitium, conſilium, favor et auxilium de bonis et hominibus nobis aſſignatis fiat praedicti Domini noſtri Rom. Regis inimicis praeſentibus vel futuris, illis maxime, qui impedimentum praeſtant, vel praeſtabunt, ne pacta, conventiones, et placita, inter Dominum noſtrum, et nos habita, de quibus ſupra diximus, compleantur. Haec omnia et ſingula de certâ conſcientiâ noſtrâ, et habito ſanae deliberationis conſilio promittimus praedicto Domino noſtro recipienti promiſſionem noſtram ſub religione jurisjurandi, quod ei praeſtitimus, venerabili Patre, Domino H. Baſilien. Epiſcopo nobis juramentum huiusmodi, quod ſponte ſuſcepimus, deferente, ac per fideles interpretes exponente tenorem praeſentium litterarum; cujus Epiſcopi jurisdictioni nos ſubjicimus, renuntiantes privilegio fori, ſi contingeret, quod Deus avertat, per nos aliqua de praemiſſis infringi. Promittimus nichilominus, ut bonorum nobis facta aſſignatio ſit caſſa et irrita, et ad praedictum Dominum revertantur, et quod ex tunc illi, qui nobis juraverunt, vel -bunt fidelitatem, â juramenti nobis facti

vel faciendi ſint vinculo abſoluti, et praedicto Domino noſtro nobis relictis adhaereant et intendant, et omnes gratiae nobis factae ſint viribus vacuae, et praefatus Dominus noſter à promiſſionibus ſingulis et placitis nobis factis, quantum ſibi placuerit, ſit ſolutus, ſi nos ab his, quae ſuprà meminimus, occaſione vel modo aliquo recedemus. —

XCVIII.

Rudolſus R. R. inſignia ſervitia ab Henrico Epō Baſil. – poſteà AEpo Mog. – ſibi impenſa remuneratur.

OBLIGATIO JUDAEORUM.

Quod venerabilem H. Baſilieū. Epiſcopum, principem et ſecretarium noſtrum kariſſimum placidis et internis benivolentiae regalis conſtringamus amplexibus, quod ad ejus, et Eccleſiae ſuae honores augendos, et commoda dilatanda prae caeteris Imperii noſtri principibus et devotis quadam praerogativa favoris et gratiae noſtrae medullitus aſpiremus, grata multum et placita ſuae ſedulae ſervitutis obſequia, quibus Nos et Imperium hactenus ſufficienter excoluit, efficaciſſime meruerunt; inter quae illud memorabile, nunquam à noſtris praecordiis abolendum, quod nobis hoc ſummae neceſſitatis tempore contra publicum hoſtem Imperii tam operoſe, quam fructuoſe dinoſcitur impendiſſe, ſervitium digne ac laudabiliter recenſentes, meritò cogimur anxiari, qualiter pro tam praeclaris ſuae devotionis inſigniis, in quibus fidei ſuae conſtantia nobis evidenter apparuit et illuxit, dignae ſibi retributionis debitum rependamus.

Vt igitur dampna gravia, ac debita onerosa, quae idem princeps noster sustinuit, labores, quos pertulit, et obsequia, quae impendit, aliqualis consolationis nostrae munere non fraudentur, ecce quod universos nostros Iudaeos per Argentinen. et Basilieñ. dyocesin constitutos cum omni jure, servitio, consuetudine, et respectu, quibus ad nostram et Imperii cameram pertinere noscuntur, dicto principi nostro pro tribus milibus marcarum argenti simpliciter assignamus, praecise volentes, ut ei soli tamdiu obediant, serviant, et intendant, quousque praefatam trium milium marcarum argenti summam ab ipsis recipiat integrè et complete; quâ solutâ dicti Iudaei ad camerae nostrae servitia revertentur. Vt autem haec nostra assignatio seu obligatio Iudaeorum dicto nostro principi per nos facta â nobis, et nostris fidelibus ratá et inconvulsa permaneat, praesens scriptum etc.

XCIX.

Cardinali, pro intercessione apud Summum Pontificem, ut succurrat egestati Ord. B. M. V. Teutonicorum in partibus transmarinis.

Accedens nuper Regiam Majestatem honestus et providus vir N. paupertatis nodos, quibus nobilis et insignis domus illa Teuthonica in partibus transmarinis constringitur, conquerendo devote nostrae Celsitudini supplicavit, ut super reformatione salubri domus ac ordinis memorati dignaremur, sanctissimum in Christo Patrem ac Dominum, Dominum N. Summum Pontificem exorare; cujus nos precibus, eo quod eidem

ordini in ſuis egeſtatibus ex corde compatimur, benignius annuentes, Paternitatem veſtram devotiſſime duximus deprecandam, quatenus ejusdem domûs fratres, vel procuratores ipſorum, in ſuis negotiis, quae expreſſius vobis pandent, dignemini noſtrae dilectionis intuitu tam favorabiliter apud eundem patrem noſtrum ſanctiſſimum promovere, quod dicta domus, et fratres ipſius contra blaſphemos nominis Chriſtiani ſe cottidie pro Chriſti nomine martirio exponentes, ſuum conſequantur propoſitum, et paterno ſubſidio ſubleventur ab ergaſtulo paupertatis in opulentiae ſtatu florido apoſtolicae ſanctitatis providentia permanſuri.

C.

Rudolfus etc. exorat Summum Pontificem, ut quantocyus provideat Eccleſiae N. dudum viduatae, de novo paſtore, cauſans, alioquin ejus interitum indubitatò emergere.

Sanctiſſimo Patri ac Domino ſuo in X̄po kariſſimo, Domino N. divina providentia ſacroſanctae Rom. Eccleſiae Summo Pontifici, Rudolfus etc. cum filiali obeditione, devota pedum oſcula beatorum. Etſi ex univerſalis regiminis debito, vobis caelitus attributi, univerſaliter urbis et orbis curam ſollicite gerere debeatis, accuratioris tamen circa hoc ſollicitudinis ſtudium exercere vos convenit, quatenus Eccleſiae paſtoribus deſtitutae novâ novorum ſponſorum ſubſtitutione refloreant, et proviſionis optatae ſolatio recreentur; inter quas utique, quanto graviorum perſecutionum procellis nobilis illa N. Eccleſia impetitur, et immaniorum turba-

tionum calamitatibus impulſatur, tanto celerioribus indiget veſtrae paternae proviſionis auxiliis ſublevari. Propter quod eximiam veſtrae pietatis clementiam internae mentis affectu ſuppliciter duximus exorandam, quatenus neceſſitates Eccleſiae, quibus propter rectoris carentiam multipliciter tribulatur, piae compaſſionis oculis intuentes, ad relevationem ipſius per feſtinam et celerem novi ſubſtitutionem pontificis paternaliter intendatis; jam enim, proh dolor! ſic ſe habet Eccleſiae dictae ſtatus, quod, niſi per veſtram providentiam feſtino ſibi ſuffragio ſuccurratur, non adjiciet amplius, ut reſurgat.

CI.

Cardinali, ut N. recommendet apud Summum Pontificem.

Si ſuper illarum perſonarum votiva promotione, quas Deo amabiles, et hominibus eſſe dinoſcimus gratioſas, vobis affectuoſa noſtra precamina porrigamus, divinae retributionis premium, et humanae laudis praeconium ex eo conſequi minime dubitamus. Sane, cum honorabilis vir . . clarus ex ſanguine, praeſtantiori morum et honeſtatis rutilet claritate, propter quod revera ad altioris ſtatus et gradus eminentiam digne mereretur efferri, Paternitatem veſtram rogamus pleniſſimo cum affectu, quatenus eundem, quem ſuae probitatis et induſtriae merita nobis ſpecialiter recommendant, vobis habeatis propenſius commendatum, ipſum in ſuis agendis quibuslibet apud Sanctiſſimum Patrem noſtrum, Dominum Summum Pontificem de innata vobis clementia efficacius promovendo; firmiter ſiquidem credimus, et ex his, quae in

eadem perſona providâ conjecturâ perpendimus, praeſumimus confidenter, quod, quicquid ſibi promotionis, gratiae, vel favoris impenditur in ipſo, reverà digne, Deoque placidè collocatur.

CII.

Legati ad Pontificem, ne commoveatur contra Rudolfum R. R. Dominum ſuum.

Reverendo etc. N. etc. Auditis veſtrae piae paternitatis litteris, et plenius intellectis, ex ſententia timoroſa, quam ex eisdem collegi, contremuerunt omnia oſſa mea, et cor meum quodam terroris gladio perforatum languit, et corpus vix relinquerat ſemivivum; tantus enim fuit doloris aculeus, quo mea praecordia ſauciata contremiſcunt, quod ſine veſtro paterno ſolamine nunquam meus ſpiritus reviviſcit.

Vnde, pater piiſſime! licet ego ex verbis veſtris plenis horroribus ſtupefactus ſereniſſimum Dominum meum Rudolfum Rom. Regem ſemper auguſtum adhuc nondum expoſuerim dicta veſtra, tamen pietati veſtrae ſupplico, quantum licet, et debeo, quatenus erga Dominum meum praedictum veſtra commotio conquieſcat; nam pro certo ſcio, et non dubito, quod ipſe pro veſtro et veſtrorum commodo promovendo ſemper invenietur ultroneus et paratus, et nunquam à veſtris deſideriis diſcrepabit. Et quia ego rebus et corpore me veſtrae pietati ſubjicio, humillime ſupplico et devote, ut me vobis habeatis ſolita pietate commiſſum.

CIII.

Exponit ***Rudolfus*** *etc. turbulentum ſtatum Reip. Germ. in partibus Rheni, ſeque quantocyùs in perſonâ eò ſe collaturum, mali avortendi cauſâ, promittit, interim fidelium ſuorum, ut incremento mali obſiſtant, operam ſollicitans.*

Clamore populi valido nos urgente, ac evidenti Reip. neceſſitate cogente, compellimur exceſſus notorios, et populares injurias, quae in Rheni partibus in communis pacis et terrae diſpendium ruinoſum, et ſcandalum, honoris regii detrimentum non modicum perpetrantur, ad fidelitatis veſtrae deferre notitiam per praeſentes. Audivimus ſiquidem, et univerſa ([a]) clamoribus intonante, jam dudum dolentes agnovimus, quosdam in partibus antedictis ſtratarum communium et aquarum libertate calcatâ, in terris et aquis ubilibet iniqua theolonia, quae rapinae ſeu ſpolia veriori nomine nuncupantur, in ſubverſionem pacis et patriae, et transeuntium diſpendium perperam exercere. Et quoniam inſolentias et injurias tam enormes, per quas Reip. bonus ſtatus confunditur, ac juratae pacis tranquillitas diſturbatur, ſub diſſimulatione transire non convenit, neque decet: expertam fidelitatis veſtrae conſtantiam ſtudioſe requirimus, et rogamus, in fidei debito ac jurisjurandi ſuper pacis obſervantia nobis apud Coloniam in palatio publico praeſtito ſacramento, vos nichilominus obteſtantes, quod id in veſtrae conſiderationis oculis provide collocantes, quod

([a]) [illegible]l. *terra.*

000 000 000
000 000 000
000 000 000

et vos, et progenitores veſtri à longis retroactis temporibus Romani Imperii legibus ſingulari ſemper prae caeteris promptitudine paruiſtis, impretiabile bonum pacis, ſtatum terrae tranquillum, ac omnia alia, quae ad honorem Imperii ſpecialiter pertinebant, fideliter amplexando, ad repellendas praedictas toti terrae noxias et dampnoſas injurias, quae tam in terris, quam in aquis per huiusmodi extorſiones illicitas, publici ſpolii ſpeciem exprimentes, fidelibus noſtris crudeliter et miſerabiliter irrogantur, Nobis et Imperio una cum civitatibus et aliis Imperii fidelibus promptae devotionis obſequio, ſicut de veſtrâ fidelitate confidimus, aſſiſtatis, omnem adhibituri opem et operam, quod effroenata excoriationis praedictae cupiditas penitus conquieſcat. Et ut veſtra devotio ad praemiſſa proſequenda ferventius accendatur, deſideria veſtra volumus non latere, quod univerſae terrae, quibus immoramur ad praeſens, multis nobis laboribus et ſudoribus acquiſitae ſic inſeparabiliter noſtro Dominio ſunt ſubactae, quod illis, quas nullius ambitio ſive cupiditas ab Imperii jugo ſecludere poterit, in tuto relictis, in proximo, Domino dirigente feliciter greſſus noſtros, ad partes Rheni praedictas intendimus proficiſci, ad reformationem ſtatus, et pacis ibidem deformiter collapſorum, perſonales curas noſtras et operas impenſuri. Super his itaque, quid in veſtro contineatur propoſito, et finalem intentionem veſtram nobis apertius reſcribatis.

CIV.

Privilegium pro domibus fratrum hoſpitalis S. Ioannis Hieroſol. in Moraviâ conſtitutis.

Etſi ad cunctos regularis obſervantiae Profeſſores, quos Romanae ditionis habet Imperium, beneficentiae et protectionis noſtrae dexteram debeamus extendere debitricem, religioſos tamen viros, fratres domûs hoſpitalis Sancti Iohannis Iheroſolymitani tanto tenemur et volumus in ſuis bonis, juribus, et libertatibus vigilantius confovere, quanto illos nobis et Romano Imperio ſenſimus et ſentimus jugiter plus devotos. Ad univerſorum itaque, tam praeſentium, quam etiam futurorum notitiam volumus pervenire, quod nos grata multum et placita, quae honorabilis vir, Frater N. magnus Praeceptor domorum hoſpitalis Sancti Iohannis Iheroſolymitani, per Bohemiam, Auſtriam, Moraviam, Poloniam, et Daciam, Conſiliarius noſter dilectus, nobis impendit, obſequia, et adhuc impendere poterit gratiora, benignius intuentes, et propter hoc magno opere cupientes, quod ipſe, et domus gubernationi ſuae commiſſae, ceſſantibus quibuslibet moleſtiis, turbationibus, et offenſis, votivis tranquillitatis et pacis gaudeant incrementis, hanc ſibi, ut eo ferventius et promptius noſtris ī. p. ob. de benignitate regia libertatem et gratiam duximus indulgendam, quod univerſae domus ordinis ſui, praedia, curtes, et homines in Moravia conſtituti, ab omnibus exactionibus, contributionibus, ſturis, ſive precariis, communibus et privatis vecturis, hoſpitiis, et curruum praeſtationibus tempore expeditionis, et aliis quibuscumque ſervitiis ſemper

in antea liberi esse debeant et immunes. Gratiam quoque gratiae cumulare volentes statuimus, et auctoritate praesentium firmiter inhibemus, nequis dictos fratres super quibuscunque quaestionibus sive causis coram quocumque judicum provincialium impetere vel inquietare praesumat. Demum, quia illustris quondam O. Rex Bohemiae fratribus memoratis hanc gratiam contulit et donavit, quod universae quaestiones aut causae, quae motae fuerint in omni parte Moraviae hominibus eorundem, tantum coram Commendatore et procuratore ipsorum hominum discuti debeant, et etiam terminari, paenâ pecuniariâ, quae pro delicto aliquo inflicta fuerit puniendis, fratribus ipsis ex integro remanente; nam ipsam, sicut praemissa est, nec non omnes alias gratias, privilegia, libertates, et jura, quae dictis fratribus à praefato Rege, suisque praedecessoribus Moraviae Marchionibus sunt indulta, ipsis et eorum ordini confirmamus, innovamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergò etc.

CV.

Rudolfi etc. ad Capitulum Hildesheim. ut Electum suum inducant ad pacem vel justitiam cum Alberto Duce Brunswiceñ.

Ex officii nostri debito Hildensemeñ. Ecclesiae, praecellentis Imperii Romani columpnae zelantes honorem, quietem, et commodum, et periculosis ipsius dispendiis, et dispendiosis periculis, quibus ex guerrarum discrimine hinc inde concutitur, interno et pio compatientes affectu, venerabilem vestrum Electum litteris et nuntiis

alias ſollicitavimus, hortabamur, et monuimus, ſano et utili conſilio ſibi nichilominus perſuadentes, ut ſuper tranquillando et ſerenando ſtatu ipſius Eccleſiae noſtris nuntiis acquieſceret, et cum clarae memoriae Al. Duce Brunswicen̄. Principe et Praeſide noſtro dilecto, qui hildenſem̄. Eccleſiae, et cuilibet conquerenti paratus erat, dum viveret in curiâ noſtrâ, de juſtitia reſpondere, ad unitatem karitatis intimae deveniret, vel ſaltem jus, ſi quod ſibi contra praedictum principem competeret, proſequeretur in judicio coram nobis. Et quia praefati Ducis heredes favore benigno proſequimur, ut tenemur, denuò ad eundem veſtrum, honorabilem virum, providum et circumſpectum N. noſtrum familiarem et conſiliarium ſuper eodem negotio cum regalibus apicibus transmittimus, devotionem veſtram rogantes, et hortantes attente, quatenus ad parendum et acquieſcendum votis regalibus, et ejusdem N. monitis et exhortationibus, circa ea, quae ſunt pacis et concordiae, vel juſtitiae, ipſum veſtrum Electum continuis inductionibus excitetis, dirigatis, ac etiam, prout expedire videbitis, inducatis, ut praeter inaeſtimabile commodum, quod ex hoc Vobis et Eccleſiae veſtrae proveniet, Serenitatem Regiam in cunctis veſtris agendis inveniatis perpetuò proniorem.

CVI.

Rudolfus etc. declarat, ſe cum Archiepiſcopo Colonien̄. non attentis rumoribus, in pace et amicitia perſiſtere velle.

Auditis his, et plenius intellectis, quae tuae, noſtrae Celſitudini tranſmiſſae litterae continebant, tibi ad eorundem tenorem taliter reſpon-

demus, quod revera invite excitaremur contra venerabilem Colonieñ. Ecclesiae Archiepiscopum, Principem et secretarium nostrum karissimum, suos et Ecclesiae Colonieñ. adversarios, licet fama communis in partibus inferioribus, prout nobis scripsisti, praedicet contrarium, memores suorum servitiorum fidelium, quae non sine magnis suis laboribus et expensis nobis per eum à nostrae creationis tempore sunt impensa. Nos igitur fidele et sanum tuum consilium, quod de cordis tui sinceritate, quâ nobis es astrictus, procedit, semper imitari volentes, Dilectionem tuam cupimus non latere, quod cum praedicto Archiepiscopo affectamus ex animo permanere in amicitia perpetua, et ipsum sicut columpnam Imperii prae aliis principibus prosequi favoris nostri plenitudine specialis. Ipsius etiam Archiepiscopi et Ecclesiae Colonieñ. procreare gravamina non concepimus, nec eorundem in suum praejudicium districtibus praeficere Advocatum, sed omnia libenti animo faciemus, quae utilitatibus et honoribus praedicti Archiepiscopi noverimus expedire, dummodo idem Archiepiscopus suis servitiis, et fidei suae constantia nobis adhaereat è converso. Vnde Sinceritatem tuam affectuose requirimus, et rogamus, quatenus sinistris relatoribus discordias sitientibus super praemissis fidem non adhibeas, maxime cum praefato Archiepiscopo velimus viribus nostrae potentiae assistere contra suos adversarios quoslibet, et eum, et Ecclesiam suam ab omnibus gravaminibus, molestiis, et injuriis regali potentia defensare. Vt autem de intentione nostrâ et affectu sincero, quo eundem Archiepiscopum amplectimur, plenius informeris, placet voluntati nostrae, ut diem et locum ultra Maguntiam nobis praefigas, ubi ad loquendum

memorato Archiepiſcopo et tibi, ſuper noſtris et Imperii negotiis, ſicut nobis per te nuntiatum fuerit, veniemus. In praeficiendo Advocato diſtrictibus Eccleſiae Colonieñ. et infeodatione facienda de Comitatu Hollandiae et Selandiae nihil penitus facturi praeter tuum conſilium ſpeciale.

CVII.

Excuſatio Rudolfi etc. ſe in curiâ indictâ comparere non poſſe.

Pro utilitate Reip. ac praeſertim pacis jam deperditae, per multa tempora de tuo prudenti, aliorumque principum noſtrorum conſilio reformandae, edici ſollempnem curiam N. in N. feſto juſſimus, eamque celebrare votum firmiſſimum nobis fuit. Verùm Dei filius, caeleſtium et terreſtrium moderator ſuâ moderationis temperie nobis immiſſa gravis aegritudinis ſarcinâ noſtrum propoſitum taliter impedivit, quod curiae nullo modo poſſumus intereſſe. Mittimus itaque tibi et aliis principibus noſtris N. et N. ut tibi liquidius pateat, quod adventum noſtrum retardaverit neceſſitas, non voluntas; quorum etiam dictis in omnibus, quae tibi ex parte noſtra referent, fidem plenam adhibebis.

I.

Cf. Gerbert, Cod. Epist. Rudolf. L. 1. n. 5. p. 9. sq.

Superni consilii sapientia, quae secretum utique coeli gyrum sola circuit increata, primi parentis in posteros sentiens derivari discrimina, et ex sui plasmatis exorbitatione, quod naturalem quodammodo normam transgressionis amplectitur, irritata plerumque humani generis patitur imbecillitatem, nunc peste, nunc clade, nunc fluctibus bellicae tempestatis involvi. Lunâ siquidem diu quasi sublatâ de coelo, condensatâ tenebrarum umbrosâ caligine, facta fuit nox periculosa et gravis, in qua transierunt sylvae bestiae catervatim, leonum catuli rugientes, ut raperent innocentes, in medio autem Aegypti spiritu mixto vertiginis, in oblivionem veritas venerat, claves Petri quodammodo lapsae fuerant in contemptum, et libertatis ecclesiasticae pulchritudo contorpuit furibunda tyrannide conculcata. Sed Dei et hominum mediator altissimus, qui in ira misericordiam non continere didicit, post multiplices dirae persecutionis angustias, quibus orbis attritus emarcuit, quibus Christianae compagis est soluta junctura, scissurae dispendiis agitata, sic afflictorum miseriae miserandae misertus, jam visus est fidelium lacrymas dextera gratiosae consolationis abstergere, et singultuosorum lamenta lugubrium cohibere. Disposuit enim in apostolica sede virum secundum cor suum, veluti splendidissimum luminaris solaris sydus, in jubaris praecellentia, sanctitatis operibus, et justitiae radiis praecellentem. In nostrâ etiam sublimatione mirabili arbitrari verisimiliter poterit qui-

libet fidus et aequus interpres, quod nutu divino lunaris globi lumine reparato fluctivagi hactenus ſtatûs Imperii nebula nubiloſa deterſa, univerſali exſpectatione fidelium, luminarium utrorumque jocunda ſerenitas amodò clarius et irradiantius eluceſcet, ut reſtituatur Iheruſalem, ſicut fuerat in diebus antiquis, et ponantur ipſius deſerta quaſi delitiae et ſolitudinis invia ſicut ortus. Sanè, ad univerſitatis veſtrae notitiam celebris famae praeconio non ambigimus perveniſſe, qualiter operationis divinae miniſterio, cujus occulta judicia admiranti voce prophetica reputantur abiſſus, ut conſcendamus ad Imperiale faſtigium, ſumus in regni jam ſolio ſolidati. Ab illo igitur bono patrefamilias protinus et inſtanter â nobis exigitur debitum, qui peregrè proficiſcens, ſuam familiam curae noſtrae ſuppoſuit, cui talenta, quae credidit, cogimur reddere duplicata; ſed et vice reciproca nos excitant attributa fortunae beatioris auſpicia, ut ab eis, quos Romanae ditionis Imperium ſuo locuplete gremio confovere dinoſcitur, ſubjectionis et obedientiae debitum exigamus. Admirandae tamen utrumlibet conditionis eſt debitum, ſi ſubtiliter intuemur, cujus ſolutio debitoris emolumenta non minuit, auget fidem, immo plus ſolventi creſcit in commodo, quam ſuſcipienti proficiat in profectu. Si enim commiſſi regiminis proſequamur officium, ad vindictam malorum, laudemque bonorum, et temporalis honoris ſtipendia quaerimus, dum clarificamur in fama, et retributionis aeternae ſpe pulcherrimâ reficimur, dum proficimus in ſalute. Si etiam juxta divinae juſſionis edictum, quae ſunt Caeſaris, Caeſari perſolvantur, recipienti plus commodi et honoris acquiritur, quam ſolventi vexationis et oneris aggregetur.

Ea nempe ſunt omnia, ſi ad verum recurrimus, ſubditorum votiva levamina, quae ſunt hujus molimina principatus. In hoc enim gloria Regis extollitur, ſi in pacis plenitudine populum dirigat, et in juſtitiae vigore conſervet. Legimus verò, quam plures pro quiete publica populorum eximiis ſe immiſcuiſſe laboribus, et intollerabilibus gravaminibus ſubdidiſſe; et licet tam periculoſi ſollicitudo negotii omnibus terrae principibus debeatur, Romani tamen Imperii veneranda ſublimitas, quae in omnium praeſidentium oculis velut in ſpeculo collocatur, tanto ferventius zelari pacem, tanto avidius ſubditorum juſtitiae debet intendere, quanto praeclariori praeſagio, et evidentiori perpenditur conjectura, quod totus orbis ambitus quodammodo ſapientià vegetatur Imperii, ut eo languente langueat, ipſoque felicius proſperante laetetur; cum non ſolum in temporalibus tenebras populi Chriſtiani, Romani ſceptri fulgor illuminet, ſed et ipſi Catholicae fidei fulcimenta non levia ſubminiſtret. Porrò ſedatis ad praeſens in regno Germaniae bellicae tempeſtatis horroribus, quibus idem regnum jam pridem extitit in calamitate diutinâ tribulatum, ecce convertimur ad Italiae ſimultatis ſolvenda diſcrimina, et ejus rupturae domeſticae, Reip. turbatricis zizania penitus extirpanda, ut gladii conflentur in vomeres, et in falces lanceae convertantur, tranquillae quietis amoenitate de caetero reflorente. Hinc eſt, quod ambaſſatores noſtros N. exhibitores praeſentium, viros utique tam generoſitatis ingenuitate ſpectabiles, quam honorum et morum praerogativa conſpicuos, nec non fide ac circumſpectione praeſignes ad partes Italiae duximus praemittendos, ut viam ante faciem noſtram ſtrenuis diſpoſitionibus praeparantes, de

nostro felici et festino adventu laetificent corda vestra, et de nostris fortunatis auspiciis vos foecundent. Vos igitur, in quos vires et viriles animos proavita strenuitas propagatione gratuita derivavit, exsurgite, quaesumus, et erigite mentes vestras ad contemplandum Imperii spem et virtutem. Vos quidem, ejusdem Imperii gratiosa possessio, vestrum agnoscite possessorem, ut Rex vester rebellibus formidabilis, et vobis adveniat mansuetus.

II.

Cf. Gerbert c. l. L. 1. n. 10. p. 14. sq.

RESPONSIVA CONGRATULATIONIS.

Audivit nuper nostra Serenitas, unde novum nobis accumulatum est gaudium, unde materia renovatae jocunditatis accrevit, quod Vos videlicet, in quo utique virtus nativis erecta potentiis, una cum generosi sanguinis claritudine fortunatioris auspicii beatitudinem quasi quibusdam amplexibus individuis counivit, sublimationis nostrae fastigiis applausivo congratulantes affectu ad ea vos promptos impenditis, et benivolos exhibetis, quae titulos nostri honoris adaugeant, et provectus amplificent aptiores. Quam ob rem vice reciprocâ provocati, reverà gratanter ad omnia, quae similiter vestris adjicere valeant incrementis, ad cuncta, quae vestrum demulceant animum, nos exponimus vobis ultroneos, et offerimus nos conformes. Et ecce, quod honorabilem virum N. familiarem nobis et placidum, nobisque multimodis meritis suae probitatis acceptum, ad Serenitatis vestrae praesentiam super quodam speciali, nomine nostro

Vobiscum habendo tractatu fiducialiter duximus destinandum, Celsitudinem Regiam deprecantes, quatenus verbis suis, quae vobis ex parte nostra pronuntianda decreverit, fidem credulam adhibere dignemini, tanquam nostris.

III.

(*Ap. Gerbert c. l. L. 1. n. 28. p. 35. sqq.*)

PAPAE.

Immensae serenitatis amoena temperies apostolicae tubae flatu jam undique cunctis fidei orthodoxae circumfundenda cultoribus nunc de novo veluti nova lux caelitus novis aucta fulgoribus, pulsâ cujuslibet obumbratione caliginis, nobis ex eo praesertim apparuit et claruit evidenter, quod vestrae beatitudinis zelus, qui justas dirigit causas, et detestatur injustas, non sinens ultra nos impeti calumpniosis insultibus adversantium aemulorum, paterni favoris affectum, quem ad nos purâ mentis alacritate portenditis, gratiosi praeconii clarificavit in organo, et inobliquabilis aequitate justitiae applausivis immixta dulcoribus, opus altissimi, quod in nostra persona mirificè dextera vestra contexuit manifeste, deduxit in publicam notionem. Super expressione favoris hujus per venerabiles N. et N. principibus nostris et subditis, apostolicae gratiae litteras omnis benivolentiae plenitudine floridas, dirigendas; pro quibus utique copiosis beneficentiae vestrae muneribus nobis inexplicabili gaudio foecundatis, ad redhibendam condebitam gratitudinem gratiarum non sufficit lingua carnis, cum non sit humanae potentiae, super hoc affectum in mente conceptum perfecte posse

exprimere per effectum. O mira paternae clementia pietatis, quae non dedignata est, nobis â primâ nostrá creatione nascentibus congratulationis exhibere mamillam, ubera lacteis liquoribus irrorata porrigere, resonantia gratiam, pignus amoris redolentia singularis. O ineffabilis gratitudo favoris, et stupenda dilectionis affectio, quae nos pridem in regno tenellos, in ulnis educationis suscipiens, fovit impuberes, et promovit adultos. Licet igitur ad hoc pervigil nostra suspiret intentio, licet in hoc nostrum fervens desiderium immobiliter perseveret, quod super tam gratis et placidis sic per vos et almam Romanam Ecclesiam, matrem nostram piissimam nostro progressui praelibatis auspiciis correspondeat in condignae decentia responsivae devotio filialis: quia tamen ad hoc, prout humiliter recognoscimus, possibilitas nobis data non sufficit, divinum cogimur implorare praesidium, ut ex suae superhabundantia bonitatis, quod nobis deficit, in virtute perficiat, et imbecillitati nostrae posse ac nosse sufficiens affluenter adjiciat, quae in oculis vestris sint placita, prosequendi. Porro, quia sollempnes nuntios nostros, quos propter haec, et alia quae incumbunt, ad vestrae beatitudinis pedes destinare consuevimus, ob vicinam instantiam curiae nostrae sollempnis jam in proximo celebrandae, ad iter adhuc distulimus expedire, ut principum nostrorum, qui ibi convenient, communicato consilio, committenda legatio celebrius et festivius adornetur. Ecce, quod N. virum utique, cujus actio virtuosis pollens operibus ab effectu cognominis non discordat, ad Sanctitatis vestrae praesentiam fiducialiter duximus praemittendum, humillima precum instantia deposcentes, quatenus super his, quae de inclyto Rege Franciae, et de cele-

brando vobiscum colloquio vestris duxerit auribus inculcanda, libenter eundem audire dignemini, et exauditione gratuita praevenire. Caeterum, cum Archiepiscopatus N. bellorum calamitate diutina tribulatus, et N. episcopatus similiter satis pungitivos et asperos passus bellicae tempestatis aculeos, sint ad praesens pastorum solatio destituti, vestram piissimam Sanctitatem suppliciter exoramus, ut ad hoc oportunam opem et operam applicare dignemini cum effectu, quod eorum Ecclesiis viduitatis suae lamenta deponere cupientibus, de personis idoneis et pacificis, Deo et hominibus gratiosis, provideatur utilius, juxta quod honori Dei, terraeque quieti videritis expedire; super conditionibus siquidem personarum quarundam, quas ad ipsarum regimen utiles plurimorum affirmat opinio, fratri praenotato, si placet, aures credulas petimus inclinari.

IV.

(*Cf. Gerbert c. l. L. 1. n. 30. p. 38. sq.*)

Quantae sollicitudinis opera, quantaeque praestantia puritatis in nostri executione vel expeditione negotii curas vestras exercueritis his diebus, satis est patens et cognitum evidentibus et notoriis documentis. Nunc verò de novo industrio viro, Magistro H. curiae nostrae Prothonotario, de Romanâ curiâ revertente, nobisque fideliter enarrante cognovimus, quod in ejusdem promotione negotii virtus vestra sic viguit, sicque claruit vestrae eximiae claritas probitatis, ut, quicquid prosperitatis initium habuit, quicquid dederit conclusiva felicitas, quoad humana praesidia merito principaliter vestris tituli.

afſcribere debeamus. Quae utique collandanda nimirum et placida veſtrae virtuoſitatis inſignia nobis impretiabiliter praeſentata illabili libro memoriae tenacioris inſcripſimus, ut in oportunitatibus dignae vobis et gratioſae viciſſitudinis repenſivâ, in uberi affluentia compenſentur. Sic enim nos vobis et veſtris aſtringimus, ſic nos vobis et eis perpetuò conſtituimus debitores, quod cuncta, quae vobis ac ipſis honoris ac gloriae incremento ceſſura noverimus, aequae ſemper benivolentiae gratia proſequi volumus, acſi noſtram, noſtrorumque perſonas ſpecialiſſime tangere videantur, ab amabili veſtrae intimae dilectionis applauſu, ac unionis idemptitate laudabili, nullo unquam eventu vel tempore decerpendi. Placeat igitur, quaeſumus, veſtrae paternitati â nobis cum fiducialitate requirere, quicquid libet, in quo quidem nos experiemini ſemper ultroneos, et officioſe benivolos ſentietis. Multum etenim noſtris arrideret affectibus, atque deſideriis blandiretur, ſi vias et modos patere contingeret, veſtris beneplacitis placide complacendi.

V.

(*Cf. Gerbert c. l. L. 1. n. 38. p. 47. ſq.*)

Humanae conditionis dignitas ſuae primitivae originis non immemor, quâ omnes ab initio liberi naſcebantur, nec praeeminentis praeſidentiam cognoverat, niſa eſt ſervitutis jugum excutere, et dominii praecellentiam refutare. Verum impunita delinquentium licentia incentivum malivolis tribuens delinquendi, tot malitiae ſemina in areòla matris Eccleſiae ſparſerat, quod urticae, et aliarum nocentium herbarum vene-

nositas visae sunt triticum dominicum suffocare. Prospiciens itaque de coelo justitia ad praemiandum justorum merita, et reprimendum malitiam perversorum, animatam praefecit in terris legem de sui profunditate consilii, Dominum Rudolfum serenissimum Romanor. Regem cunctis mortalibus quoad temporalia reverendum, â quo veluti ratio juris praecipit feoda una cum meis filiis N. nec non aliis orientalium partium principibus recipi cum sollempnitate, qua decuit, manifestâ; supplicando S. P. V. quatinus praedicto meo Domino favoris plenitudine, et affectu benignitatis solitae, tam paternae, tamque piae, ad bonum statum Christiani populi dignemini assistere, ut pax deperdita refloreat, pravitas haeretica exulet, et orthodoxae fidei plantatio contra quoslibet Christi aemulos ad Christi gloriam se dilatet.

VI.

(*Cf. Gerbert c. l. L. 1. n. 13. p. 17. sq.*)

Etsi de regalis procedat benivolentiae largitate, universos regularis observantiae professores sollicitae protectionis et gratiae patrocinio communire, honorabiles tamen fratres hospitalis, qui spretà saeculari militiâ contra paganicae pestilentiae agmina producentes intrepidè, vexilla victoriae Christianae, suaeque signa militiae rubricantes, in sanguine gloriosi martyrii strenuè dimicando cum barbaris nationibus, pretiosae morti se tradere non formidant, â Regiae Celsitudinis brachio tanto debent attentiùs confoveri in omnibus, tantoque sublimius honorari, quanto ferventiùs pro defensione catholicae fidei dinoscuntur in castris dominicis militare. No-

verit ergò praeſens aetas, et ſucceſſura poſteritas, quod nos fratrum ipſius ordinis privilegium vidimus, audivimus, et intelleximus diligenter, hujusmodi ſeriem continentiâ, quae inferiùs plenius et lucidius eſt expreſſa: In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis. Fridericus divina favente clementia etc. Quia igitur praelibatum ordinem fratrum hoſpitalis, cujus utique ſanctitatis odor, ut odor agri pleni, cui Deus benedixit, ſuavitatis oblectamento praecordialiter nos refecit, praerogativa favoris amplectimur ſingularis, et quia idem ordo dinoſcitur titulis ab antiquo ſlorere conſpicuis, ac honorum et libertatum eximiis dotibus inſigniri: nos intimo deſiderio cupientes, quod ſui famoſi nominis nequeat obnubilari ſerenitas, neque ſtatus ſui proſperitas laceretur in aliquo, vel dispendioſe tangatur: devotis honorabilis viri N. familiaris noſtri dilecti ſupplicationibus inclinati, praedicti ordinis fratres, et omnes poſſeſſiones eorum, ac bona, quae in praeſentiarum rationabiliter poſſident, aut inpoſterum juſtis modis poterunt adipiſci, ſub noſtrâ et Imperii Rom. protectione ſuſcipimus ſpeciali, ad imitationem divorum Imperatorum praedeceſſorum noſtrorum, et Regum Romanorum praedicta privilegia, prout ſunt ſuperiùs annotata, et univerſos ac ſingulos ſuos articulos, omnes inſuper donationes, indulgentias, gratias, libertates et jura, praefati ordinis fratribus à praeclarae memoriae Friderico ultimo Rom. Imperatore, praedeceſſore noſtro ante latam in eum depoſitionis cauſam, et à ſuis anteceſſoribus Imperatoribus et Regibus Rom. ritè ac providè tradita et conceſſa, acſi praedicta omnia de verbo ad verbum praeſentibus inſeri contigiſſet expreſſè, de benignitate regia liberaliter innovantes, et aucto-

ritate regalis culminis, et praesentis scripti patrocinio confirmantes. Nulli ergo etc. In quorum omnium testimonium et perpetui roboris firmitatem praesens scriptum etc. —

VII.

(Cf. Gerbert, c. l. L. 1. n. 16. p. 20. sq.)

Plurima, beatissime Pater! interpretis scripturae misteria, quibus paternis aspectibus filialis est repraesentata devotio, de nostri pectoris thalamo hactenus effluxerunt, internae mentis affectum, quam ad Sanctissimam matrem nostram Romanam Ecclesiam invariabiliter gerimus, imperfectius indicantia, et insufficientius exprimentia votum nostrum. Quia igitur aliquandò absentium desideria plenius et planius vivae vocis explicantur oraculo, quam annotantur tacita litterarum: Ecce, quod honorabilem virum N. virum utique multâ virtuositate conspicuum, moribus et scientia praeditum, nobis suae meritis probitatis acceptum, et vobis ac Ecclesiae Romanae almae matri nostrae devotum, ad beatitudinis vestrae pedes fiducialissimè destinamus, vestram piissimam Sanctitatem humiliter deposcentes, quatinus ipsum, quem verum praedecessoris sui jam credimus per laudabilis actionis insignia sectatorem, et etiam successorem, habere dignemini propitiatione, quâ convenit, recommissum, eidem super principali nostro et Imperii negotio, nec non super aliis petitionibus rationabilibus atque justis, quas vestrae sanctitati porrexerit, gratiosae auditionis et favorabilis exauditionis effectum benignius impensuri; susceptis nempè ab ore nostro sermonibus, vobis

labiorum ſuorum eloquiis afferendis, credulam fidem vos petimus efficaciter adhibere.

VIII.

(*Cf. Gerbert, c. l. L. 2. n. 3. p. 63. ſq.*)

Ea, beatiſſime Pater! de admirabili veſtrâ creatione praecordiis noſtris tenaciter eſt infixa fiducia, illa reverà veriſimiliter ſuper ea praeſumptio noſtris intimis eſt impreſſa, quod ex humanae inbecillitatis opinione non prodiit, ſed quod ex inſpirata vobis tunc in remotis agentibus Spiritus inſpiratione paracliti, ad univerſalis Eccleſiae regimen, caeleſtis altitudo conſilii vos vocavit. Sic etiam nosmetipſi, dum priſtinum ſtatum noſtrum in interiorum profunditate revolvimus, et dum vocis exemplo propheticae, divinorum judiciorum in noſtrae conſiderationis ſpeculo ſpeculamur abiſſum, in formâ conſimili, licet impari, merito nos ſentimus ignaros, et etiam non inſtantes, excluſo totaliter quolibet gradûs ambitu celſioris, divinitus ad Romanae Monarchiae molimina dirigenda provectos. His igitur, pie Pater! in trutina rationis appenſis, in omnibus arduis et diverſis, quae nobis poſtmodum occurrere negotiis, et praecipuè ſuper nuntiorum Hungariae et Bohemiae Regum legationibus nobis propoſitis, et oblationibus editis, nihil penitus aggredi libuit, nihil prorſus, ut decuit, attemptare voluimus, niſi veſtrâ, quam ſemper fuimus praeſtolati, reſponſione, ſeu ſalutifera informatione ſuſceptâ. Ex quo itaque, pater clementiſſime! vos elegit altiſſimus, ita, quod de terra jam orta ſit veritas proſpiciente de coelo juſtitiâ, ex quo dextera Domini etiam ſuae miſericordiae unctione nos unxit, ut ſuper

colla ſublimium, gloriae ſolium teneamus, ut iſta duo caelitus in conformitatis idemptitate per mutuos compatiantur amplexus, ecce, quod noſtram, et liberorum noſtrorum perſonas, nec non et creditum nobis Imperium veſtrae piae diſpoſitioni ſubmittimus, ut ſecundum Deum et puram conſcientiam libere ſtatuatis, et ordinetis ſalubriter de praemiſſis, quicquid honoris Dei, eccleſiaſticae libertati, ac orthodoxae fidei, nec non bono Imperii ſtatui credideritis expedire. Et licet illuſtris Rex Bohemiae, non tam juſtis, ut voluntariis motibus diu fuerit in exheredationem Imperii degraſſatus, quia tamen in vobis, utpote, ſicut ſuperius eſt expreſſum, electis â Deo divinae gratiae et juſtitiae plenitudo exuberanter habundat, praeſertim, ut terrae ſanctae in oportuno ſubſidio nil dematur, controverſiam, quae inter nos et ipſum, pro bonis Imperii vertitur occupatis ab ipſo, fiducialiter apoſtolicae ordinationi et aequitati relinquimus, et exponimus dirimendam. Pro certo quidem et pro conſtanti tenemus, quod indempnitati cavebit Imperii veſtrae Sanctitatis inobliquabilis rectitudo. Caeterum ſuper illius benivoli favoris, et benivolentiae favorabilis exhibitione, quam cauſae noſtrae juſtitiae gratioſe praetenditis, juxta quod dilectus fidelis noſter N. nuper de veſtrae Beatitudinis pedibus ad nos rediens enarravit, ſi non ad quantas vobis debemus, tamen ad quantas ſufficimus, gratiarum totaliter nos provolvimus actiones, grata recipientes et placita, nec non invariabiliter obſervantes, quae per dilectos fideles noſtros N. et N. in beatitudinis veſtrâ praeſentia ſunt tractata. —

IX.

(*Cf. Gerbert, c. l. L. 2. n. 8. p. 70. ſq.*)

SALTZPURG.

Indignatio, quam indigne concepit adverſus miſeram Saltzpurgeñ. Eccleſiam Dominus Rex Bohemiae, ſicut experimento didicimus, non quieſcit, donec noſtri, et Eccleſiae noſtrae veſtigium et memoria deleantur à terra. Poſtquam enim omnes et ſinguli pariter perierunt in partibus Styriae, Auſtriae, et Karinthiae, qui colebant juſtitiam, et Rom. Imperii legibus paruerunt, poſtquam fidelis noſtra devotio removeri non potuit, vel mutari, multis temptata terroribus, allecta promiſſis variis, et ſollicitata quampluribus blandimentis à Rege praedicto, ecce, quod tali die Capitaneus Styriae nomine Regis praedicti Eccleſiae Saltzpurgeñ. praedia, fora, civitates, et villas exercitu congregato invaſit hoſtiliter captis hominibus, et plerisque occiſis, deductis rebus mobilibus, immobilibus verò per iguem et gladium tam crudeliter devaſtatis, quod in omnibus partibus ſupradictis nihil nobis et Eccleſiae Saltzpurgen. ſupereſt, ſed ſolis caſtris cum difficultate maxima reſervatis, quae quidem multum hoſtiliter inpugnantur, immò unum, proh dolor! in Karinthia perdidimus per fraudulentas inſidias expugnatum; omnia alia infrà caſtrum poſita in praedam et cineres ſunt converſa. Civitatem noſtram N. quae caput Styriae quondam fuit, ſic funditus exſulcavit à terra, quod nec ipſis eſt parcitum fundamentis. Succenſae ſunt Eccleſiae plurimae, et in ipſis homines plurimi, qui confugerant ad easdem, morte miſerabili ſuffo-

cati. Nunc autem eundem Regem injurias et pressuras in Bawariae partibus cum personae et rerum multa formidine praestolamur. Quamvis autem cum devota humilitate prostrati, pacis gratiam, vel saltem treugarum inducias petiverimus ab eodem, nulla tamen circa hoc conditione perficere potuimus, nisi adversus Romanam Ecclesiam, sacrumque Rom. Imperium temerato fidei nostrae debito voluissemus effici infideles. Nos igitur in angustiis pro Augusti reverentia constituti, imploramus auxilium, et subsidium exspectamus vestrae felicissimae Majestatis cum dolore et gemitu, postulantes, quatinus saltem reliquiis dictae Ecclesiae nostrae miserabiliter derelictae, ne idipsum tenue et modicum facultatis, quod ab unguibus depraedantium excidit, iterum sorbeatur ab ipsis, festino suffragio succurratis; sic enim, proh dolor! jam se habet Ecclesiae nostrae status, quod, nisi nobis et ipsi subveniatur, subito suffocabitur totum, quod habemus residuum, nec habebit locum de caetero in nobis auxilium, postquam fuerimus totaliter consummati. —

X.

(*Cf. Gerbert, c. l. L. 2. n. 22. p. 87. sq.*)

DOMINO PAPAE.

Si salvâ vestrae paternae benivolentiae reverentia loquimur, nullo in vestris piis praecordiis displicentiae spiritu excitato, de illa XII. milium marcarum subventione gratuita, in quâ nobis tam liberaliter providistis, et pro quâ vobis ad grates uberrimas filialis devotio se ferventer inclinat, non videtur nobis ex verisimilibus

conjecturis, quod ponderatâ negotii, quod agitur, magnitudine, ac inspectâ temporis brevitate tam grandi, tam celebri apparatu ipsa subventio aliquantulum insufficiens reputetur. Petimus itaque vultu verecundiâ et rubore resperso, quatenus, ne praedicto negotio, quod post Deum potissimè Apostolica dextera dirigit, aliqua possit objici difficultas, praedictis XII. milibus adhuc tria dignemini affluenter addicere nomine mutui, prius tamen idonea cautione susceptâ; nos enim de Capitaneo seu Rectore magnanimo, et circumspectione probato jam nobis provide curavimus, qui militiam congregans oportunam, ut praesit et prosit in Tuscia, consopitis vetustae calamitatis horroribus, ad eandem provinciam diriget è vestigio gressus suos. Quaesumus insuper, ut super negotiis N. et N. juxta formam petitionis nostrae Magistro Bernardo contraditae, vel per venerabilem N. vestris, ut credimus, auribus jam impressae, cum mora nocivi sit fotrix amara periculi, litteras necessarias expediri celeriter, et venerabili Ebredunen̄. Arch̄. dirigi jubeatis, eidem Arch. similiter injungentes, quod, cum Praelati Alemaniae non solum sint noluntarii ad proficiscendum nobiscum ad coronam Imperii, verùm etiam alios ad id forsitan priùs ultroneos, ab huiusmodi bono justoque proposito inpudenter avertere moliantur, Praelatos eosdem ad exhibendum nobis debitae et consuetae commeationis solatium ad Imperii dyadema Apostolicae pietatis auctoritate coherceat et inducat; â cujus via in partibus illis benignitati paternae complaceat, quaevis offensionum obstacula providentiae oportunae remediis obviare. —

XI.

(*Cf. Gerbert, c. l. L. 2. n. 23. p. 88.*)

Regalibus veſtris litteris, quas nuper Culmini noſtro deſtinaſtis, affectione benigna ſuſceptis, ut decuit, eis lectis et plenius intellectis, ſuper earum ſerie Celſitudini Veſtrae taliter duximus reſpondendum, quod, licet ad omnia ſimul ultronei, quae veſtrum demulceant animum, et affectui veſtro placidius blandiantur, licet ſpectabilem virum . . . Camerarium veſtrum ſuis claris et virtuoſis exigentibus meritis gratioſae benivolentiae ulnis patentibus amplexemur: quia tamen nos ipſi, nec non dilecti principes noſtri N. in quibusdam terris, quas inclytus Rex Bohemus occupaſſe dinoſcitur, nos contendimus jus habere, ſimiliter non irreprehenſibile videtur, ſi ſic repente, ſic praecipitanter ad collationem terrarum huiusmodi, declaratione ſeu diſcuſſione neglectâ, cui, quibusve de jure competere debeat, nos contingeret proſilire; et ideò veſtra nobis pro dicto N. porrecta petitio eſt ad praeſens effectu poſtulato fruſtrata, quod utique mentem Regiam diſplicentiae ſpiritu non conturbet, cum ſint, ut noſtis, agendorum proceſſus huiusmodi aequis trutinandi judiciis, et maturis examinandi conſiliis ac exactis, ne poſſit mutabilitatis et inconſtantiae argui praeſidentia principalis. Verùm ad veſtrae gloriae titulos attollendos tam fervidum gerimus inconcuſſae ſinceritatis affectum, quod, ſi libuerit Vobis ad recuperandum jus praefati Camerarii veſtri, veſtrarum virium excitare potentiam, vobis et ei ſuper hoc in benivolentia ſingularis uberi affluentia, quantum ſine juris injuria poſſumus, liberaliter et libenter intendimus aſpirare.

XII.

(*Cf. Gerbert, c. l. L. 3. n. 10. p. 154. ſq.*)

Placidae parentelae conjunctio, quae indempnitatis alternae nos unit amplexibus, ſic eſt noſtris infixa praecordiis, ſić revera convaluit radicata tenaciter, et memoriae noſtrae plantariis inſita jugiter coaleſcit, quod inter caetera, quorum crebra ſollicitudo nos afficit, illud inhaeret potiſſime votis noſtris, qualiter vos et inclytum fratrem veſtrum A. Ducem Slavoniae, filium noſtrum kariſſimum, quos ut carnem ex carne noſtrâ, et velut os ex oſſibus noſtris amplexû, ſinuque paterno fovendos aſſumpſimus, à tyrannide furibunda perſecutoris iniqui poſſimus eripere, ac avitae haereditatis veſtrae funiculos congruis finibus ampliare. Sic enim procul dubio nobis eſt cordi et curae, illud magnificum et famoſum Vngariae regnum in antiquae gloriae faſcibus redivivâ reformatione dirigere, ſicque ipſo illaeſo perſecutoris illius allidere feritatem, quod nulla prorſus perſonarum aut rerum diſpendia evitare proponimus, quin ad edomandam ejusdem faſtuoſi ſuperbiam ſub victricibus aquilis Duce Domino exercituum intendamus, ut diſcat ammodò poſito ſupercilio per ſe ipſum, quam ſit durum, quamque difficile, contra ſtimulum calcitrare. Eja ergò, Princeps eggregie! in quem proavorum generoſa ſtrenuitas vires et animos derivatione gratuita propagavit, virum induite quaeſumus virtuoſum, vos robore fortitudinis accingentes. Confidimus autem in divinâ Clementia, quod non deerit vobis proſper eventus ad omnia, dum in cauſa felici et aequa militabitis, et ſub principe zelatore juſtitiae fortunato.

XIII.

(*Cf. Gerbert, c. l. L. 3. n. 23. p. 171. ſq.*)

COMMISSIO DEFENSIONIS MONASTERII.

Imperatoriae 'dignitatis diademate, ac manûs ſceptrigerae inſigniis renitentes, dum in mentis noſtrae ſecretarium ſubmittimus, revolventes, quid unctio, quid ſceptrum, quid corona regia ſignificet divinitus nobis data, in ſacrae delibutionis oleo, quo armi nobis regii ſunt peruncti, clementiam ac miſericordiam in afflictos pariter et attritos exercendam, in coronâ praeeminentiam, in ſceptro defendi oppreſſos per fortitudinis dexteram intelligimus, colligimus, et perpendimus evidenter. Eapropter cordi nobis eſt, omnes Romano Imperio ſubjectos, praeſertim autem Eccleſias et eccleſiaſticas perſonas ab inſultibus maleficorum quorumlibet protegere, ad reprimendamque perverſorum verſutiam conſurgere toto poſſe. Sane, honorabilis vir N. ad noſtram veniens curiam nobis lamentabiliter eſt conqueſtus, quod quidam, maligni ſpiritûs ducti conſilio, Deum non timentes, nec homines reverentes, ejus monaſterium in ſuis hominibus et poſſeſſionibus per rapinas et ſpolia multis injuriis et ſpoliis affecerunt; praeſumens itaque idem N. ex praeterito, quod idem poſſit accidere in futuro, nobis humiliter ſupplicavit, ut praedictum monaſterium tuae devotioni committeremus cum omnibus ſuis attinentiis defendendum ab incurſibus malignorum. Nos itaque ejus precibus inclinati, tuae fidei puritatem praeſentibus duximus exhortandam, regia tibi nichilominus

auctoritate mandantes, quatinus dictum monasterium fratrum, et conventum, homines ipsorum, possessiones, bona mobilia et immobilia, nec non omnia ad ipsum monasterium pertinentia manuteneas, protegas et defendas, nec permittas ab aliquo indebitè molestari.

XIV.

(*Cf. Gerbert, c. l. L. 3. n. 25. p. 174. sq.*)

COMITI JULIACENSI.

De tuâ quiete, tuoque statu pacifico crebrâ meditatione reverâ solliciti, tanto ampliùs circa stabile bonum concordiae inter te, ac cives nostros Aquenses in interioribus nostris praecordiis anxiamur assiduè, quanto major promittitur ex ipsius votiva consolidatione securitas, quantoque gravioris jacturae discrimina ex discordiae praeparari dissidio praevidemus. Sane, quia inter alia votis nostris accomoda, salutarem concordiae unionem desiderabilius affectamus, ecce, quod honorabilem et industrium virum Magistrum A. fervidum tui honoris procùl dubio zelatorem ad N. praesent propter haec velut imaginarium nostrae praesentiae fiducialissime duximus destinandum, affectuosissime te rogantes, quatenus suis, quas tibi nostro proponent nomine, exhortationibus acquiescens, pro nostrâ et Imperii reverentiâ, immo etiam propriae tuae commoditatis instinctu, ad pacem omnimodam tuum animum studeas efficaciter et finaliter applicare, sciturus certissime, quod in nullo casû, in nullo prorsus eventû,

tam gratum, tam placidum nobis obſequium poteris exhibere. Idcirco verbis ejusdem A. etc. —

XV.

(*Cf. Gerbert, c. l. L. 3. n. 33. p. 183.*)

PAPAE.

Creſcentibus ſemper augmento continuo fervidae karitatis igniculis, quos paterna praecordia ergà filium ſingularem quaſi de camino jam copioſo flagranter educunt, pro N. menti noſtrae ſic eſt infuſa diffuſius, et interioribus noſtris expreſſius eſt impreſſa multiplicis gratiae, favorisque benivoli plenitudo, quibus nos benignitas veſtra proſequitur inceſſanter, quod ex his etiam applauſivis et recentibus apoſtolicae aſpirationis affectibus, noſtris defectibus in effectum praetenſis, in laudis divinae canticum gratulabundius exurgentes, ad redhibitionem gratuitam gratiarum aeterno patri Eccleſiae ſuae Catholicae, nec non vobis, piiſſime Pater! humillime rependendam ex intimis vehementer accendimur, et ex hominis utriusque potentia deſiderabiliter excitamur. Propter hoc, quicquid ſumus et poſſumus, veſtris ſpecialiſſime nutibus exponentes, porro in veſtrae praedicabili zelo juſtitiae, velut in aromatum exquiſita fragrantia delectati, pro eo videlicet, quod exorbitantes hucusque pontifices, et in devium obliquatos, animadverſionis condebitae gladio perculiſtis, paternae providentiae pollicemur, quod ſi contingat fortaſſis ex eis quempiam, quantumlibet etiam nobis conſanguini-

tate vel affinitate conjunctum, qui fuerint reprobati à Deo, per os Ecclesiae suae sanctae, contra mandata vestra calcaneum indevotionis erigere, ad illius superbiam edomandam, si sanctitati vestrae placuerit, res exponere volumus cum personâ. Caeterum quia, sicut audivimus, idem N. ex injuncto nostro vestrae paternitati rescripsit, de quibus nunc vacantibus N. et N. Ecclesiis provideri sit utile, illas quidem personas, prout securâ conscientiâ profitemur, et constanter audemus asserere, adeò reputamus idoneas, quod in earum provisione, si praenotatis adjungantur Ecclesiis, Deo et homini juxta spem nostram et creditum procùl dubio satisfiet. Insuper vestra piissima Sanctitas habeat pro constanti, universa et singula per praefatum N. vobis ex parte nostrâ proposita, de nostri cordis armario processisse.

EPISTOLARVM

RVDOLFI I.

ROM. REGIS

PARS ALTERA.

I.

Rudolfus respondet N. castra et munitiones suas in ejus auxilium offerenti.

RESPONSIVA GRATIOSA.

Repraesentata nobis per honorabilem Archipresbiterum N. Capellanum nostrum dilectum nuper ad nos cum litteris tuis credentiae venientem, devotae benivolentiae, ac benivolae tuae devotionis insignia, utpote qui, ut eiusdem Archipresbiteri continebat assertio, nostri honoris avidus et gloriae sitibundus, tuas munitiones et castra nostris exponis et offers in cordis et oris tui ferventiȧ beneplacitis et mandatis; sic nostrum tuis revera commoditatibus animum obligatum, sicque nostra jam accendêre praecordia, et exacuêre consilia tuis honoribus ampliandis, quod, quicquid justitiae, quicquid gratiae tibi necessarium fuerit, tuae Sinceritati Regalis liberalitatis munificentia, prout absque juris injuria fieri poterit, procul dubio liberaliter exhibebit.

II.

Rudolfi intercessio pro F. F. Praedicatoribus, in civitate quadam recipiendis.

Multum regalibus arrideret desideriis, si honorabiles et religiosi viri Ordinis Praedicatorum fratres in civitate nostra N. sibi possent mansio-

nis habitaculum collocare, praeſertim cum hoc divini cultus ampliationem, tranquillitatis totius terrae felix incrementum, et animarum fidelium ſalutem omnimodam inducere videretur. Verum, quia culmini noſtro datum eſt intelligi, quod per manſionis hujusmodi collocationem, quidam terrae nobiles, et etiam civitatis praedictae univerſitas praegraventur: fidelitati veſtrae committimus et mandamus, quatenus praedictorum nobilium et civitatis conſenſum et voluntatem ſuper hujusmodi diligentius inquiratis, qui, ſi ſe praedictis Fratribus faciles exhibuerint et benignos, vos Fratres eosdem, Dei, noſtraeque reverentiae intuitu in omnibus ſuis agendis ſtudeatis efficacius promovere.

III.

Commiſſio ad F. F. Praedicatores de extirpandâ per Imperium Rom. haereticâ pravitate.

Rudolfus R. R. S. A. Religioſis et prudentibus viris N. et N. de ordine Fratrum Praedicatorum, Apoſtolicae Sedis Inquiſitoribus contra hereticam pravitatem, eggregiis fidei orthodoxae pugilibus ſibi dilectis ſalutem, et omne bonum. Peſtilentes hereticae calliditatis argutiae, Deo abominabiles, et hominibus odioſae, quae ſua contagione contaminant oves gregis dominici, et vineam Domini moliuntur ad modum vulpeculae demoliri, ſic noſtris ex ipſo revera narratu infeſtae ſunt auribus, ſicque ſunt amaritudinis felleae bajulae deteſtandae, quod, qui pro tuitione Catholicae fidei principaliter teſte altiſſimo Regiae dignitatis honorem et onus aſſumpſimus, juxta veſtrarum, quas affectione

benigna suscepimus, continentiam litterarum, ad extirpationem omnimodam hujus sectae nephariae, ubicumque sub nostrae districtu potentiae poterit deprehendi, finaliter exercere disponimus crediti nobis divinitus gladii potestatem, in eorundem non solummodo exterminium, sed per consequens in ipsorum propaginem, huiusmodi infectae malitiae sectatricem velut in Majestatis divinae omnipotentiae ream desaevituri judicialiter, et potentialiter processuri. Dummodo, ut decet, legitimis documentis appareat, et visibilibus pateat argumentis, quod sint super hujusmodi pravitate convicti, et sententialiter condempnati.

IV.

Gratia specialis Episcopo N. facta, quâ Rudolfus R. R. ei, licet absenti, regalia transmittit, eumque jubet, ut fidelitatis juramentum nuntiis mox ablegandis praestet.

Mentis nostrae tabernaculum floriditate cujusdam jocunditatis extitit serenatum, novaeque placiditatis laetitia in cordis nostri tabulis indelebiliter est descripta, pro eo, quod tu in Curia Romana constitutus pontificis, ob reverentiam Imperialis culminis, dilectum nostrum Cancellarium ad sedem apostolicam destinatum, gratiosis praevenisti et amplexatus es curialitatis exhibitionibus et honoris. Inde firmiter proponimus, omnibus illis intendere, per quae tibi proveniat solatium, et tua Ecclesia boni status recipiat incrementum. Vt autem hoc tibi liquidius pateat, et intentio mancipanda effectui ad actum progrediens, exordium gratia plenum su-

mat: ecce, quod tibi ſpecialem fecimus gratiam, â divis Imperatoribus et Regibus, noſtris anteceſſoribus, Sacri Imperii Principibus fieri non auditam. Mittimus enim tibi licet abſenti, N. N. vice et loco tui ſuſcipientibus, et ad hoc ad nos ſpecialiter deſtinatis Regalia feoda tua, et amminiſtrationem temporalium, tam jurisdictionem, quam omnia illuſtrationem principalem complectentia exercendam, clareſcereque te facimus in caterva principum ſicut fidelem noſtrum noſtrique Imperii principem apicibus et culmine principatûs. Et quia tibi tenemur et volumus inveniri in exhibenda juſtitia faciles, cui ſumus et erimus in gratia liberales, omnibus malefactoribus et injuriatoribus tuis, tuaeque Eccleſiae praeceptoria, dirigimus ſcripta noſtra, injungentes eisdem, ut ante feſtum N. tibi ſatisfaciant de injuriis et moleſtiis, et tecum amicabiliter ſe complanent; alioquin in craſtino poſt dictum feſtum ſe noſtris conſpectibus repraeſentent, tibi ſuper actionibus, quas contra eos proponere habueris, prout jus exigit, reſponſuri. Caeterum, cum in Regali ac Imperiali Curia nec ſit ſolitum, nec auditum, Principem infeodatum et Regalibus inveſtitum fidelitatis praeſtare juramenta per medias perſonas vel interpoſitas: volumus et mandamus, quatenus nuntiis, quos ad Romanam Curiam breviter transmittemus, habentibus ad recipiendum â te fidelitatis juramentum ſpeciale mandatum, exhibere ſtudeas ſecundum morem principum nobis jurantium homagii et fidelitatis perſonaliter jusjurandum; iidem etiam noſtri nuntii patentes tibi afferent noſtras litteras de inveſtitura principatûs ſollempniter tibi facta, in quibus praecipietur omnibus Baronibus, Miniſterialibus, Vaſallis, ac quibuslibet ad tuam Eccle-

ſiam reſpectum habentibus, ut tibi tanquam fideli ac dilecto principi Romani Imperii in omnibus pareant et intendant.

V.

Rudolfus R. R. Principi N. licet abſenti feuda ſua regalia transmittit.

Solis et aurorae infatigabilis fabricator ad Romanae Monarchiam dignitatis mirifico fabricandam, ſemetipſum fundamenti ſolidi primarium poſuit lapidem, dum coronam in ſignum Imperatorii diadematis, paſſionis ſuae geſſit tempore triumphalem, et ut aedificii junctura congruis firmaretur diſpoſitionibus, baſes in ſe ſtabilivit immobiliter ſtabiles; ſacri videlicet Imperii principes, illuſtratione multifaria choruſcantes; de quorum multitudine Imperialis Celſitudo tanto ſublimior conſpicitur, quanto in ipſis principibus firmitate perſtabili ſolidior ſpeculatur. Inter quos, Princeps kariſſime! te columpnam immobilem clareſcere noſcimus ſinceritatis plenitudine ac omnis fidei puritate. Eapropter te veluti ſpecialiter praedilectum ſinceriſſime diligimus, ac tuam fidelitatem, quae ſemper circa ſacrum viguit Imperium, commendantes, te prae caeteris ampliori honore, prout condecet, extollere concupimus. Transmittimus itaque tibi omnia feoda, quibus tu à ſacro Imperio quondam noſceris infeodatus, mandantes, ac auctoritate praecipientes regia omnibus Comitibus, Baronibus, Miniſterialibus, Militibus, nec non univerſaliter ſingulis in tuo commorantibus principatu, quatenus noſtrae ſub obtentu gratiae tibi in omnibus, quibus de jure tenentur, veluti noſtro fideli ac dilecto principi fideliter

pareant et intendant; et quoniam aemulis Imperii tua fidelitate malignandi contra te materia posset dari vel occasio, idcirco scripto promittimus in praesenti, et bonâ fide tibi insuper obligamus, quod contra quemlibet te injuriose molestantem cum N. nec non cum aliis nostris principibus et fidelibus te defendemus. In horum omnium efficax testimonium etc.

VI.

Declaratio gratiae, quam Rudolfus quondam fecerat Wernhero de Bolandia de Iudaeis Bopardiensibus.

Auditis et intellectis plenius nuper vestris litteris, quas super angariatione et captivatione Iudaeorum nostrorum, nostro Culmini destinastis, ad illa, quae continebantur in eis, veritate non tacita vobis taliter duximus respondendum, quod nos quidem recognoscimus, quondam N. de N. bone memoriae, propter fidei suae merita, quibus semper in nostris promptus fuit obsequiis, indulsisse, ut, quidquid bono modo et congruo â Iudaeis nostris praenotatis potuisset convenienter, salvis ipsorum Iudaeorum libertatibus, habuisse, de nostro consensu procederet, et benivola voluntate; unde novit altissimus, quod in praedictis Iudaeis ampliorem eidem N. non fecimus gratiam, quae posset libertati, quam ipsis concessimus, aliqualiter obviare, cum non sit intentionis nostrae, ipsis suas libertates infringere, sed inviolabiliter observare; et quia vos fore scimus et credimus nostrae salutis avidos, et nostrorum felicium successuum amatores, ecce, quod vobis intimandum duximus ad in-

crementum gaudii latioris, quomodo et qualiter exaltator humilium Deus noſter nos rore ſancto ſalvificat, et cottidie influit gratiam ſalutarem, ita, quod in nobis ipſius patrocinio ſublevatis continua ad votum noſtrum vernant proſperitas, et bonorum omnium condimentum. etc. —

VII.

Ejusdem, ad Eliſabetham, Wernheri de Bolandia viduam, de eadem re declaratoriae.

Novit altiſſimus, qui ſecreta cognoſcit cordium, quod N. de Bolandia maritus tuus praedilectus bonae memoriae, pro cujus depoſitione lugubri lacrimas ſingultuoſas profudimus, tot et tanta nobis impendit obſequia fructuoſa, quod tibi et ſuis poſteris ad gratioſae conſolationis antidota perpetuo obligari volumus verae largitatis praemio conſequente. Caeterum ſciat tua devotio, quod illa gratia, quam de Iudaeis noſtris Bopardienſibus ſibi indulſiſſe fatemur, ſe amplius non extendit, quam ad illud, quod, quidquid bono et convenienti modo ab ipſis, ſalvis ipſorum libertatibus potuiſſet habere, de noſtra procederet bonâ voluntate; et quia per te contrarium attemptatum exiſtit, tenorem mandati regii exceſſiſti; unde devotionem tuam rogamus, quod â captivatione dictorum Iudaeorum deſiſtas, et permittas eos ea libertate gaudere, quam ſibi recognoſcimus indulſiſſe, et quidquid ab ipſis, ut praemiſimus, bono modo habere poteris, recipias liberaliter et benigne. Nos etiam in omnibus, quae tuum et liberorum tuorum reſpiciunt commodum et profe-

ctum, te tanquam pius protector et fotor confovere volumus et respicere gratiâ continuae largitatis.

VIII.

Assecuratio Rudolfi, quod ante expedita negotia civitatis N. reformari nolit cum fratre Ludovici Com. Pal. Rheni.

Verae fidei vestrae puritas, constantis devotionis integritas, ac inquassabilis perseverantia utriusque, quibus ad nostram et Imperii exaltationem ferventibus desideriis hactenus aspirastis, rationabiliter id exposcit, ut vestris necessitatibus providentes vestrum et civitatis vestrae commodum ubilibet procuremus, Vos tanquam probatos fideles Imperii a nostris memoralibus nullatenus excludentes. Quapropter scire volumus, et pro certo tenere, quod, cum illustris L. Palatinus Reni, Dux Bawariae, princeps et filius noster karissimus, pro reformando et reconciliando nostrae gratiae fratre suo, Regiae se nuper Celsitudini praesentarit, si ipsum reformationis amicae negotium contigerit pertractari, et ad finem devenire felicem, vestra procul dubio et communitatis vestrae negotia privatis nostris negotiis praeferemus, non sinentes inter nos et Ducem praedictum quidquam finaliter ordinari, nisi prius vestris agendis ad placitum expeditis; de quo Vestra fidelitas aliquatenus non vacillet. Coeterum, ut de prospero statu nostro nova Vobis accrescat materia gaudiorum, ecce, quod cunctis nostris negotiis prosperantibus undique, et in salutarium solio soliditatis, nichilominus divino munere fruimur beneficio sospitatis. —

IX.

Mandatum de non impediendo N. in exſtructione caſtri, quod in proprio fundo molitur.

Dilectus fidelis noſter, et avunculus tuus tot et tantis erga nos fidei refulget meritis, totque laborum diſcrimina in noſtris obſequiis ſuſtinuit indefeſſe, quod non ſolum per te, cui idem ſanguinis propagatione conjungitur, ipſe tenetur in his, in quibus ſibi ſuffragatur juſtitia, confoveri, verum etiam proemiis largioris debeat gratiae praeveniri. Igitur fidelitatem tuam requirimus pleniſſimo cum affectu, Regia tibi nihilominus auctoritate mandantes, quatenus ipſum in ſtructura caſtri, quod in proprio fundo aedificat, non praeſumas aliquatenus impedire, ſed potius ei diligenti ope et opera ad ſtructuram hujusmodi ſtudeas congruum patrocinium impertiri; bona ſua etiam univerſa et ſingula abſentiae ſuae tempore tanquam bona propria contra inſultus ſeu moleſtias quorumlibet perverſorum in ſtatu ſuo pacifico ſecurae protectionis velamine fideliter conſervando.

X.

Pro pace Imp. ſervandâ Rudolfus R. R. treugas jubet inter N. et N. junctâ citatione, ut in termino praefixo utraque pars coram ſe compareat.

DE TREVGIS SERVANDIS.

Auditis his et plenius intellectis, quae nobis litterarum tuarum ſeries, et religioſus vir N. tuus nuntius differebant, tanto amplius turba-

bamur, quanto ex diſcordia odioſa, quae inter te et T. proceſſu temporis acrius invaleſcit, majora non ſolum tibi vel illi, verum etiam toti terrae ſentimus poſſe diſcrimina ſuboriri.

Propter ſedandam itaque tam periculoſae diſſenſionis materiam labores et operas efficaces nos impendere non pigeret, ſi adhuc aliqua poſſemus excogitare remedia, eidem negotio profutura. Igitur Sinceritatem tuam attentius requirimus et hortamur, quatenus cum praedicto T. treugas firmas et inviolabiles usque ad feſtum N. proximum ſtudeas obſervare. Ad hoc etiam ipſum T. noſtris ſumus litteris exhortati. Et ut impretiabile bonum pacis interim inter te et ipſum per noſtram ſollicitudinem valeat ordinari, ante feſtum N. proximum iter arripias, ad noſtram praeſentiam veniendi, adductis tecum nobilibus N. et aliis tuis fidelibus potioribus, per quorum convenientiam plenariam et conſenſum ordinanda concordia cautius et firmius valeat confirmari; quibus, ſi neceſſe fuerit, de ſecuro conductu faciemus utique provideri. Ad eundem etiam terminum praefatum T. noveris nos vocaſſe. Super his et aliis honorabilem virum N. ad te decrevimus deſtinandum, cujus verbis ſuper praemiſſis fidem adhibeas credulam, tanquam noſtris.

XI.

De eadem contentione, ad partem adverſam litterae.

DE EODEM.

Nuper, dum tuarum litterarum ſeriem, quas Culmini noſtro deſtinaſti, audivimus, tanto graviori doloris aculeo horror odioſae diſcordiae,

quae inter te, et Epiſcopum N. ſeminaria ſuſcipit ſimultatum, noſtri cordis affecit intrinſeca, quanto diriora tibi et eidem Epiſcopo, totique circumjacenti provinciae, ac Reip. unioni exinde ſuboriri diſcrimina praevidemus. De hujus igitur diſſidii periculoſo turbine tota mente ſolliciti, quomodo et qualiter ad priſtinum pacis et concordiae ſtatum redeant univerſa, fidelitatem tuam rogamus et hortamur pleniſſimo cum affectu, quatenus usque ad feſtum N. cum praedicto Epiſcopo treugas ineas, et eas pro noſtrâ reverentia ſtudeas inviolabiliter obſervare. Ad hoc etiam praedictum Epiſcopum invitavimus cum affectu. Et ut perpetuae duraturae pacis amoenitas inter te et ipſum medio tempore valeat per nos, qui vocati ſumus ad hujusmodi ſollicitudinem, ordinari, ante feſtum N. futurum te noſtris conſpectibus repraeſentes; tunc enim inter te et ipſum Epiſcopum, quem ſimili modo vocavimus, quidquid latet rancoris vel odii, ſopietur. Inſuper, ſi ad noſtrae Majeſtatis praeſentiam praepedientibus aliis negotiis venire non poſſis, vel proceſſum non habuerit concordia exoptata, tempeſtive nobis tuae intentionis reſcribas propoſitum, ut filium noſtrum, generum tuum, cum omnibus ſibi neceſſariis, et honorifice tibi valeamus transmittere expeditum. Super his etc.

XII.

Rudolfus evocat AEpum N. ut cum Suffraganeis ſuis ad Curiam ſolennem (Norimbergae) *celebrandam veniat.*

VOCATIO AD CVRIAM.

Rudolfus etc. N. Epiſcopo. Ad Romanae monarchiae dirigenda molimina, ſuae miſericordiae unctione nos ungens altiſſimus, illum nobis revera ſervandae juſtitiae zelum indidit, eo commodi generalis augendi fervore circumdedit procul dubio ſolium Chriſti ſui, ut pro Republica, variis hactenus agitata calamitatum inſultibus, quoslibet perſonales ſubire labores, quaevisque rerum ferre diſpendia non vitemus.

Verum quia non eſt in rerum natura poſſibile, quod ſubſtantia corporis univerſi â capite ſine membrorum ſubventione regatur: interdum cogimur alios in comportationis hujusmodi participium evocare. Hinc eſt, quod, cum pro reformatione collapſi ſtatus Imperii, et communi tranquillitate fidelium apud N. in inſtanti proximo feſto N. curiam generalem duxerimus edicendam: Sinceritatem tuam attentius invitamus, rogantes pariter, et in fide, qua nobis et Imperio Rom. adſtringeris, requirentes, quatenus omni difficultate remotâ, praedictae curiae celebrationi praeſentialiter ſtudeas intereſſe, ut, quod ſingulos tangere noſcitur, ibi â ſingulis approbetur; Suffraganeis tuis omnibus nihilominus, quod ibidem ſimiliter dicta die compareant, efficaciter injuncturus. (Sed iſtud omittitur, quando ſcribitur Epiſcopis, et ſcribitur ſtatim poſt illud verbum: approbetur,) Ceterum noſtrum negotium apud ſanctiſſimum patrem no-

ſtrum, Dominum . . . Summum Pontificem efficaciter promovendum ex parte fidei tuae fiducialiter commendamus.

XIII.

Intimatio electionis Decani Eccliae. (forte *Leodienſis.*)

DECRETVM.

Illuſtri et magnifico Principi, Canonici Eccleſiae N. ſalutem et orationes in Xpo devotas. Cum nuper Eccleſia noſtra per mortem piae recordationis N. tunc noſtri et Eccleſiae noſtrae Decani fuiſſet viduata paſtore, nos unanimiter, et concordi conſenſu fratrum, N. diem collegimus, ad ſubſtituendum idoneum ſucceſſorem; qua quidem die convenientes in unum, qui voluimus et potuimus intereſſe, virum N. virum utique providum et diſcretum, et ad hujus dignitatis officium habilem, ut ſperamus et credimus, nominavimus et elegimus in Decanum, quibusdam paucis exceptis et infra ſacros ordines conſtitutis, qui vocem in capitulo juxta Canonum decreta non habent. Hunc igitur noſtrum Electum Dominationi veſtrae praeſentium ſerie praeſentantes, humiliter ſupplicamus, quatenus praenotatae Eccleſiae noſtrae, quae veſtra ſpecialis Capella dinoſcitur, ex interno compatientes affectu, ejusdemque tranquillitati proviſione propitia conſulentes, praedictum Electum noſtrum dignemini, prout ad vos ſpectat, gratioſo admiſſionis debitae beneficio praevenire. Datum etc. (Simili modo ſcribitur Epiſcopo; — et ſic formatur etiam Decretum ſuper poſtulatione, niſi quod, ubi hic continetur: *elegi-*

mus, - ibi ſcribatur: *poſtulavimus*; - et ubi: *Electum*, - ſcribatur: *Poſtulatum*. —)

XIV.

Abſolutio à vexâ civium contra Religioſos, qui pignora eorum apud ſe depoſita, orto incendio, alibi repoſuerunt, ubi poſtmodum conflagrârunt.

SVPER COMBVSTIS PIGNORIBVS.

QVI OCCASIONEM DAMPNIS NON PRAESTITIT, AD SATISFACTIONEM ILLORVM MINIME OBLIGATVR. Hanc legem rationis probabilem ſubtilius intuentes, fideles noſtros N. vel aliquem familiarium ſuorum occaſione pignorum combuſtorum aliquibus dampnis ſeu diſpendiis nullatenus involvatis, cum per eos non ſteterit, nec occaſionem praebuerint rebus taliter conſummatis, quas ignis inſania, et caſus fortuitus, qui intercipi et praevideri non poterat, non illorum negligentia, potius diſſipavit.

Dilecti fideles noſtri cives N. ſua nobis conqueſtione monſtrarunt, quod quibusdam eorum concivibus P. et H. fratribus in villa Sancti Viti ſub diſtrictus tui dominio tenentibus manſionem, apud quos villae Burgenſes ſua pignora deponebant, quidam ignis praevalidus, â quadam domo ibidem ſumens principium, totam villam deſtruere quodammodo minabatur, et dum praedictorum fratrum ſe domui applicaret, illi apud eos obligata civium pignora zelo bonae fidei aſportabant, illa inquam in quandam pla-

team à domo eorum aliquantulum diſtantem provide reponentes; ſed convaleſcens nimium dicti ignis furia domos vicinas cum cumulo pignorum, quem fecerunt, una ruina deperdidit penitus, et conſumpſit. Burgenſes igitur loci praedicti, dictis fratribus poſtmodum inſultantes, praedicta ab eis pignora contra juſtitiam extorquebant, et adhuc extorquere nituntur. Quod cum ſit inconveniens et abſonum vel diſſonum rationi: fidelitatem tuam attente requirimus et hortamur, quatenus dictorum Burgenſium motus compeſcens illicitos, praefatos fratres tanquam noſtros et Imperii fideles in juribus ſuis illaeſos facias conſervari, non permittens, ipſos occaſione inevitabilis dicti caſus aliquibus involvi diſpendiis et jacturis.

XV.

Rudolfus munitionem civitatis N. Dapiſero ſuo committit.

SVPER MVNITIONE ET CVSTODIA CIVITATIS.

RVDOLFVS etc. fideli Dapifero ſuo gratiam ſuam, et omne bonum. Neceſſe videtur, et eſt utile valde, quod plantationibus novellis de muris, foſſatis, et his, quae ad munitionem et cuſtodiam eorum requiruntur, diligentius caveatur. Hinc eſt, quod fidelitatem tuam in ea fide, qua nobis principaliter, et ex conſequenti liberis noſtris aſtringeris, requirimus et hortamur, mandantes tibi nihilominus firmiter et diſtricte, quatenus omnibus his, quae munitionem civitatis noſtrae N. reſpiciunt, et ut in libertatum ſibi à nobis indultarum jure permaneat illibata, auctoritate noſtra opem et operam applicare

ſtudeas diligentem; et licet ejusdem civitatis cuſtodiam nobili viro N. duxerimus committendam, quia tamen ipſe, utpote intentus pluribus, non poteſt, ut deberet, et eidem civitati forte expediret, curam gerere adeo diligentem: volumus, ut tam provide ſolliciteris de hujusmodi, quod tibi perinde teneri debeamus ad congruae et condignae retributionis uberrimam recompenſam.

Rudolfus etc. Prudentibus viris et diſcretis civibus N. gratiam ſuam, et omne bonum. Sciat fidelitatis veſtrae conſtantia, quod continuis ſollicitamur meditationibus, quomodo et qualiter haec, quae vobis proficiunt, et ad oppidi munitionem faciunt, feliciter inſtaurentur; propter quod fideli noſtro dilecto Dapifero diligenter commiſimus, quod omnia et ſingula, quae bonum et tranquillum veſtrum ſtatum reſpiciunt, et jurium vobis indultorum obſervantiam tangere noſcuntur, ea qua poteſt ſollicitudine et efficacia faciat et procuret. Vos igitur una cum eodem Dapifero diligentes eſtote ad haec, quae munitionibus oppidi proficiunt, et libertatibus indultis expediunt, fructuoſius inſtauranda; in quibus revera Majeſtatem regiam ſentietis efficaciſſimam promotricem.

XVI.

Rudolfus concedit F. F. Praedicatt. in Viennâ, ut liceat eis ex nemoribus Vindobonens. quotidie plaustrum lignorum pro usibus suis gratis educere.

Rudolfus etc. Vniversis sacri Imperii Romani fidelibus gratiam suam et omne bonum. Volentes dilectos devotos nostros, viros religiosos et conversationis honestae, fratres ordinis fratrum Praedicatorum in Wienna, quorum ordinem commendabili sanctitatis flore florentem indeficientis caritatis ardore sincere diligimus, velut benedictionis aeternae filios, celibis vitae flagrantia choruscantes, favore et gratia semper prosequi speciali, eisdem ex benignitate regia liberaliter duximus indulgendum, ut diebus singulis de regali Clementia perpetuo unam carratam lignorum continue sine contradictione cujuslibet possint de nemoribus Wiennensibus nostris et Imperii secure educere, suis communibus usibus vel ignibus applicandam; dantes eisdem fratribus Wienneñ. has nostras litteras in testimonium super eo etc.

Recommissio fratrum.

Rudolfus etc. Prudentibus viris, Iudici, Consulibus, et universis civibus in N. etc. Quia honorabiles et religiosos viros, Fratres Praedicatores, in quorum vita sancta, et conversatione laudabili veluti aromatum suavi odore reficimur, in cunctis, quae diriguntur ad salutem, speciali semper prosequi volumus gratia et favore, ut juvemur eorum piis intercessioni-

bus apud Deum: fidelitati veſtrae devotiſſime eosdem fratres, qui cottidie coeleſtibus ſunt intenti, duximus propenſius committendos, rogantes et mandantes affectu quo poſſumus ampliori, quatenus eos in ſuis agendis et negotiis omnibus ſtudeatis pro divina, noſtraque reverentia favorabiliter promovere, ut obinde praeter caducam noſtrae ſerenitatis gratiam, quam Vobis uberius poteritis comparare, ſempiternam gloriam poſt mundanas illecebras ſuis orationibus impetrent regis ſummi.

Recommendatio F. F. Praedicatorum.

Super eo, quod tantae devotionis et fidei puritate, prout litteris veſtris nobis innotuit, preces noſtras, quas vobis pro honorabilibus et religioſis viris fratribus Praedicatoribus direxiſſe meminimus, admiſiſtis, devotionis veſtrae promptitudinem gratiarum actione laudabili conſequente multipliciter commendamus, rogantes omni quo poſſumus ſtudio et affectu, quatenus eosdem, quorum revera ordine perfecta viget ſanctitas, et per quos mundus illuſtratur cottidie monitis et doctrinis, ſicut laudabiliter inchoaſtis, pro divina noſtraque reverentia vobis habere ſtudeatis propenſius recommiſſos, eisdem in ſuis agendis et negotiis omnibus tam ferventis diligentiae ſtudio aſſiſtentes, quod vobis univerſis et ſingulis proinde ad grates et gratias cum promotione ſedula diſtrictius obligemur, et in gloria ſempiterna poſt mundi hujus illecebras poſſitis corona immarceſcibili coronari.

XVII.

Rudolfus etc. caſſat proceſſus, contra Arnoldum Reginae Camerarium, tempore abſentiae illius emanatos.

DEFENSIO CVRIALIS.

Longaeva conſuetudo nobis â clarae memoriae Imperatoribus et Regibus, noſtris praedeceſſoribus hactenus obſervata, cujus non eſt exilis auctoritas, cum ſit jure et ratione fulcita, evidenter expoſtulat, ut hi, qui cottidie latera comitantur Regia, et in noſtris, ac totius Reip. negotiis una nobiscum noctes perſaepe perducunt inſomnes, non vitantes rerum pericula et corporum cruciatus, in ſuis bonis ſeu juribus abſentiae ſuae tempore, a nullo, juris ordine ſeu quoquo modo alio diſpendioſe tangantur. Igitur pro dilecto fideli noſtro Ar. Advocato, Camerario conſortis noſtrae kariſſimae, qui in noſtris et totius Reip. negotiis ſublimius attollendis, tam gravibus laboribus cottidie ſe ſubmittit intrepide, quod merito debeat imperiali lege tueri: fidelitati tuae firmiter injungendo mandamus, volentes praeciſe, quatenus proceſſus quoslibet contra ipſum abſentiae ſuae tempore per quoscunque habitos vel habendos, ſive juris ordine, vel injuria fulciantur, ſicut nos diligis, cum ſumma diligentia indilate revocare et retractare aliqualiter non omittas, bona ſua univerſa et ſingula contra impetitiones et inſultus quorumlibet, ſicut bona propria protegendo. Et ut circa praemiſſa noſter tibi plenius conſtet affectus, quantocius nobis reſcribas, quid, et qualiter per te actum fuerit in praedictis. —

XVIII.

Rudolfus etc. discordiam inter nobiles N. et N. Comiti de Hohenberg committit decidendam.

Rudolfus etc. Comiti de Hohenberg sororio et fideli suo dilecto g. s. et o. b. Quia revera cuncta, quae pacis observantiae, et terrae commoditatibus proficiunt, instaurare, prout tenemur, ex debito nos delectat: fidelitati tuae tenore praesentium firmiter et districte injungendo mandamus, quatenus inter nobiles viros N. et N. efficaces et sollicitas interponere studeas partes tuas, eisdem diem aliquam ad concordandum et reconciliandum eos, vel secundum compositionem amicabilem, vel viam justitiae, praefigendo; in qua siquem praedictorum juri rebellem cognoveris, te alteri stare consiliis et auxiliis volumus et praecipimus adhaerere.

XIX.

Mandatum de praestando patrocinium pro observatione pacis generalis Imperii.

PRO PACE GENERALI.

Cupientes ex intimis, his, quae bonum pacis, et tranquillum statum terrae respiciunt, prout ex regiminis nobis traditi tenemur debito, opem et operam sollicitam applicare: Vniversis vobis et singulis districte praecipimus et mandamus, volentes praecise, quatenus de rebus vestris taliter velitis disponere, quod, quando nobilis vir N. pro generalis pacis observantia vos duxerit requirendos, eidem consilii et auxilii ve-

ſtri poſſitis patrocinium impertiri, maxime cum id ad Regiae Majeſtatis gloriam et votivum veſtrum profectum et commodum cedere videatur.

Palea.

Illa ſincera devotio, et illibata fidei puritas, quibus nos, et Imperii decus et decorem amplecteris, bene merentur, ut de ſtatu regio tua reddantur praecordia certiora. Igitur fidelitati tuae nuntiamus ad gaudium, quod deſuper annuente altiſſimo, cuncta noſtra et ſacri Imperii negotia diriguntur ad votum, et quanto poſſumus celerius, ad partes Italiae noſtra veſtigia dirigemus.

XX.

Protectoria civium in N. in juribus ſuis Mutae apud Novum Forum.

Fidelitati tuae diſtricte praecipiendo mandamus, quatenus N. cives noſtros in juribus ſuis, quae in Muta apud Novum Forum habuerunt hactenus et hucusque, non impedias vel moleſtes, ſed ipſos ob noſtri reverentiam conſerves inviolabiliter in eisdem.

Pro reſtitutione captivi.

Ex parte N. dilecti noſtri, Culmini noſtro intimatum exiſtit, quod nobilis vir N. nomine cujus et pro quo cum ipſo N. usque ad feſtum N. nunc proxime venturum treugas perſonaliter accepiſti, quendam ipſius N. famulum captivavit. Igitur fidelitatem tuam depoſcimus et hor-

tamur, quatenus ad restitutionem liberam N. famuli pro nostra reverentia diligentius elabores, cuncta alia ipsius N. negotia, prout saepe saepius te regalis sollicitaverat serenitas, fideliter promovendo; securum ad nos habens respectum, quod idem N. nec verbo nec facto machinabitur, quae in honoris tui praejudicium vergere videbuntur, sed te et tuos affectu et favore prosequi non desistet. Nam si secus faceret, quod absit, nullatenus pateremur.

XXI.

Ordinatio custodiae civitatis.

Vniversis in districtu N. residentibus volumus esse notum, quod de consilio nostrorum fidelium, pro custodia civitatis N. ibidem aliquos fideles Imperii ordinavimus pro tempore, sicut constat, pro quorum sustentatione admittimus, ac bonâ admisimus voluntate, quod de singulis villis in ipso judicio situatis modica pecunia exigatur, ne per supradictos fideles nostros ibidem manentes per receptionem pabuli atque foeni majora dampna ac incommoditates incolis provinciae inferantur.

XXII.

Gratia facta incolis Vallis de Swiz.

Fidelitati tuae tenore praesentium declaramus, quod nos fidelibus nostris universis VALLIS DE SWIZ incolis, hanc indulgemus et facimus gratiam, quod super quaestionibus, eisdem incolis â quocunque motis vel movendis, quocunque nomine censeantur, coram nullo, nisi coram

nobis, vel filiis noſtris, aut Vallis judice poſſint vel debeant conveniri. Tu igitur, quod iidem noſtri fideles contra indulti noſtri tenorem coram aliquibus aliis extra Vallem ipſam judicibus juri ſtare compellantur, nullatenus patiaris.

XXIII.

Mandatum cum clauſula, ſuper illatis incendiis, rapinis et injuriis etc.

CITATIO CONDITIONALIS.

Conqueſti ſunt nobis N. quod tu cum aliis tuis complicibus, ipſis multas injurias et dampnoſas moleſtias incendiis et rapinis intollerabilibus irrogaſti, petentes, ſibi ſuper hoc à nobis de juris beneficio exhiberi juſtitiae complementum. Nos itaque dolentes, quod cum praedictis habeas aliquam diſſenſionis materiam, tibi conſulimus, et cum precum inſtantia te rogamus, quatenus cum ipſis infra hinc et N. feſtum amicabiliter te complanes; alioquin volentes partium laboribus parcere et expenſis, in craſtino feſti praedicti quod tibi pro termino peremptorio praefigimus, te noſtris conſpectibus repraeſentes, reſponſuris eisdem ſuper actionibus contra te in noſtra praeſentia proponendis; ſciens pro certo, quod ſi amicabili compoſitione diſcordia, quae inter te et praedictos vertitur, medio tempore non fuerit complanata, ſive compareas, ſive non compareas in termino praefixo coram nobis, procedemus in cauſa, quemadmodum de jure fuerit procedendum.

XXIV.

Vt bona ab Imperio diſtracta quantocyus revocentur.

PRO BONIS RECVPERANDIS IMPERIO.

Inter coetera, quae nobis parere poſſunt augmenta laetitiae, illud quaſi potiſſime placidum votis noſtris accideret, quod vulgaris tenet opinio, et ad notitiam multitudinis perveniret, quod bona Imperii pridem in illis diſtracta confiniis ad jus noſtrum et Imperii ſtrenue revocaſſes. Cum igitur de tuae fidei puritate fiduciam pleniſſimam habeamus, quod haec et alia honori noſtro congruentia debeas exequi toto poſſe, rogamus attentius te hortantes, quatenus invocato ſuper hoc conſilio et auxilio N. N. ad eorundem bonorum diſtractorum et alienatorum recuperationem efficaciter elabores.

XXV.

Vt caſtrenſes caſtri N. ibidem reſidentiam faciant.

BVRGHVDE.

Ne caſtrum noſtrum, quod fidei tuae commiſimus, aliquibus contingat involvi diſpendiis, aut periculis implicari, praeſentium tibi tenore mandamus, quatenus omnes caſtrenſes, qui in caſtro noſtro N. commorari tenentur, ad hoc, ut inibi moram trahant, et reſidentiam faciant perſonalem, cum diligentia moneas, et inducas, eosdem ad id per ſubtractionem ſuorum caſtrenſium feodorum, ſi opus fuerit, compellendo.

Successio foeminae in feodo.

Libenter vos ad opera pietatis allicimus, ubi praecipue postulantis affectio honestatis et justitiae beneficiis adjuvatur. Hinc est, quod pro dilecto nostro N. quem suae meritis probitatis, amoris amplectimur privilegio singularis, discretionem vestram rogamus affectu quo possumus ampliori, quatenus ei pro divina nostraque reverentia liberaliter indulgere velitis, ut, si contingat eundem absque heredis masculi successore decedere, ad ipsius filias feodum bonorum, quae à vobis et Ecclesia vestra tenet, successione derivetur, ut praeter proemium retributionis aeternae, quod exinde vobis copiose thesaurizare poteritis, vos et vestram Ecclesiam debeamus praerogativa favoris et gratiae prosequi singularis.

Feudum pignoris loco constitutum.

Ob clara dilecti fidelis nostri N. eximiae probitatis merita, de solitae benignitatis affectu inducimur, ut eundem specialis praerogativae gratia prosequamur. Eapropter eidem N. in verum feodum concedimus omnes utilitates et proventus villarum N. donec centum marcas argenti legalis eidem integre persolvamus, de quibus marcis solutis ipse N. tenetur praedia et possessiones comparare, quae sibi et suis heredibus debeant perpetuo in feodum legitimum permanere; dictis villis solutâ sibi praedicta pecuniâ â feodali obligatione penitus liberatis.

XXVI.

Mandatum de non turbando F. F. minores in N.

PRO FRATRIBVS MINORIBVS.

Ex inſinuatione querula religioſorum virorum fratrum minorum, quos propter vitae ſuae candorem eximium ferventis caritatis ardore proſequimur ſincere, et ulnis amplectimur gratiae ſingularis, nuper didicimus evidenter, quod tu ipſos contra libertates eorum, et jura ipſis hactenus à tuis felicis memoriae anteceſſoribus inviolabiliter obſervata impedis et perturbas, nec permittis eos illo jure gaudere, quo usque ad haec tempora ſunt gaviſi. Eapropter Sinceritatem tuam requirimus et hortamur affectu quo poſſumus ampliori, quatenus ad ipſorum ſanctam vitam dirigens diligenter intuitum, perſpectius intuendo, qualiter ipſi in lucem ſunt vocati gentium, ut ſanctis doctrinis et monitis tollant peccati vinculis vinculatos de tenebris, et illuminent totum orbem; eosdem fratres in ſuae libertatis jure ac conſuetudine rationabili, vel recommendabili et honeſtâ, pro Dei, noſtraque, et ordinis reverentia perſeverare permittas pacifice et quiete, ut ipſi ſeminent more ſolito ſalutarem ſcientiam inter gentes, et ſuis confeſſionibus curent populum lepra peccati luridum et infectum. Propter hoc ceſſa, Princeps kariſſime! perſequi viros ſanctos, ſed ipſos confove, et eris bonorum actuum ſuorum particeps, regiaeque benignitatis animum ſenties gratioſum.

De eodem.

Super eo, quod religiosos viros, fratres minores, quorum ordinem sincerae caritatis ardore diligimus, Spiritus accensi fervore paracliti, in negotiis suis et agendis benignitate laudabili consovetis, et eorum perturbationibus condescenditis evidenter, sicut ex eorum relatione cognovimus, grates et gratias vobis referimus copiosas, rogantes affectu quo possumus ampliori, quatenus, sicut erga eosdem fratres laudabiliter inchoastis, sic eos studeatis continuatione commendabili in suis agendis et juribus conservandis favorabiliter promovere. Propter hoc enim iidem fratres corda vestra salutaribus illuminabunt monitis, et juvabunt suis piis orationibus apud Deum, et merebimini per eos summum regem habere propitium, Regiaeque Majestatis gratiam in affluentia gratiosam.

De eodem.

Quia religiosos viros fratres minores singularis amoris et dilectionis privilegio ac favore amplectimur, pro ipsis, qui totum orbem illuminant suis salutaribus monitis et doctrinis, et corda fidelium instruunt ad salutem: Sinceritatem tuam rogamus omni qua possumus instantia et affectu, quatenus ipsos in negotiis et agendis suis omnibus tibi habeas propensius recommissos, inter ipsos, et venerabilem Episcopum N. ut in jure suo perseverent illaesi, interponendo partes tuas favorabiliter et benigne; propter hoc enim te et tuos speciali prosequi volumus gratia et favore.

XXVII.

Praeceptum, ut omnes Imperii fideles personam et bona pupilli cujusdam defendant, et non turbent.

PVPILLI DEFENSIO.

Ad hoc noſtris humeris regiae dignitatis eſt impoſitus principatus, armique noſtri ſacrae delibutionis oleo ſunt peruncti, ut manu fortitudinis, brachioque extento ſimus omnium ſub Romano Imperio degentium defenſores. Sed etſi teneamur ad hoc omnibus ex cura ſuſcepti regiminis obligati, illos tamen praecipuè volumus et debemus protegere, quos divinum oraculum noſtrae protectioni commiſit ſpecialius cum praecepto, clamans: *Pupillo et orphano tu eris adjutor.* Sane dilectus noſter N. paterno ſolatio deſtitutus non tantum propter pupillarem, verum etiam infantiae teneritatem, cum nondum ſit quinquennis, ſe ipſum non poteſt defendere, vel juvare. Eapropter eundem noſtram recepimus in tutelam, omnia bona ſua mobilia et immobilia ſub noſtri praeſidii, muniminis et protectionis clipeo aſſumentes. Quapropter omnibus Imperii Rom. fidelibus praecipimus noſtrae gratiae ſub obtentu, nequis dictum infantem, ſeu bona ſua audeat invadere, ſeu aliqualiter perturbare; ſiquis hoc temerarie praeſumpſerit, noſtrae Majeſtatis indignationem ſe noverit incurſurum, et taliter puniendum, quod ipſius pena erit caeteris in terrorem.

XXVIII.

Rudolfus etc. nobili N. concedit forum ſeptimanale in villâ ſuâ N. —

EDICTIO FORI.

Benigna gratiae noſtrae proviſio, quam ſub quodam humanae dilectionis amplexu regalis fortunae faſtigium clementer amplectitur, ſubjectorumque commoditatibus condeſcendit, tanto libentius ad fideles noſtros ſe naturali quadam neceſſitate debet portendere, quanto magis eos in obſequiorum exhibitione praecipuos invenimus, et tam devotione, quam opere clariores. Sane cum ad hoc in oportunis locis forum campeſtre conſueverit ſtatui, ut in eis ementium atque vendentium procuraretur utilitas, et alterna commoditas augeatur: nos Reip. bono ſtatui cupientes aſſiduo incremento ſalubriter providere, nobilis viri N. noſtri fidelis, ob grata, quae nobis impendit, obſequia, et adhuc impendere poterit gratiora, devotis ſupplicationibus inclinati, in villa N. utpote loco ad id habili et apto, ebdomadale forum die N. perpetuo duximus edicendum, volentes, et praeſenti edicto mandantes, ut omnes, qui in dicto foro pro hujusmodi emptionis et venditionis commercio exercendo confluxerint, in perſonis et rebus noſtrâ et Imperii ſpeciali protectione congaudeant, et forenſium privilegio libertatum.

XXIX.

Commiſſio pro recipiendo homagio et fidelitate.

SVPER IVRAMENTO FIDELITATIS.

Vocati divinitus ad regale faſtigium eo diſponente, qui erigit humiles ad ſublime, debemus ab eis, qui ſub regiae poteſtatis reſpirare ſe gaudent umbraculo, debitum debitae obeditionis exquirere, ipſosque ad unionis fidelium ejusdem Imperii participium allectivis inductionibus invitare, ut, ſicut fuerunt hactenus exigente dierum malitia tribulationibus et preſſuris obnoxii, ſic dominii noſtri ſuavi refloreant novitate. Ecce igitur nobilem virum H. Comitem de N. dilectum fidelem et conſanguineum noſtrum ad vos cum fiducialitate transmittimus, attentius vos rogantes, quatenus juxta divinae praeceptionis edictum, quo Deo, quae Dei, et Caeſari, quae Caeſaris ſunt, reddere quisque debet, eidem noſtro nomine praeſtetis hilariter fidelitatis nobis debitae juramentum, ſcituri certiſſime, quod ſi adinſtar aliarum civitatum noſtrarum contributionem impoſitae ſibi precariae pro conſervatione totius Reip. prenotato Comiti loco noſtri feceritis liberaliter et libenter, nos univerſas libertates et jura vobis ab inclytae recordationis Friderico ultimo Romanorum Imperatore, ſuisque praedeceſſoribus pie ac benigne conceſſa, benignius innovabimus, et auctoritate Regia muniemus; ad quod nos utique praeſentibus obligamus.

XXX.

Testimoniales super investitura regiâ Episcopi in N.

CONCESSIO REGALIVM.

Rudolfus etc. Vniversis etc. Romani Imperii celsitudo consurgens antiquitus et fundata mirifice super immobile fundamentum excellentiae praerogativa, qua viguit, columpnis meruit stabiliri stabilibus, et eggregiis aedificiorum juncturis indissolubiliter adornari. Inter quae quidem illustres principes ad totius operis machinam supportandam praecipue ut columnas potiori praestantia praeeminere, ut quo uberius gratiae privilegiis insigniri se sentiunt, eo amplius debeant in obsequiosae vicissitudinis redhibitione gratuita caeteris praeclarere. Sane, cum venerabilis N. Episcopus N. dilectus princeps noster, ad Celsitudinis nostrae praesentiam nuper accedens, Romano Imperio atque nobis obsequiosae devotionis signa praetenderit, et omnimodae obeditionis insignia praesentarit: nos ipsum tanquam nostrum et Imperii Principem ad benivolos applausivae dulcedinis admittentes amplexus, regalia feoda principatûs pontificalis, quem obtinet, sibi de liberalitate Regia concessimus, et eundem Episcopum investivimus de eisdem, administrationem temporalium, et jurisdictionem plenariam principatûs ejusdem Ecclesiae praenotato Episcopo praesentium serie committentes. Quocirca universis et singulis vasallis, ministerialibus, et hominibus suis et Ecclesiae suae damus praesentibus in mandatis, quatenus ipsi Episcopo tanquam principi nostro, et Domino suo intendant humiliter et pareant reverenter.

XXXI.

Admonitio Regis ad N. ut filium suum ab insolentiis et excessibus contra N. retrahat.

Quia te pura dilectione ac sinceritate perfectae amicitiae diligimus, bonum tuum semper promovere intendimus, et quod tibi foret contrarium, praecavere pro viribus concupimus. Eapropter te scire volumus, quod frequens et assidua nos querela circumstrepit de filii tui N. insolentiis et excessibus, quibus N. ab ipso tuo filio se affectum jampridem, et cottidie affici conqueritur. Quare tibi consulimus eâ fide, quâ tibi constringimur, ac cum precum instantia te rogamus, quatenus omnibus modis, quibus potes, ad hoc satagas et labores, ut illa discordia ante festum N. sopiatur; alioquin dicto N. in sua querimonia persistente, juris denegare beneficium non valemus. Nolumus etiam, ut, cum tu ab illicitis te ipsum abstineas, committentes illicita sub umbra tui nominis sua habeant receptacula, nec ipsos debeas receptare.

XXXII.

Promotoriales, ut N. justitiam impendat.

PRO IVSTITIA FACIENDA.

Querelam gravem fidelium nostrorum N. nuper accepimus, continentem, quod tu super eorum hereditate paterna, in qua ipsorum de jure funiculi ceciderunt, non levem irrogas eis injuriam, et eisdem indebite denegas exhibere, quod debitum eis hereditariae successionis impendit. Hinc est, quod Sinceritatem tuam attente requirimus et hortamur, quatenus ipsis

ſuper praemiſſis tam promptae juſtitiae plenitudinem ſtudeas impertiri, quod non cogantur deinceps ſuper defectu hujusmodi ad tribunal Regiae Majeſtatis habere recurſum, et nos proinde tibi, ſi regia via proceſſeris, non declinans ad dexteram vel ad ſiniſtram, ad ſpeciales grates et gratias obligemur.

XXXIII.

Litterae Regis arreſtatoriae contra monachum apoſtatam, raptorem et incendiarium.

PRO DETINENDO APOSTATA.

Quia facinoroſorum impunitas viam frequenter aperit improbis, deteriora prioribus committendi: Nos, quibus coelitus gladius temporalis eſt creditus, ad laudem bonorum, et vindictam malorum, volentes ex officio dignitatis aſſumptae ſceleratorum malitiam cohibere: fidelitati veſtrae ſub obtentu gratiae noſtrae diſtricte praecipimus et mandamus, quatenus ad detentionem et captionem N. qui de ordine fratrum N. velut apoſtata dicitur exiiſſe, et per ingratitudinis deteſtabile vitium in eosdem fratres, quorum uberibus delicioſius extitit educatus, hoſtiliter tam rapinis quam incendiis debachari, omnimodis curis et ſtudiis efficaciter intendatis, eundem noſtro beneplacito ſervaturi, ut juxta multitudinem criminum patratorum condignam et debitam poenitentiam valeat reportare.

XXXIV.

Promotoriales ulteriores, pro juſtitiâ impendendâ.

Quia miſerandae miſeriae miſerabilium perſonarum miſericordiae viſcera obſerare nequimus, in admirationis ſpiritum rapimur vehementis, ex eo, quod, licet alias per N. preces regias vobis direxerimus et mandatum, ut ſibi ſuper illatis injuriis exhiberetis exactae juſtitiae complementum: vos tamen ſilicei cordis duritiam adamante durius indurantes, immo afflictionem addentes afflicto, eisdem precibus et mandato contemptis, permittatis eum fatigari laboribus gravibus et expenſis, ſuae non compatientes inopiae, nec juſtitiae ſibi debitum impendentes. Hinc eſt, quod iterato in fidei debito, quod vos nobis aſtringit, et ſub obtentu gratiae noſtrae vobis diſtricte praecipiendo mandamus, quatenus ipſi N. tam gratioſam et celerem ſtudeatis juſtitiae plenitudinem impertiri, quod non cogatur deinceps ad regale tribunal habere recurſum.

XXXV.

Evocatio, ut ad curiam ſolennem in Nurenberg veniatur.

VOCATIO AD CVRIAM SOLLENNEM.

Diſponentes incommutabili animo, prout aliàs tibi litteris noſtris innotuit, apud N. locum, N. die, ſollempnem curiam nuper à nobis edictam in regio apparatu magnifice celebrare: Sinceritatem tuam nunc denuò requirendam du-

ximus, et hortamur, affectu quo possumus ampliori, quatenus omni relegato cujuscunque difficultatis obstaculo tam festivae sollempnitati, et tam celebribus sollempniis, prout condecet, studeas personaliter interesse; hoc enim si votis nostris annueris, adeo habundanter et affluenter ergà te volumus procul dubio loco et tempore promereri, quod grato Domino gratulaberis, te revera gratuitum et acceptum obsequium sic gratanter, et sic utiliter impendisse.

Ex favore caritatis intrinsecae, quem ad vos habuimus hactenus, et adhuc incessanter habemus, vos firmiter credimus ergà nos vice reciproca filiali affectione moveri. Quocirca dilectionem vestram in fidei puritate suadendo requirimus et affectuose rogamus, quatenus vos ab omnibus aliis quibuscumque difficultatibus explicantes, ad curiam regalem non pigritemini vos conferre. Hoc enim indubitabiliter credimus vobis proficuum, et honoribus vestris et commodis multipliciter adauctivum, et praeter haec quaedam apud nos personae consistunt, quas ex amabili collocutionis vestrae dulcedine valde contingeret recreari. Caeterum super morâ discreti viri N. quam revera contraxit invite nobiscum, tractus desiderio remeandi, eundem â vobis petimus excusatum haberi, eo quod tam nos, quam inclytus Dominus noster N. etc. Insuper pro Camerario vestro, quem casus fortuitus vestrâ seclusit â gratia, culpae forsan impositae crimine non culpatum, benignitatem vestram affectu plenissimo deprecamur, quatenus indignationis acredinem misericordiae mollientes unguento, eundem ad pristinae gratiae, causa nostrae reverentiae, revocetis amplexus.

XXXVI.

Rudolfus etc. exigit ſubſidium á civitate N. pro adjumento celebrationis curiae ſollennis inſtantis.

Libertates et immunitates vobis â noſtra Serenitate conceſſas, ut decet, plenarie recognoſcimus, et ſimpliciter profitemur, vobis debere perpetuò fore ſalvas. Verum ex quo tam evidens nos probatur urgere neceſſitas, quod nec vobis, nec aliis, quantumcunque conjunctis et caris parcere poſſumus iſta vice, propter ſollempnem curiam noſtram, quam celebraturi ſumus in proximo ſumptuoſe, oportet nos neceſſario veſtris ſubſidiis adjuvari. Hinc eſt, quod univerſitatem veſtram affectuoſiſſime requirendam duximus et hortandam, quatenus nobis in LXX. libris pro dicta curia celebranda velitis munifice ſubvenire; hoc enim in aliis vobis intendimus grata viciſſitudine compenſare.

XXXVII.

Privilegium de non evocando.

Volentes dilectos fideles N. cives N. ſicut ſunt in fidei claritate conſpicui, ſic gaudere privilegio gratiae ſingularis, eisdem tenore praeſentium indulgemus, quod ſuper haereditariis bonis, feodalibus ſcilicet, ſive proprietariis aut allodiis, extra civitatem trahi non debeant â quocunque ad forum et judicium ſeculare, ſed infra civitatem de bonis hujusmodi juſto juris tramite conveniri. In cujus rei etc.

Mandatum de componendis diſcordiis.

Volentes, et praecordialiter intendentes ſubortam inter te, et ſtrenui viri N. generalis diſſenſionis materiam propter bonum pacis inpretiabile, et terrae commodum conſervandum penitus conſopiri: fidelitati tuae mandamus, quatenus in praedicta quaeſtione ſeu cauſa vel ſecundum viam juris, vel compoſitionem amicabilem decidenda, in nobiles viros N. praeciſe et ſimpliciter compromittas, ita, quod, quicquid iidem ſuper hoc diffiniendum ſeu ordinandum decreverint, per te et tuum adverſarium praedictum inviolabiliter obſervetur.

De eodem.

Fidelitati veſtrae mandamus et injungimus praeſentibus ſtudioſe, quatenus cauſam ſeu quaeſtionem, quae inter N. et N. vertitur, diſcuſſioni veſtrae aſſumere, et vos de ipſa intromittere nullatenus omittatis, ad hoc, quod eandem quaeſtionem vel ſecundum viam juris, vel compoſitionem amicabilem decidatis, vos fidei datione juramenti nomine ſtrictius et fidelius aſtringentes.

XXXVIII.

Retractio ſententiae à Rudolfo latae, ad ſententiam judicum contrariam, ſolemniter pro tribunali edictam.

Cum nuper in civitate noſtra N. Regia Celſitudo pro tribunali ſollempniter praeſideret, ex parte dilecti famuli noſtri N. fuit propoſitum

coram nobis, quod, cum N. uxorem ipsius N. legitimam suo femori applicans impudenter, in aliis comminationibus et convitiis nihilominus contra eum columpniosus insurgeret et blasphemus, idem N. tam publicas, tam et intolerabiles aequo animo non est passus injurias, quin praefatum offensorem suum in quodam loco suspecto cum ipsa uxore sua legitima invaderet deprehensum, et hostiliter trucidaret; propter quod à nobis proscriptionis sententia innodatus, condempnatus. In sententia igitur ex parte praedicti N. fuit cum instantia requisitum: utrum secundum processus hujus merita eum teneremur ex potestate regia pristino restituere juri suo? Super quo quidem sententialiter extitit judicatum, approbantibus universis, qui affuere praesentes, quod ipsum N. in pristinum statum juris sui per omnia restituere deberemus, et cuilibet conquerenti de ipso in curia nostra, justitiae plenitudinem exhibere.

Nos igitur ipsam sententiam, utpote rite prolatam ratam habentes et gratam, secundum formam superius annotatam, eundem N. ex plenitudine regiae potestatis plene ac integre restituimus pristino juri suo, acsi praefatum homicidium nullo umquam tempore perpetrasset, rehabilitantes eundem ad omnes actus legitimos, et civiles honores, ita, quod in omnibus suam, ut prius, libere prosequi valeat actionem. Quocirca universitati vestrae districte praecipiendo committimus et mandamus, quatenus ipsum N. prout praemissum est, plenarie restitutum, in vestrum concivem liberaliter admittentes, non inferatis, aut permittatis eidem in persona vel rebus ullam inferri molestiam vel jacturam; quod qui facere forte praesumpserit, gravem regiae indignationis offensam se noverit incursurum; nos

enim quibuslibet, ullam adverſus eundem habentibus actionem, parati ſumus offerre juſtitiae complementum.

XXXIX.

Rudolfus etc. Comiti N. conductum, aliaque feuda ſua regalia abſenti transmittit.

TRANSMISSIO FEODORVM.

Dilectorum fidelium noſtrorum votivis deſideriis tanto gratioſius et liberalius occurrendum cenſemus, quanto ipſorum fidelium deſiderium devotionem indicat pleniorem, et majorem exauditionis in ſe continet aequitatem. Hinc eſt, quod nos ad N. juxta latus regium conſtituti inſtantiam, et ob fidelem clariſſimi Comitis N. devotionem, et devotiorem ipſius fidelitatem, eidem Comiti conductum per N. locum, quem â nobis et Sacro Rom. Imperio in feodum obtinere dinoſcitur, cum omnibus aliis ſuis feodis â noſtra Majeſtate tenendis, per manum ſupradicti N. transmiſimus, et transmittimus praeſentium teſtimonio litterarum, quibus in evidens robur et teſtimonium praemiſſorum, Majeſtatis noſtrae ſigillum ex noſtro ſpeciali beneplacito eſt appenſum.

XL.

Rudolfus etc. indulget, ut N. in villâ ſuâ N. forum ſeptimanale exercere queat.

CONCESSIO FORI SEPTIMANALIS.

Cum ex eo, quod commercia et negotiationes in diverſis locis â diverſis exercentur hominibus, fructuoſus effectus ſe in illis exercitantibus conſueverit provenire, eo quod defectum unius partis vel loci, ex alicujus rei carentia incidentem, alterius partis vel loci ſuppleat habundantia tam habunde, quod excluſis defectibus utrobique et hic et illic, rerum et mercimoniorum profectibus hominum copia proveniat copioſa; hoc attendentes noſtra Serenitas, dilecto fideli noſtro N. ſupplicante nobis humiliter et devote, ut, cum ipſe quoddam opidum vel villam dictam N. habeat, forenſibus negotiis oportunam, nos de benignitate regia concedere dignaremur, quod in dicto opido ſive villa forum ſeptimanale, die videlicet N. poſſit et debeat exerceri. Nos ſuis humilibus precibus benigne ac miſericorditer inclinati, permittimus, et conſenſum Regiae Majeſtatis ad id favorabiliter inclinamus, quod in dicto opido ſive villa forum ſeptimanale dicta die N. commune omnibus celebretur, hac libertate et gratia ipſum forum vallantes, quod homines forum hujusmodi frequentantes, eundo ad id, ac abinde redeundo, noſtrae Regiae Majeſtatis gratia ſint protecti, nequis eos in perſonis vel rebus praeſumat aliqualiter moleſtare; quod qui facere etc. Praeterea volentes dicto N. gratiam facere ſpecialem, favorabiliter concedimus, quod dictum opidum ſeu villa omni jure, gratia, et libertate, qua

et civitas noſtra N. per omnia ſit dotatum. In cujus rei etc.

XLI.

Moneta. — Ius civile.

Ad id benignitatem regiam movet veſtra fidelis devotio, et devota fidelitas, quod, quaecunque pro veſtra utilitate devote depoſcitis, nos ad ea debeamus benignitate regia faciles inveniri, vota veſtra favore regio favorabiliter proſequendo. Veſtris itaque juſtis, et quae à rationis non diſcordant tramite, precibus inclinati, permittimus, volumus, et concedimus, quod monetam legalem de legali argento, de debita marca, cum decenti forma, utilitati communiter omnium congruentem vobis liceat cudere ſive malleare, et quod moneta eadem â nullo penitus refutetur, ſed pro legali teneatur, ſicut in aliis civitatibus imperialibus eſt conſuetum. In cujus etc.

Decet benignitatem regiam ſubditorum ac fidelium profectibus et ſaluti ea ſerenitatis gratia intendere, quod devotorum exemplo, eorum, quibus favoris et gratiae commodum eſt impenſum, caeteri in devotione Sacri Rom. Imperii fortius animentur. Eapropter volumus, concedimus, et permittimus, quod, quicunque ad manendum ſeu ſtandum in N. civitatem ſe contulerint, undecumque pervenerint, ſi domus et moenia pro ſuis habitationibus oportuna ibidem erexerint, eâdem, qua dicti cives, gaudeant libertate.

XLII.

Rudolfus etc. Abbati et Conventui in Eberbach, Ord. Cyſt. Dioec. Mog. exemtionem á theloneis largitur.

EXEMTIO THEOLONII.

Etſi ad omnes, quos Romanae ditionis habet Imperium, beneficentiae noſtrae dexteram debeamus extendere debitricem, illos tamen praerogativa favoris amplectimur, et ſpecialiori proſequimur caritatis affectu, qui ſub religionis habitu regulari, regi regum humiliter militantes, pro nobis orationum ſuarum ſuffragiis â divina facilius poſſunt obtinere clementia, quod currentes in labentis ſaeculi ſtadio, vitae permanentis in ſaecula bravium apprehendere mereamur. Noverint ergo tam praeſentes, quam poſteri, quod nos celibis vitae fragantiam attendentes, quam viri religioſi Abbas et Conventus N. dilecti devoti noſtri longe lateque diffundunt praeclara per opera ſanctitatis, et propter hoc magnopere cupientes, eorum monaſterium, ſicut eſt in ſpiritualibus floridum, ita fieri in temporalibus opulentum, ad imitationem inclytae recordationis F. Romanorum Imperatoris, ac aliorum anteceſſorum ſuorum, Imperatorum et Regum, eisdem Abbati et Conventui pie et benigne concedimus, et libenter ac liberaliter indulgemus, ut cum navibus et ſubſtantia ſua per Reni alveum deſcendentes et etiam aſcendentes, apud Bopardiam et caſtrum noſtrum Werdeñ. nec non in omnibus aliis locis, quae noſtrae ſunt ſubjecta ditioni, ab omni exactione thelonii, quae â tranſeuntibus exigi conſuevit, ſint liberi et immunes; adjiciendo praemiſſis, quod ſi

fortassis praedicta nostra Werd. Bopard. seu aliorum locorum thelonia aliquibus vel alicui sint commissa, exposita, sive quomodolibet obligata, iidem, qui sic theloniis sub forma praedicta praefuerint, nullam gravandi Abbatem et fratres eosdem, vel aliquid exigendi ab eis, seu nuntiis eorundem, habeant potestatem. Nulli ergo etc.

XLIII.

Rudolfus etc. indulget N. ut villam suam munire sibi liceat.

ERECTIO MVNITIONIS.

Cum ad cunctos Sacri Rom. Imperii fideles rectae considerationis oculos Serenitas inclinat Regia, et distinguentem inter contraria mentem applicat ad diversos, non indigne illorum facilius inclinatur precibus, et eorum votis favet favorabilius, qui Sacrosancto Rom. Imp. indissolubiliter adhaerentes, continuatis servitiis ad serviendum ulterius atque in perpetuum totis viribus, totisque conatibus laborant animo non remisso, viribus indefessis. Supplicante itaque nostrae Majestatis Culmini N. nostro et Imperii fideli, ut, cum ipse quandam villam habeat, ad erigendum munitionem ex loci situ et dispositione suis oportunitatibus congruentem, Nos ad perficiendum suae voluntatis propositum adhibere dignaremur consensum nostrum regium, et auctoritatem necessariam ad praedicta; humilibus itaque suis precibus inclinati, quod ex devoto fiat devotior, atque ad serviendum nobis et Sacro Imperio ferventior et promptior, ut ipsi ex eadem villa munitionem facere liceat,

prout sibi congruit, regium nostrum consensum et auctoritatem regiam favorabiliter adhibemus, concedentes ipsi has nostrae Serenitatis litteras super eo, ac inhibentes districtius, nequis Imperii nostri fidelium dictum nostrum fidelem in erigendis pro munitione aedificiis praesumat aliqualiter impedire, et huic nostrae Serenitatis indulgentiae per praesumptionem temerariam et nephariam obviare, vel ei ausu temerario contraire; quod qui facere etc.

XLIV.

Absolutio proscriptionis.

Ad universorum Sacri Rom. Imperii fidelium notitiam transmittimus per praesentes, quod, cum N. miles proscriptionis sententiam perpetratis criminibus, ad quae eadem proscriptionis sententia consequitur, incidisset, seu in ipsum eadem sententia prolata rationabiliter extitisset, ipso nobis humiliter supplicante, ut eundem ab hujusmodi proscriptionis sententiâ auctoritate regia, misericorditer absolvere dignaremur, praesertim cum ipse causam, pro qua proscriptionis poenam meruerat, amputasset; Nos eundem ad preces N. pro ipso nobis supplicantium, auctoritate regiâ juri suo pristino restituimus, restitutum praesentibus nuntiamus antedictâ proscriptionis sententiâ relaxata. In cujus rei etc.

Legitimatio.

Serenitati nostrae ex parte N. humiliter extitit supplicatum, quod super defectu natalium, quem idem patitur, de soluto genitus et solutâ, dignaremur auctoritate regia dispensare. Cum

igitur Majeſtatem Regiam non minus ornet clementia, quam juris diſtrictio, et rigorem juris clementi atque parcenti deceat gratia temperare: Nos conſideratis circa legitimationem gratiis faciendis, et meritis, quibus dicto N. à ſuis interceſſoribus laudabile teſtimonium perhibetur, cum ipſo auctoritate regia miſericorditer diſpenſamus. Admittimus itaque dictum N. ad omnes actus legitimos, et ad ea, quae de legitimo thoro natis competunt facienda, quatenus id, quod per naturam non habuit, et defectus natalium ab ipſo fecit extraneum et remotum, per noſtrae benignitatis piam et miſericordem diſpenſationis gratiam conſequatur.

XLV.

Quod filiae ſuccedant in feodo.

Quia dilectus fidelis noſter N. ad nos et Rom. Imperium, fidum gerens integrae puritatis affectum, omnia bona, quae in N. ſub allodii titulo poſſidebat, in manus noſtras liberè reportavit, noſſe volumus univerſos, quod nos eundem cupientes favore proſequi gratioſo, ſibi praedicta bona concedimus à nobis et Imperio feodali titulo perpetuo poſſidenda, de plenitudine noſtrae benivolentiae dicto N. liberaliter annuentes, quod ſi contingat eundem absque heredibus maſculis carnis ſuae decedere, filiae ſuae libere ſibi debeant ſuccedere in eisdem. Adjicimus quoque ſibi ex affluentia gratiae plenioris, quod ſi omnes liberi ſui utriusque ſexus, eo ſuperſtite fatalitatis lege deceſſerint, dicta feodalia bona legare poſſit, ſeu in alios uſus quoscunque convertere, vel donare, noſtro tamen vel ſucceſſorum no-

ſtrorum Imperatorum vel Regum ſuper hoc benevolo requiſito conſenſu. Vnde conceſſimus has litteras etc.

XLVI.

Praefectio Advocati.

Etſi generaliter omnium Imperii fidelium ex ſuſceptae dignitatis regimine curam et ſollicitudinem gerere debeamus, illis tamen ſpecialioris defenſionis et tuitionis gratia praeeſſe nos convenit et prodeſſe, quos religionis inſignit habitus, et ſanctae converſationis vita praedicat commendatos. Sane recurrens ad noſtrae Majeſtatis praeſentiam religioſus vir Praepoſitus N. humiliter poſtulavit, quod, cum ſuum monaſterium multa hactenus periculorum genera ſit perpeſſum, multis ipſum Dei timore poſtpoſito lacerantibus, et ad extremam exinanitionem perducentibus, nos eidem de N. Advocato providere benignitate regia dignaremur, cujus probitate et ſtrenuitate dictum monaſterium tuitionis et defenſionis beneficio potiatur, et ſublatis diripientium dampnoſis periculis, ſaepedicto monaſterio cautius conſulatur. De tua itaque ſtrenuitate, probitate, nec non aequitate plenam ac indubitatam fiduciam obtinentes, monaſterium ipſum, quod perſonis et rebus in noſtram et Sacri Imperii protectionem, defenſionem, ac tuitionem recepimus et recipimus ſpecialem, tibi committimus defendendum, praeficientes te eidem monaſterio Advocatum ad petitionem Praepoſiti memorati, ita, quod, quamdiu in ipſa advocatia te bene tenueris, monaſterium in nullo gravaveris, immo gravamina ipſius per alios illata propulſare ſtudueris,

apud te advocatia remaneat memorata; si verò per te contigerit evenire contrarium, saepedictus Praepositus eligendi alium, quem potiorem cognoverit, liberam habeat facultatem. In testimonium etc.

XLVII.

Iudaeis pro subsidio.

Cum propter novitatem negotiorum de novo emergentium, in quibus magna, et maximae utilitatis Reip. vis consistit, novas ac inopinatas expensas facere nos oporteat, tam â Christianis quam Iudaeis, nostris fidelibus, nova subventionis subsidia seu servitia petere nos oportet. Quapropter vobis mandamus, attente rogantes, quatenus exemplo aliorum Iudaeorum devote et grate nobis de novo servientium, videlicet singulis N. marcas XII. tribuendo, grata nobis et necessaria denuo servitia faciatis eo liberalitatis animo, quod ex nunc in antea propter impensa servitia majori libertate, quam ante, nostra vos Serenitas debeat honorare.

XLVIII.

Orationum suffragia.

Rudolfus etc. Religiosis et prudentibus viris, Magistro, Diffinitoribus, totique fratrum Praedicatorum Capitulo generali, Oxoniae congregandis, in verae salutis auctore salutem, et omne bonum. Apparuit hoc felici novissimo gratiae tempore generaliter omnibus orbis terrae terrigenis, sed praecipue fidei orthodoxae cultoribus

nostri salvatoris humana pariter et divina benignitas, cujus individue counita Majestas non solum per potestates angelicas caeli ambitum illustrantes, sed etiam per salubrem ministrorum terrestrium sapientiam et doctrinam, quae desuper eis, in domibus etiam luteis habitantibus, affluenter infunditur, inferiorem hanc machinam curâ pervigili pie dirigit et gubernat, in quorum utique ministrorum distinctis ubique per terras agminibus vester ordo sacerrimus velut splendidissimum luminare jam inter alia catholicae fidei firmamento micantia sydera luce rutilantiore praeradiat, et sereniori choruscatione resultat; (vel refulget) ex eo siquidem praeelegit altissimus sui gloriosissimi nominis professores idoneos, et sanctissimi dogmatis ewangelizatores eggregios ac athletas, ut in omnem terram sonus suae sonorae praedicationis exiret apertius, et ut fines ultimi orbis terrae suo sermone salutifico replerentur. Sane, dum ex illius eminentiae speculâ, quam revera pro Reip. Christianae statu pacifico potius, quam pro privato profectu conscendimus, longe lateque prospicimus, quanta malorum ubique nascentium densitate circumdamur, quam periculosa discriminum multiplicatione concutimur, quamque fluctivaga circumstrepimur irruentium rabie procellarum, dum in assumpti officii stadio currimus, et non nobis, sed universitati cottidie militamus, levare compellimur oculos nostros in montes, ad quos securum restare perpendimus de Iudaea refugium, ad Vos scilicet Patres, electi â Domino, et subambuli apostolicae Sanctitatis, petentes â Vobis humiliter nostri onerosi honoris attolli fastigium, et remediabiliter operoso piarum orationum vestrarum suffragio sublevari, ut iter nostrum ad populi Chri-

ſtiani quietem ac pacem in voluntate divina proficiat, et ad ſalutaria dirigatur.

Super eodem Regina.

Quanto divina benignitas nos licet immeritas altius elevavit et extulit, quantoque in ſublimioris terrenae dignitatis ſpeculam nos provexit, tanto nobis vigilantius eſt cavendum, ne nos tantarum muneribus gratiarum, quas de manu Domini liberali ſuſcepimus affluenter, faciamus ingratas. Quia tamen quaſi cottidie et frequenter cum Martha multiplicis perturbationis incommodo fatigatae, ad redhibenda altiſſimo pro perceptis ab ipſo tantis beneficentiae ſuae donis condigna gratiarum et laudum libamina non ſufficimus per nos ipſas, ad illos oportune recurrere cogimur et artamur, qui partem optimam eligentes contemplationis, in otio delicato quieſcunt, ad pedes dominicos cum Maria. Ad vos igitur, Patres kariſſimi! de quibus noviſſime his diebus, ut ſedulae praedicationis officio, et ſanctae converſationis exemplo proficiant populo Chriſtiano, toti mundo ſalubriter eſt proviſum, cum plenâ fiducia recurrentes, univerſitatem veſtram rogamus pleniſſimo cum affectu, quatenus Sereniſſimum Dominum noſtrum, Regem Romanorum inclytum, nos, ac liberos noſtros, divinae miſericordiae piis orationum veſtrarum ſuffragiis commendetis, ut, quod merita noſtra non obtinent, veſtris ſaltem votivis interceſſionibus miſericorditer conſequamur.

XLIX.

Rudolfus etc. Comitiſſam N. et filium ejus, in ſuam et Imperii protectionem recipit ſpecialem.

In excelſo throno regiae dignitatis divino munere collocati libenter illas perſonas ulnis gratioſis amplectimur et fovemus, quae nobilitate morum et ſanguinis decoratae ergà nos et ſacrum Rom. Imperium conſtantis fidei et devotionis inſignia repraeſentant. Sane, cum nobilis Comitiſſa N. alta generoſitate ſpectabilis cum tantae devotionis ferventiâ nos et idem Imperium veneretur, quod ipſa verae fidei floſculis redimita, omnia bona ſua N. ſibi jure hereditario competentia nobis et Imperio reſignavit, et de eisdem per nos et idem Imperium praeſtito fidelitatis et homagii juramento voluit inveſtiri: ut ſuae puritatis affectum, quem ad nos in corde geſſit et gerit continue, per exhibitionem operis demonſtraret, nos ipſius commodis et profectibus gratâ viciſſitudine intendere delectantes, et ſuis ubilibet indempnitatibus praecavere ex animo cupientes, ipſam et ſuum filium, cum terris, rebus, et poſſeſſionibus ſuis univerſis et ſingulis, in noſtram et Imperii protectionem recepimus ſpecialem, ipſos contra adverſarios ſuos quoslibet opportuno ſuffragio favorabiliter defendendos, omnibus noſtris fidelibus et devotis hoc regali edicto firmiter injungentes, ne contra noſtrae protectionis tenorem ipſos aliqualiter moleſtare praeſumant.

L.

Rudolfi etc. interceſſio, ut apoſtata in ordinem reſumatur, mutato nihilominus ejus conventû.

PRO APOSTATA RESVMENDO.

Pro dilecto devoto noſtro N. qui ad veſtri ordinis ortum floridum, â quo eum humani generis hoſtis antiquus figmentis ſuis dejecit, cum contritione plena, ſuſpiriis lacrimoſis redire diligit ſuper aurum, ût ibidem valeat fructum verae poenitentiae conſequi de commiſſis, devotionem tuam rogamus pleno cum affectu, quatenus apertis viſceribus pietatis, illius exemplo, qui filium ſuum prodigum ab errore reverſum â gratia non ſecluſit, dictum N. ad tuum ordinem memoratum, ad quem totis deſideriis, amotis quibuslibet nubiloſis erroribus, ſuus ſuſpirat animus, tanquam ad gratam dulcedinem paradiſi benigne recipias, et ipſum precum noſtrarum intuitu ad provinciam N. transmittas; ex quo meritum retributionis aeternae conſequeris, et ad tui ordinis commoda procuranda nos proinde ſenties promptiores.

LI.

Rudolfus etc. rogat N. ut in curia Rom. curet partes G. electi praepoſiti diſcorditer, ejusque proviſionem urgeat.

Petitione noſtrâ jam pridem pro N. ſuper ſua proviſione de praepoſitura N. Domino Papae Summo Pontifici noſtro porrectâ, eâque, ut

credimus, exaudita, ſuper Eccleſiae memoratae Canonicos hujusmodi eſt effuſa contentio, ut in invio oberrantes, votis diſcordibus, merito tamen non diſpari, in praepoſitum duos elegerunt, licet inhabiles, novem Canonicorum utrobique tantummodo concurrente conſenſu, ita, quod ipſa Eccleſia diu ſciſſurae domeſticae flagellata languoribus ampliora timetur incurrere ſcandala, et nocivioribus procul dubio ſubjici detrimentis, niſi celerius Apoſtolica ſibi proviſione contigerit ſubveniri. Hinc eſt, quod veſtram paternitatem affectuoſe duximus deprecandam, quatenus juxta requiſitionem N. ad votivam conſummationem proviſionis praedicti G. ſuper praepoſitura praefata curas veſtras omnimodas adeo diligenter et efficaciter applicare velitis, quod per experientiam comprobemus et operam, quod de vobis opinione praeſumimus, et increbreſcentibus agnoſcamus indiciis, quod fiducia ſuggerit bonae ſpei.

LII.

Ad concordiam reducere duos fratres ſtudet Rudolfus etc. eoque nomine colloquium inter partes ſtatuit.

Deſiderantes ex intimo cordis noſtri, te una cum fratre tuo in fraternae caritatis, ut decet, dulcedine couniri, inter te et ipſum pacis perpetuae conſilia cogitavimus, ipſo germano tuo ad omnem concordiae viam allectionibus congruis efficaciter informato. Qui procul dubio, prout ex hominis utriusque perpendere poſſumus conjectura, ad habendum tecum fraternale conſortium prompta efficacia ſe ferventer habilitat et coaptat. Hinc eſt, quod Sinceritatem tuam

affectuose duximus exhortandam, quatenus viri prudentis ingenium trutinatione matura discutiat, quantum commodi toti provinciae ex hujusmodi vestrâ reconciliatione de caetero valeat provenire, animum tuum ad habendum cum ipso impretiabile bonum pacis inclines; nos enim N. ad habendum super praemissis familiare colloquium duximus destinandos, qui praenotatum germanum tuum, si, quod non credimus, durae cervicis existens, in aliquo pacificis non intenderet studiis, ab hujusmodi devio in viam pacis retorqueant et salutis.

LIII.

Rudolfum etc. rogat Episcopus, ut fratres N. dudum excommunicatos proscriptionis sententiâ feriat.

Vrgente nos jure p̄lico, cogimur populares injurias et excessus publicos in regalibus curiis proclamare. Majestati itaque Regiae intimamus, quod N. in placitis nostris publicis saepius proclamati, pro eo, quod praedas, rapinas, et spolia manifesta nocturnis diurnisque aggressionibus, in itineribus frequentatis, et stratis publicis commiserunt, et adhuc committere non formidant; invaserunt Ecclesias, spoliaverunt pauperes peregrinos, juramentum fidelitatis praestitum nobis violaverunt, constituentes se manifestos Ecclesiae nostrae hostes, Ecclesiae nostrae castra dolosis insidiis contra fidei suae debitum, detinent occupata, raptus virginum, et violentas oppressiones mulierum conjugatarum praesumptione dampnabili commiserunt; hos enim jam ante biennium excommunicationis sententia

rite et legitime innodatos exſpectavimus ad emendam; ſed quoniam in eisdem non emendae ſpeciem, ſed dementiae ſpiritum graviorem ſenſimus, eo quod pejora prioribus attemptare poſtea temere praeſumpſerunt: nos induciis et edictis legitimis eis datis, de miniſterialium noſtrorum ſententia et conſenſu, juris ordine per omnia obſervato, eosdem fratres privavimus omni dignitate, nomine, et honore, quae ab Eccleſia noſtra hactenus habuerunt, pronuntiantes eos infames, et à legitimis actibus tanquam viros inhabiles de caetero repellendos, excommunicationis ſententia, quam in ipſos protulimus, nichilominus aggravata. Verum, cum dicti fratres ab hujusmodi maleficiis manifeſtis, et ſententia noſtra legitime ſubſecuta proſcribi meruerint et dampnari à Regia Majeſtate, Serenitatem Veſtrae Clementiae humiliter et ſuppliciter exoramus, quatenus praedictos fratres pacis publicae turbatores, et utique hoſtes fidelium Imperii per ſententiam veſtram publice proſcribatis, noſtramque ſententiam latam in ipſos confirmare velitis.

LIV.

Rudolfus etc. in gratiam recipit N.

Nobiles viri N. noſtram nuper praeſentiam accedentes, tuo nobis nomine retulerunt, quod tu nobis et Romano Imperio devotionis debitae debitum recognoſcens, beneplacitis noſtris omnino conformari deſideres, et familiaritati regiae, à qua ſatis alienus hactenus extitiſti, indiſſolubiliter adunari. De quo juſto et devoto bonae voluntatis tuae propoſito, licet te quodammodo â noſtra et Imperii devotione retraxeris, et ali-

quamdiu tergum verteris Regiae Majeſtati, plurimam ſumentes materiam gaudiorum, te in manſuetudinis noſtrae gremium recolliginius gratioſe, volentes ergà te, tanquam Principem noſtrum dilectum gratiâ ſemper affluere benivolentiae ſingularis.

LV.

Ne cives inviti in civitatem, - volentes recepti autem ad quoslibet actus legitimos ibidem admittantur.

Fidelitati veſtrae firmiter et praeciſe inhibemus, ne de caetero aliquem vel aliquos invitos in veſtros concives recipere praeſumatis; nam hujusmodi violentia, conjunctio, et coactae voluntatis conſenſus, quo quis ad hoc trahitur, quod non placet, ſordidum crebrò ſortitur effectum vel eventum. Propter quod attentius vos hortamur, ut ammodo â talibus coactionibus abſtinere ſummopere nullatenus omittatis; et ſi aliqui ſe velint motu proprio veſtro conſortio copulare, illos ad civiles honores, et ad quoslibet alios actus legitimos veſtrae civitatis praedictae vobis hilariter aſſumatis, in omnibus ſuis agendis feliciter pertractandos. Praeterea volumus, ut liberos veſtros cives non permittatis, alios liberos attinentes nobilibus N. rapinis, incendiis, vel aliis injurioſis moleſtiis perturbare.

LVI.

Rudolfus ſtatuit treugas inter N. et N. utque interim partes conſpectui ſuo ſe praeſentent, de pace acturae, praecipit.

Exortae inter vos odioſae diſcordiae inteſtinae, Reip. turbatrici, finem praeciſum imponere, ac eandem, ne in poſteros malo germine propagata futuris periculis diffuſum praebeat ſementivum, extirpare radicitus diſponentes, univerſis vobis ſub obtentu gratiae noſtrae firmiter praecipiendo mandamus, quatenus utraque partium, quae turpiter â ſuo toto degenerat, dum una in aliam contendit inſurgere, et formam totius, ſive univerſitatis pacificam diſturbare, poſito et ſuspenſo perturbationis inſanae tumultu usque ad feſtum N. proximum treugas ſtabiles ineatis; ſcituri pro certo, quod, quicunque treugas praedictas, quas praeſenti ſcripto inviolabiliter obſervandas edicimus, violare praeſumpſerint, illos una cum perſonis et rebus omnibus noſtrae poteſtati ſubjicimus, poenâ condignâ, quae reprobis indevotis debetur, et mandati regalis contemptoribus, puniendos. Volumus inſuper, ut ſtatim â receptione praeſentium ad octo dies quaelibet partium quatuor potiores de ſuo collegio, auctoritate ac pleno mandato ſuffultos, ad noſtram praeſentiam deſtinare non differat, nec omittat, ita, quod, quicquid cum eisdem ſuper praedicta diſcordia duxerimus ordinandum, ratum et gratum â partibus obſervetur. Demum, nolumus vos latere, quod, antequam praefatam diſſenſionis deteſtandae materiam inter vos aliquamdiu invaleſcere ſineremus, mallemus, quatuor, ſex, vel octo hujusmodi diſſidii procuratores et fotores ſuſpendio

interire, ut ſaltem illis de medio ſublatis inter ſuperſtites pacis et concordiae vincula necterentur.

LVII.

Regia recommendatio legati ad civitatem N.

Avitae magnanimitatis in vos, velut in filios filiorum propagatione laudabili derivata ſtrenuitas, et probatae fidei puritas, quâ ſemper ergà Romanum Imperium claris continuatis operibus ſplendide claruiſtis in Regiae Majeſtatis aſpectibus, altis vos extulere praeconiis, et in intimis praecordiorum noſtrorum memoralibus vos indelebiliter aſcripſerunt, ita, quod ad generalitatis et ſpecialitatis veſtrae profectus continuatis augendos auſpiciis plurimum nos delectet aſſurgere, ac honoribus veſtrae civitatis ubilibet ampliandis intendere libeat cum effectu. Cum igitur dilectum familiarem et fidelem noſtrum N. pro quibusdam noſtris negotiis confidenter ad veſtram praeſentiam deſtinemus: univerſitatis veſtrae prudentiam omni, quâ poſſumus, precum inſtantia deprecamur, quatenus eundem in noſtris agendis pro reverentiâ noſtrâ velitis habere propenſius recommiſſum.

LVIII.

Grates monachis ordinis N. redditae pro adſiſtentiâ nuntio regio praeſtitâ, dum in loco N. morabatur.

Floridi ordinis veſtri commemorabilis rectitudo, quae noſtris ubilibet ſupportandis oneribus colla ſubdit, non finit in vobis quieſcere zelum ſuum,

dum ſicut dilecto familiari noſtro N. quem pro quibusdam noſtris agendis nuper ad N. locum miſeramus, nobis pandente didicimus, in his, quae ſibi videbantur incumbere, ipſi tam ferventer et favorabiliter aſtitiſtis. Super quibus gratis nobis et gratanter impenſis obſequiis, vobis ad grates uberrimas inclinantes, devotionem veſtram rogamus affectu, quo poſſumus ampliori, quatenus, juxta quod erga eundem N. immò verius nos ipſos laudabiliter inchoaſtis, ſic eum, ubi et quando fuerit oportunum, laudabilioris continuatione perſeverantiae foveatis.

LIX.

Mandatum, ut N. in heribanno compareat.

Gerentes de fidei tuae puritate fiduciam inconcuſſam, omni, qua poſſumus, precum inſtantia et affectu te rogandum duximus et hortandum, quatinus fidei debitum, quod te nobis aſtringit, exſolvens, cum omnibus viris et viribus congruâ armatura praecinctis, quos habere poteris, N. die, apud N. locum ſtudeas te conferre, et ibidem noſtrum mandatum cum patientia praeſtoleris.

Fidei tuae commemorabilis rectitudo, quam experti cognoſcimus, noſtris praecordiis fiduciam ingerit certae ſpei, quod noſtris votis et deſideriis te ſemper debeas more ſolito conformare. Igitur fidelitatem tuam rogamus omni quo poſſumus ſtudio et affectu, quatinus inſpecta ſollicitius in oculis hominum utriusque, noſtri ad praeſens, et Imperii negotii qualitate,

ad hoc te pro noſtrâ reverentia, et dilectionis ardore, ordines et diſponas, ut conſopito inter te et N. cujuslibet odioſae perturbationis diſſidio, et tumultu diſcordiae, pacis et concordiae inter vos unio valeat ordinari. Nam nobis modo non expedit, quod inter aliquos fideles noſtros diſcordia maneat, quae ipſos fideles iſtius neceſſitatis tempore poſſit â noſtris et totius Reip. ſervitiis retardare.

LX.

Vt fratres fratri circa paterna feuda non praejudicent.

Cum nos nobili viro N. feoda paterna, ad ipſum ſucceſſione haereditaria devoluta duxerimus concedenda, ac ipſum de benignitate regia inveſtiverimus de eisdem: Sinceritatem tuam monemus et rogamus omni ſtudio et affectu, quatinus fratres ipſius N. et N. ad hoc monitionibus congruis cures inducere, ut fervore fraternae karitatis accenſi, ergà fratrem ſuum memoratum, in paternis feodis jam dictis tam pie et fraternaliter agere ſatagant cum affectu pariter et effectu, ut idem N. fraternum vinculum ruptum non ſentiat, ſed incorruptibili propagatione germani ſanguinis ſolidatum, nec cogatur ſuper aliquali injuria de feodis memoratis regiae Majeſtatis thronum accedere conquerendo. —

Quia, ut veritatis ſeriem nudius detegamus, ad praeſens juxta noſtri ſtatûs et negotii qualitatem non ſumus illis circumdati, quibus confidere expedit, et in quibus poſſimus ponere anchoram certae ſpei, eo quod reperti ſunt facti

evidentia ſaepius infideles, tanta nos circa fidam in fide militiam nunc angit et urgit neceſſitas, quod neceſſitatem hujusmodi exiſtentem in foribus, ſcripturae non admittit officium, nec eam perfecte valeamus exprimere per effectum. Eapropter fidelitatem tuam monemus et rogamus pleno cum affectu, tibique praecipimus, ac in ea fide, qua te nobis ſanguinis unit identitas, et homagium fidelitatis aſtringit, te nichilominus obteſtamur, quatenus neceſſitatem praefatam revera majorem, quam mens poſſit concipere, formidabilibusque periculis plenam internae conſiderationis oculis intuens diligenter, ſicut noſtrum honorem et Imperii diligis, ſtatim viſis praeſentibus, ſine morae cujuslibet tarditate, quae irrecuperabile poſſet inferre diſpendium, XXX. dextrarios coopertos, vel plures, ſi poteris, ad nos quantocius premittere non omittas, ita, quod inextinguibile fidei tuae lumen argumento hujusmodi lucidius nobis clareat, et clariſſime rutilet in effectu, nec per tuam incuriam ſeu negligentiam moroſam, quod abſit, foveam incidamus, noſtri honoris et gloriae oppreſſivam.

LXI.

N. precatur Epiſcopum N. ut pro mortuo fratre ſuo opus quoddam pietatis adimpleat.

Quantae dilectionis ardore, quantaeque devotionis praerogativa vos coluit pie memoriae frater meus, dum viveret, mihi utique ſatis eſt cognitum, vobis etiam aeſtimo non ignotum, qui ſua qnȝ dignationi veſtrae gratanter appli-

caſtis obſequia, et gratantius acceptaſtis. Licet igitur ipſe vocante Domino fatali ſorte deceſſerit, me tamen devotionis ſuae, quam ergà vos habuit, dereliquit affectione non impari, quanquam impari merito, ſucceſſorem, qui veſtrae dominationi in omnibus ſucceſſuris ad placitum cupio placidiſſime complacere. Placeat igitur quaeſo Paternitati veſtrae piiſſimae, pietatis opus adimplere pro mortuo, qui in vita tenerrimè veſtris inhaerebat amplexibus, eo ad teſtamenti ſui directionem benivolentiae veſtrae gratiam gratioſiùs applicare, prout â N. executore teſtamenti praedicti fueritis requiſiti. Ego enim ad inclytum Dominum meum Regem profectus in Angliam, corde et animo, omni promptitudine ſpiritus, juxta quod poſſe ac noſſe imbecillitati meae ſufficiunt, donec ſpiritus oſſa rexerit, veſtris quibuslibet beneplacitis, et veſtrorum totaliter me exponam.

LXII.

Praeceptum Rudolfi etc. de plectendo facinoroſo, qui inter miſſae celebrationem judicem civitatis occidit.

Deteſtabile nephas, pernicioſum exemplo, et ſeggregatum â quavis humanitate propoſitum nuper auribus noſtris inſonuit, et multae amaritudinis et doloris pocula noſtris praecordiis miniſtravit, videlicet quod judex veſter his diebus quadrageſimalis obſervantiae, in civitate veſtrâ in ſcandalum ſanctae matris Eccleſiae, et totius fidei Chriſtianae ruborem, dum infra miſſarum ſollempnia miſticè â Dei miniſtris tractaretur hoſtia corporis et ſanguinis Ieſu Chriſti, miſerabiliter extitit interemptus. Verum cum tam

enorme factum, et pernicies tanti mali, nec non tam nefanda injuria Deo, ſanctaeque matri Eccleſiae perverſo ſpiritu irrogata transire non poſſit, nec debeat incorrecta: fidelitatem veſtram rogamus et hortamur attente, quatinus ad ulciſcendam tantae iniquitatis turpitudinem deteſtandam, tanquam viri pulcrae circumſpectionis et fidei condolentes in hujusmodi caſu flebili tam promptis aſſurgatis affectibus cum effectu, quod rei hujusmodi facinoris, pro qualitate criminis condigna plectantur poena, nec de vobis ſiniſtra ſuſpicio habeatur, ipſum factum de veſtro proceſſiſſe conſenſu, vel vos huic rei operam impendiſſe; alioquin ſuperſedere non poſſumus, nec debemus, quin in tam odioſis exceſſibus corrigendis, prout noſtrum requirit officium, quo ejusdem ſanctae Matris noſtrae Eccleſiae tenemur ulciſci injurias, ſeveritate regiâ procedamus.

LXIII.

Reſtitutio civis ſuper homicidio perpetrato.

Regalis thronus extollitur, et Imperialis ſolii decus diffuſius dilatatur, quotiens carcere culpae ligatos miſericordia praevenit, et eorum defectibus, quos per erroris lubricum inciderunt, oportunae reformationis antidoto condeſcendit. Hoc zelo compaſſionis inducti, nec non et N. devotis ſupplicationibus inclinati, diſcretum virum N. civem de N. de culpâ, quam ratione cujusdam homicidii perpetrati ibidem noſcitur incidiſſe, de plenitudine regiae poteſtatis abſolvimus, reſtituentes ipſum omnino priſtino juri ſuo, ita, quod non obſtante ipſo homicidio, quod commiſit, ad honores civiles,

et ad actus publicos quoslibet admittatur, dummodo tamen amicis ipsius occisi sit congruae reconciliationis in osculo reformatus.

LXIV.

Absolutio proscripti.

Mansuetudinis nostrae pronitas ad parcendum facilis, et difficilis ad vindictam, nos impulit et coëgit, ut N. post offensas multiplices, quibus gratiam nostram demeruit, ad favoris nostri refugium, quo humiliter declinavit, misericorditer assumamus. Dicto itaque N. omnem, quam in nos, et fideles Imperii offensam exercuit, et dampna, quae fecit, et injurias, quas intulit, condonamus, sententias quoque latas contra eum eo tempore, quo gratiâ nostrâ caruit, revocamus, et volumus, ut, si qua bona sua occasione sententiarum dictarum ab aliquo possidentur, plene restituantur eidem, ita tamen, quod de novo de jure suo doceat, si de bonis illis sibi quaestio moveatur. Quicquid etiam quondam O. Rex Bohemiae illustris dicto N. contulit et concessit, hoc eo jure, quo concessum, sibi ratum et stabile volumus permanere. Caeterum jus Montanum, quod dictus N. et frater suus ante nostram offensam pacifice possederunt, hoc nunc eodem jure et titulo possidebunt.

LXV.

Conductus.

Vt qualibet suspiciosa formidine, seu timorosa suspicione tuis ablatâ praecordiis, securus in omnibus et per omnia accessus tibi pateat ad

praesentiam Regiae Majestatis, ecce, quod N. nec non praesentes litteras, nostro, ac venerabilium patrum Olomuceñ. et Basilieñ. Episcoporum sigillis roboratas tibi transmittimus in occursum, cum quibus de veniendo, morando nobiscum, seu etiam recedendo plena cum personis et rebus securitate habita, feria N. proxime nunc futura tute nostram Celsitudinem poteris visitare. Ad haec sinceritatem tuam attente rogamus, quatenus verbis praedicti N. cui alias apud te nostras legationes commisimus peragendas, tanquam eadem ab ore nostro procederent, adhibeas fidem credulam tanquam nostris.

LXVI.

Protectionis civium in N. commissio.

Pressuras et molestationes varias, quibus dilecti fideles nostri cives N. â nobilibus et ministerialibus convicinis in rebus suis et possessionibus cottidie impugnantur, nuper Regia Celsitudo nostra ex ipsorum suspiriosa quaerimonia recollegit; et quia te propter hoc provinciae circumjacenti praefecimus, ut ibidem te nostro nomine gubernante quiescant â perturbatione fidelium infideles et perfidae nationes: igitur fidelitati tuae firmiter injungimus et mandamus, praecise volentes, quatenus eosdem cives, quorum revera tranquillitatem et pacem omnimodam affectamus, contra adversarios suos quoslibet, et praecipuè adversus N. â quo se conqueruntur amariùs conculcari, in sua floridâ libertate conserves, et, prout ex officii tui teneris debito, ipsos protegas et defendas, nec eosdem â praedicto N. vel ab aliis quibuscumque dispendiose tangi in personis, rebus, et

possessionibus patiaris, sed eisdem in omnibus consilium et auxilium oportunum studeas impertiri. —

LXVII.

Commissio orphanorum.

Quod dilecti fidelis nostri pueros paterno solatio, proh dolor! destitutos pio favore et gratia prosequamur, eorundem ubilibet occurrentes defectibus, ac indigentiis succurrentes, grata patris eorum obsequia multipliciter meruerunt. Nolentes igitur dilectionem et favorem, quem gessimus ad viventem, nequaquam cum defuncto defungere, sed ad generationis suae propaginem transfusione laudabili derivare: fidelitati tuae mandamus, et mandando praecipimus firmiter et districte, quatinus dictos pueros orphanos, quos amplexu, sinuque paterno fovendos assumpsimus, tibi habeas fideliter commendatos, ipsos sub specialis tuitionis praesidio colligendo, nullis afficiendos â quoquam molestiis vel jacturis. Volumus etiam, et praecise mandamus, quatenus universa debita per eundem nostro nomine et filiorum nostrorum contracta, in te plene recepta solvere non omittas, fidejussores pro eisdem debitis obligatos â vinculo fidejussionis absolvens, et alios substituens pro eisdem.

LXVIII.

Rudolfus etc. increpat eos, qui legatos, F. F. N. miſerant, teſtificans legatorum nihilominus reverentiam.

Religioſos et induſtrios viros Fratres N. in veſtrae legationis officio nuper Celſitudinis noſtrae praeſentiam accedentes, non ob favorem mittentium, ſed ob honorem et reverentiam transmiſſorum benigne ſuſcepimus, et quae iidem noſtro Culmini retulerunt, audivimus patienter. Sane, contrà vos tanta hactenus in noſtris praecordiis eſt gravis indignationis materia de veſtrorum culpis exceſſuum ſuſcitata, tantusque adverſum vos commotionis juſtae nos impetus impulit, quod, niſi dictorum fratrum, quos ſincero karitatis ardore proſequimur, veneranda praeſentia, necnon et eorum blanda, ſuavis, et mitis allocutionis modeſtia ſuae lenitatis unguento ergà vos conceptae indignationis acredinem mitigaſſet, nullo conſuetae noſtrae ſalutationis alloquio noſtra fuiſſet vos dignata Serenitas, immò etiam vos quovis noſtrae allocutionis affamine prorſus judicaſſemus indignos; et ſi quoscunque alios, praeter iſtos veſtrae legationis interpretes miſiſſetis, nec illis regalis audientiae copiam noſtra Serenitas indulſiſſet, nec quicquam etiam vobis de intentionis noſtrae propoſito illorum miniſterio detexiſſet. Verùm, quia dictos fratres propter notam et expertam multoties legalitatis eorum conſtantiam hoc honoris privilegio duximus honorandos, quod eis finale intentionis noſtrae propoſitum, ac invariabilem animi noſtri motum circa praemiſſa lucidiùs detegentes, in ipſos ſolos transfundimus ...ma cordis noſtri, ecce, quod eos expeditos

in omnibus ad vos remittendos decrevimus, de quorum verbis plenè poteritis colligere, quali ergà vos fundetur initio motus noster.

LXIX.

Rudolfus etc. mandat civitati, ut N. assumat in officium Notariatûs, s. dictatoriae facultatis.

Quantò sincerioris fidei puritas, et constantioris devotionis integritas claris rerum effectibus nostrae Celsitudini demonstrata, vos indissolubilius nobis unit, quantò specialioris karitatis affectu, vos tanquam nostros et Imperii fideles probatos amplectimur: tantò ferventius ac desiderantius utilitatibus et commodis vestris ubilibet intendere nos delectat. Cum itaque, sicut certa quorundam fide dignorum relatio nos instruxit, ex circumspecti, providi, ac litterati scriptoris carentia, universitas vestra defectum nimis notabilem ac intollerabilem patiatur: Nos tanquam vestri honoris et commodi zelatores defectum hujusmodi nimis gravem, per quem et honor civitatis vestrae graviter sauciari, et commodum ejusdem processu temporis posset non modicum disturbari, tollere cupientes, hüic morbo remedium applicare disponimus oportunum. Considerantes siquidem, quod ad moderamen et regimen tam insignis officii non sorte, sed arte sit aliquis eligendus in quandam personam in dictatoriae facultatis officio floridam et expertam, in commisso fidelem, et in omnibus aliis, quae ad ipsum Notariatûs officium pertinent, expeditam, videlicet N. oculos nostros injecimus, ipsum tantò amplius affectantes, vo-

bis in hujusmodi officio famulari, quantò fructuosiorem in ipſo vos habituros agnoſcimus ſervitorem. Propter quod univerſitatem veſtram rogamus, et hortamur attente, regiâ vobis nichilominus auctoritate mandantes, quatenus votis noſtris pro honore veſtro conceptis et commodo favorabiliter aſpirantes, dictum N. ad praedictum Notariatûs officium unanimiter aſſumatis, maxime cum in hoc etiam et honor Imperii et utilitas non modica procuretur. Si verò quispiam huic recto intentionis propoſito in veſtrum excogitato favorem temerè rebellare contenderet, hic ſe et noſtrum ac Imperii indevotum, et honoris civitatis veſtrae patentem ſe faceret inimicum. —

LXX.

De reciprocis hominum et ſervitorum exceſſibus tollendis, emendandisque.

Diſplicet nobis plurimum, ſi te homines noſtri in aliquo ſuis exceſſibus offenderunt. Propter quod, quidquid eſt factum indebite, modo debito corrigi, et ne fiant ſimilia in futurum, caveri ſolicite faciemus, ſperantes de te, quod injurias oneroſas, quae nobis et noſtris hominibus â tuis ſervitoribus et hominibus ſunt illatae, et cottidie inferuntur, aequâ viciſſitudine facias emendari; nos etiam noſtros conſules ad locum communem, et congruum dirigemus, qui exceſſus hominum noſtrorum rite corrigant vice noſtrâ, et ſatisfactionem recipiant de noſtris et noſtrorum injuriis congruentem. Super his et quibusdam aliis fidelem N. ad te miſimus, qui prioribus tuis litteris, per nuntium alium nobis miſſis, et his etiam, quas lator praeſentium no-

bis tulit, tam per litteras, quam oretenus tuae Celſitudini congruè reſpondebit; quem nobis citò remitti petimus ſuper tuo beneplacito informatum.

LXXI.

Gratiarum actoria pro exhibitis honoribus et beneficiis.

Quotiens favorabilis et amica veſtrae ſalutationis exhibitio, quâ me veſtrum devotiſſimum de Rom. Curia venientem veſtra reſpexit benignitas, ad conſiderationis diſcretae ſtateram reponitur, quotiens gratioſum illud invitationis beneficium, quo me, licet indignum ad convivantium trahentes conſortium, praedicabilis veſtra refecit hoſpitalitas, in cordis anxii conſiſtorio revolvitur, ecce, quod facies quodam verecundiae rubore extra confunditur, et intrinſecus nervus cordis expaveſcentiae ineffabilis aculeo laceſſitus, amarius afficitur et gravatur; nec indignè, quia virium inpotentia, ut de temporis et loci congruentia, quae forte proceſſu temporis ſe offeret, taceam, non permittit, quod de tot beneficiorum impenſis quid honoris quid ſervitii vobis retribuam, aut impendam, nec ſinit etiam, quod fervens ille obſequendi affectus, quo ergà vos meus inceſſanter incandeſcit animus, prodeat in effectum. Quaeſo tamen humiliter, quatenus ſi quid eſt, in quo reſideat votum veſtrum, ſi quid noveritis, per quod vobis valeam complacere, ad quod exequendum utilis videar, id mihi veſtri revera honoris avido, poſſibilitatis non attendentes defectum, ſed affectum, quo ergà vos moveor, diſcretius intuentes, perficiendum fiducialiter injungatis.

LXXII.

Commendatio pro Epiſcopo N.

Cum venerabilis Epiſcopus N. quem propter ſuae merita probitatis benigno favore proſequimur, beneficio confirmationis et conſecrationis accepto, per nos jam dudum amminiſtratione temporalium meruerit inveſtiri, ſicque poſſeſſione pacificâ jam gaudeat dictae ſedis: Paternitatem veſtram pro ipſo omni, quo poſſumus, precum ſtudio duximus exhortandam, quatinus tranquillitati memoratae Eccleſiae paternaliter conſulentes, dictum Epiſcopum in cauſae ſuae juſtitia, in quantum recti, juſtique favor annuerit, favorabiliter foveatis, attendentes attente, quod multum in hoc dictae Eccleſiae utilitati conſulitur, ſi is, qui dictae ſedis poſſeſſionem plenariam eſt adeptus, in illa quiete remaneat, et ceſſent lites et odia adverſantium quorumcunque, quae in multis Eccleſiis irrecuperabile cauſant et efficiunt detrimentum.

LXXIII.

Interceſſio pro relaxandis poenis et cruciatibus N. incarcerati.

Ad noſtram audientiam fidâ quorundam relatione certiſſime eſt perductum, quod vos N. per vos carcerali cuſtodiae mancipatum, gravibus poenis affligitis, et tormentis variis afficere non ceſſatis, licet idem ad declinandos cruciatus hujusmodi vos multis et pretioſis exeniis honorarit. Nos itaque, qui pro ejusdem ſalvatione affectuoſas N. preces accepimus, fidelitatem veſtram in eo fidei debito, quo nobis aſtringi-

mini, ſtudioſe requirimus, et rogamus, quatinus dicto N. pro noſtra reverentia deferentes, ipſum ſalvum et immunem â cruciatibus et poenis hujusmodi tamdiu ſine laeſione qualibet teneatis, quousque ſuper ejusdem liberatione vobiscum aliquid ordinare ſive diſponere nos contingat; pro certo ſcituri, quod ſi precibus noſtris hujusmodi parvi penſis in ipſum cruciatus et poenas hujusmodi multiplicare crudeliter temptaretis, in hoc noſtra Serenitas non mediocriter turbaretur. Propter quod, ſi honorem noſtrum diligitis, ſicut firmiter opinamur, eidem nil adverſi, nil noxii inferatis, quousque ſuper eo vos perſonaliter alloquamur.

LXXIV.

Privilegium pro N. Capellano Regio.

Decet beneficentiam regiam bene meritos remunerare ſubjectos, ut, dum condigni pro meritis praemiis honorantur, reliqui fideles ad devotionem Imperii ferventius excitentur. Cum itaque honorabilis vir N. Cappellanus noſter dilectus (ſeu kariſſimus) â creationis noſtrae principio noſtra latera comitatus, gratis et indeſinentibus ſuae devotionis obſequiis nobis velut apis argumentoſa deſerviens, in conſpectu regio gratum ſe fecerit et acceptum: nos ipſum propter hoc volentes reſpicere privilegio gratiae ſpecialis, hanc ſibi de Regali Clementia gratiam duximus faciendam, quod ſoror ſua, et N. cum omni domo et familia dicti Cappellani noſtri ab omni precaria ſive contributione perpetuò ſint liberi penitus et immunes, ita, quod iidem deinceps noſtro nomine, vel alterius cujuscumque nullo omnino exactionum genere praegraventur. In cujus etc.

LXXV.

Confirmatio gratiae, NN. factae olim, de mutâ in Stain.

Infpectis devotionis et fidei meritis, quibus dilecti fideles noftri N. erga Nos et Imperium refulgere nofcuntur, gratiam, quam illuftris quondam Dux Auftriae patri ipforum, ac fuis heredibus impendiffe dinofcitur, videlicet, quod iidem de muta in Stain L. talenta denariorum fingulis annis tamdiu nomine feodali percipiant, quousque per praedia et poffeffiones hujusmodi gratiae beneficium permutationis nomine fuerit compenfatum, praefatis N. de benignitate regia confirmamus, innovamus, et praefentis fcripti patrocinio communimus. In cujus etc.

LXXVI.

Vt ablata per rapinam in ftratâ regiâ reftituantur.

Dilecti fideles noftri cives N. fuâ nobis nuper querimonia demonftrarunt, quod, cum N. eorum concivis cum mercimoniis fuis fub fpe lucri apud civitatem N. in ftratâ Imperii publicâ pertransiret, quidam tuus familiaris N. hoftiliter irruens in eundem, quandam fibi fummam pecuniae, videlicet XX. marcas argenti, cum rebus fuis aliis abftulit minus jufte, nec Deo, nec juri, nec ftratae regiae deferens libertati. Nos igitur hoc, quod per injuriam factum effe dinofcitur in hac parte, retractari ex intimis affectantes, fidelitatem tuam, de qua fiduciae plenitudinem obtinemus, rogamus pleniffimo cum effectu, quatenus eundem N. ad reftitutio-

nem ablatorum plenariam, ob reverentiam juris et noſtram ſtimules et compellas, tantae ſollicitudinis et operae tuae ſtudium applicans ad praemiſſa, quod ille ſincerus tuae devotionis affectus, quo nos et Romanum veneraris Imperium, lucido clareat ex effectu.

LXXVII.

Remiſſio paterni criminis.

Manſuetudinis regalis humanitas indevotis ex facili propinat veniam poſt reatum, dum per recognitionem erroris ſui, et debitae devotionis exhibitionem gratuitam ad thronum gratiae noſtrae confugiunt, veniam petituri, maxime etiam, cum per interceſſiones laudabiles adjuvantur.

Propter hoc igitur in illuſtri N. filio quondam O. Regis Bohemiae per transmiſſas nobis litteras ſuas perfecta devotionis inſignia colligentes, eidem, preces tuas nequeuntes repellere, foecundum noſtri favoris et gratiae gremium liberaliter aperimus, omnem ſibi offenſam, quam quondam patris ſui ergà nos promeruerat temeritas, ex corde et animo remittentes, et nichilominus eundem apud illuſtrem Regem Bohemiae filium noſtrum, et alibi, ubi noſtrae promotionis eguerit, promovere fideliter cupientes.

LXXVIII.

Stipendii donatio, et meriti commendatio.

Digne illis liberalitatis et munificentiae noſtrae manum porrigimus, qui tempore, quo hoſtilis perſecutionis immanitas nobis et Romano Imperio ruinoſa diſpendia minabatur, lateri noſtro

circumdati, manus cruentas miſcuerunt cum hoſtibus, et ſub gloriae noſtrae vexillo militantes intrepidè, contra hoſtes ejusdem Imperii triumphalis victoriae nobis caelitus reſervatae, per praeclarae ſtrenuitatis opera commendanda participes ſe fecerunt. Quia igitur nobilis vir N. hoc eodem adverſitatis tempore, quo pro defendendo honore Imperii contra inclytum quondam O. Regem Bohemiae victrices aquilas noſtras levavimus, Celſitudini noſtrae viriliter aſtitit, et pro jure Imperii ſtrenuè dimicavit: Nos propter hoc dignum ducentes ipſum aliqualis beneficentiae noſtrae munere praemiandum, ſexcentas marcas etc.

LXXIX.

Admiſſio excuſationis abſentiae â curiâ ſolenni.

Quanto celſius ex aſſumpti poteſtate regiminis praeemines, quanto praedicabilius ex infuſae tibi divinitus luminoſae ſcientiae claritate praefulges, tanto placidius et acceptabilius noſtris deſideriis arriſiſſet, quod curia noſtra ſollempnis tuâ fuiſſet ſtipata praeſentia, utpote quae in diſponendis utiliter Reip. commodis, cujus inibi tractabatur utilitas, ſatis creditur oportuna. Verùm cum hoc, prout ex cauſis per litteras tuas expreſſis argumentoſe perpendimus, tibi non fuerit iſta vice poſſibile, tuas excuſationes per easdem litteras tuas declaratas apertius et per providum virum N. Cappellanum tuum. diſcrete propoſitas condecenter admittimus, et abſentiam tuam ad praeſens aequanimiter ſupportamus, mandantes pariter, et volentes, quatinus alias, cum ad curiam noſtram neceſſariò

te vocari contigerit, ad eandem venire nullatenus pigriteris.

LXXX.

Cancellario Regio, Episcopo N. se offert N. tanquam Capellanum, s. Notarium.

Ex quo divina clementia vos tam pretiosam et nobilem columpnam Ecclesiae militantis, â contemplationis otio delicato in activae occupationis ministeriis ad tantae dignitatis apicem evocavit, oportunum est negotiorum vestrorum multitudinem imminentem de sublimi fonte vestrae providentiae per diversorum vobis famulantium ministeria derivari. Ideoque Cappellanum vestrum vobis offero memetipsum, paratum ad quamcunque partem, non dicam sollicitudinis, sed vestri ministerii, vestra pia benignitas, immò benigna pietas duxerit me vocandum, in hac votivis vestris obsequiis exercebor. Vestrae voluntatis arbitrium super hoc mihi dignemini declarare.

LXXXI.

De composità contentione contra Ecclesiam N.

Quiescant amodo patrum corda fidelium, quia honorabili viro N. nuper veniente de curiâ, ejus aspirante clementia, qui justas dirigit causas, et detestatur iniquas; aemulorum Ecclesiae nostrae intentatio factiosa jam penitus conquievit; quantumlibet enim nocendi genus acerrimum, et nocivas insidiandi machinas instaurarit nunc ultrò, laqueo tamen contrito venantium sempiternum hujusmodi silentium est indictum. Va-

leat ſemper, et pie proficiat honorabilis coetus veſter, qui de mea ſemper parvitate confidere plenè poteſt. Placeat autem veſtrae prudentiae, portitorem praeſentium, qui ob aegritudinem Domini noſtri ad ſuperiores Alamaniae partes fuit compulſus accedere, ſuper morâ contracta benignius excuſatum habere.

LXXXII.

Notarii Regii ad collegiatam Eccleſiam, cujus membrum eſt, excuſatoria.

Multorum emergentium negotioſa congeries aures Regias crebrò pulſans, Regalium agendorum maturitas, ne dicam moroſitas, nec non piae memoriae Cancellarii diuturna abſentia, proh dolor! mortis interitu jam concluſa, expeditionem negotii principalis Eccleſiae noſtrae hactenus impedivit; propter quod ejus dilatio meae non eſt inertiae vel incuriae impingenda; ſed ſpero, quod in adventu N. etc. Licet igitur in inſtanti feſto N. vobis concepiſſem, meam offerre praeſentiam, reſidentiam debitam peracturus, quia tamen ſine negotii inchoati periculo me non poſſem ad praeſens â curia aliqualiter abſentare, adhuc neceſſariam traho moram, devote depoſcens, quatinus apud vos mea laborioſa non generet mihi diſpendium, ex qua gratiam meritò mereor invenire.

LXXXIII.

Recommendatio, post amissum morte promotorem.

Propinatum nobis nuper ex lugubri obitu piae recordationis N. dirae nimis amaritudinis calicem lacrymosis singultibus haurientes, dum consideramus ex intimis, nos ex amissione ipsius irrecuperabile dampnum passos, ad unicum recurrimus sedulâ meditatione consilium, quod, ex quo manus altissimi tam gravi punctura nos pupugit, et tam vigili promotore privavit, in vos fiducialiter omnium agendorum nostrorum congeriem congeramus, utpote qui et nostis, et vultis necessitatibus amicorum sincerè consulere, et remediabiliter subvenire. In vobis igitur anchoram spei nostrae post Deum praecipuè collocantes, paternitati vestrae piissimae supplicamus, quatenus nostris promovendis et expediendis, utiliter salutaribus adesse velitis consiliis, et auxiliis oportunis.

LXXXIV.

Rogat Rudolfus etc. civitatem N. ut fratribus minoribus in N. quorum ordinem mirifice extollit, viam quandam, murum civitatis, eorumque conventum intercedentem benignè largiatur.

In coeli firmamento diversitate syderum, speciositateque fulgidâ supernorum, caliginosa terrestrium propellitur opacitas, et jocunditatis dulcedine in radiorum solarium participium oculus clarè contemplantium delectatur; lumine etenim

ſe per terrarum ſpatia diffundente, exultat deſerta, et invia gratulatur puerperâ ubertate exuberans in fructum pullulat terra noſtra. Inter ipſa autem polorum luminaria, ſicut ſtellae â ſe differunt claritate et ſitu, ſic diſcrepare videntur oculariter in effectu. Quod quidem tropologicè comprehenditur, dum in ſanctâ Matre Eccleſiâ ſanctarum religionum diverſimoda converſationis pollentia reperitur, è quibus Chriſtianus populus multarum virtutum dotibus ſerenatus, foecunditate prolis mirificè dilatato ſui tentorii loco, ſuos fecit funiculos longiores. In harum autem numero felicium, ordo N. velut lucerna ſuppoſita candelabro, domum Dei verbo illuminat pariter et exemplo, ipſiusque ordinis beati fratres Chriſtum pauperem in camino paupertatis eximiae imitantes, nec alibi, nec aliunde poſſunt refici, tegi, vel recipi, niſi Chriſti fidelium ope elemoſinariâ ipſorum inopia propulſetur. Ob virtutis itaque et probitatis propriae praeclara ipſorum merita, ipſos in Domino diligimus, ac confovere pro plantatione orthodoxae fidei, utilitateque Reip. concupimus, intendentes, prout Regiam decet Magnificentiam, eisdem in conſervandis ſuis libertatibus inveniri faciles, et promotionum beneficiis liberales, et non ſolum ipſis in ſe volumus experiri propitii, verum etiam ipſorum fore benefactoribus gratioſi. Sane, praedicti fratres vobis pro ſolatio et ſalute omnium commorantes, veſtram univerſitatem de multiplicibus beneficiis, ſibi â vobis exhibitis commendantes aſſerunt, quod unico tantum in ſuo coenobio pulſentur et fatigentur incommodo, ipſos fratres intollerabiliter affligente, videlicet, quod via inter murum veſtrae civitatis, et murum eorum habitacula circumdantem media, nec pro uſu privato, nec publico

necessaria, ipsis fratribus ob inique agentium insolentias valde sit difficilis et dampnosa; nos itaque perpendentes ex certa scientia, quod per donationem dictae viae sic ipsis fratribus provenire valeat solatium, quod vestrae civitati nullum penitus immineat nocumentum, universitatem vestram omni, qua possumus, precum instantia duximus deprecandam, quatinus ob nostram, sacrique Imperii reverentiam, nostraeque specialis dilectionis intuitu, ac nostrarum precum vobis directarum affectuosius interventu, saepe dictis N. in donatione dictae viae tam liberaliter, tamque hilariter vestrum impendatis beneficium, quod apud Deum eorum suffragantibus orationibus vestrum crescat meritum, et nostrae gratiae vobis proveniat universis et singulis incrementum. —

LXXXV.

Ad Episcopum N. ut clerum suum saecularem et regularem corrigat, praedicationisque officio instruat.

Ecce venit Deus sempiternus, et Dominus, qui fundavit terminos terrae, citans nos in voce Archangeli, et in novissima tubâ ad concilium generale; labia ejus indignatione sunt plena, et lingua ejus, quasi ignis devorans, quomodo dormientes et amantes sompnia, jacentes in locis eburneis, et lascivientes in cubiculis suis, quomodo diem adventûs ejus cogitent, aut quomodo stare poterunt ad videndum ipsum? cum revelabuntur omnia abscondita tenebrarum, et infelix impiorum nuditas apparebit, non erit locus, ubi lateant miseri, nudi stantes ante tribunal Christi, ut audiant vocem judicii, qui

ad vocem obturavere concilii aurem ſuam. Ad confuſionem igitur perpetuam evitandam, et declinandos ſempiternos ardores, aut cruciatus aeternos, oportet omnes, qui aſſumpti ſunt ad agrum dominicum excolendum, granum â palea debitae flagello correctionis excutere, et â fruge dominicâ zizaniam ſeparare, ne contagium tantae corruptionis electos inficiat, et filios Dei cum filiis mundi, hujusmodi horâ repentinae calamitatis involvat. Quocirca mandamus, quatenus omni morâ et occaſione poſtpoſitis, primò incipiens â te ipſo, torporem deſidiae omnimodè deponendo, ne bovis ſtercore lapidatum incipiat Dominus ex ore ſuo evomere, viriliter arma ſpiritualia gladium et ignem aſſumens, incipias fodere, ut appareant genimina vipperarum, et radius lucis vibretur interius, ut ad vindictam exigat umbram mortis; moniales, monachos, canonicos regulares et ſaeculares, et alios clericos tuae dioceſis efficaciter corrigas tam in capite, quam in membris. Cum autem Praelati Eccleſiarum ſaepe propter occupationes multiplices, ſive occaſiones alias non ſufficiant, miniſtrare populo verbum Dei, et ſtatutum ob hoc fuerit in concilio generali, ut ad ſanctae praedicationis officium viri aſſumantur idonei, potentes in opere, ac ſermone, qui plebes ſollicite viſitantes, eas verbo aedificent et exemplo: aliquos de clericis tuae dyoceſis tecum aſſociare procures, qui cooperatores et coadjutores, in quibus expedit, exiſtentes, tam verbo praedicationis, quam viſitationis officio, tibi ſuffragium convenienter impendant, ut tua, et ipſorum ſollicitudine muri Iheruſalem et templum Domini reparentur; ſi verò quicquam difficultatis emerſerit, quod videatur per vos expediri non poſſe, illud ad ſedem apoſtolicam referre

procures; nos enim in his, prout oportunum fuerit, tibi efficaciter assistemus, et necessarium impendemus auxilium et favorem. Quodsi super his, quae mandamus, negligens fueris, vel remissus, cum securis ad radicem infructuosae arboris sic sit ponenda, gravem poenam poteris, tanquam qui ex hoc te culpabilem redderes, non inmerito formidare.

LXXXVI.

Procuratorium.

Ad universitatis vestrae notitiam tenore praesentium cupimus pervenire, publice profitentes, quod nos N. et N. vel eorum alteri, dedimus, et damus praesentibus plenam auctoritatem ac speciale mandatum, vos universos et singulos ad nostra et Imperii servitia promissionibus, obligationibus, aut aliis quibuscumque pactionibus attrahendi, praesentibus firmiter promittentes, quod, quicquid iidem, vel alter eorum, ratione attractionis et allectionis hujusmodi ordinandum, tractandum, obligandum, vel etiam duxerint promittendum, nos ratum et gratum proinde tenebimus, acsi per Nos ipsos, et in nostra praesentia sponsiones ac pactiones hujusmodi ordinatae fuissent; spondentes nichilominus, quod nos ordinationes praedictas, qualescunque fuerint, singulas in specie, singulis litteris nostris patentibus confirmabimus opportunis temporibus, cum super hoc fuerimus requisiti. —

LXXXVII.

Preces Rudolfi etc. ad N. ut N. commendet, qui ſibi Rud. velut apis argumentoſa ſerviit hactenus.

Replevit augmento tripudii tabernaculum mentis noſtrae ſpes pulcra, quam de veſtrae karitativae dulcedinis officioſitate concepimus, eo quod piae recordationis N. dum vitalis aurae beneficio frueretur, gratioſae vocis oraculo ſpopondiſtis, quod nos velletis piis et fructuoſis orationibus commendare. Super quo vobis utique ad grates uberrimas inclinantes, devotionem veſtram rogamus affectu quo poſſumus ampliori, quatenus pollicitationis hujusmodi recordantes, pactaque ſervantes, ut credimus, et ſperamus, promptae devotionis affectu noſtris adjiciatis profectibus in ſalutem, religioſum virum N. qui non ſolum nobis, ſed toti Reip. Chriſtianae ut apis argumentoſa deſerviens, pro ſalute fidelium dies laborioſos, noctesque producit inſompnes, ſuper impenſis nobis tam gratis et fructuoſis obſequiis commendare velitis, et, ut in impendendis non vacillet, aut torpeat, ſollicitius exhortari; hoc ſibi in remiſſione peccaminum injungentes.

LXXXVIII.

De Advocato defuncto.

Ex quo placuit regi regum, altiſſimo palmo omnia complectenti, cujus judicia voce prophetica reputantur abiſſus, N. quem in Advocatum noſtra Serenitas praefecerat, per univerſalem humanitatis legem communi tributo mortalitatis involvere, et de vitae medio, proh dolor! evo-

care; propter quod utique regius animus ad compaſſionis lacrimam non potuit non moveri, eo quod nobis admodum neceſſarius, et univerſitati veſtrae non modicum fuerit fructuoſus, prudentiae veſtrae conſolationis unguenta porrigimus, vos hortantes, quatenus animoſâ conſtantia vos regatis; nos enim, ſi in Buicum apud N. duce Domino nos venire continget, veſtrique conſilii copia nobis aderit, vobis providè curabimus de idoneo ſucceſſore.

LXXXIX.

De inoportunâ contentione tollendâ.

Etſi fidelium ſubditorum noſtrorum diſcidia ſive guerrae ſemper noſtro adverſentur propoſito, ſpecialiter tamen in hoc tempore rancores hujusmodi gravem diſplicentiae ſpiritum pariunt Regiae Majeſtati. Quapropter fidelitatem tuam ſerioſius obteſtamur, quatenus praeſentis temporis neceſſitate diligenter attentâ, ſubortam inter te et N. diſſenſionis odioſae materiam, ſicut honorem regium diligis et ſalutem, tamdiu teneas in ſuſpenſo, quousque N. die, noſtram fueris praeſentiam acceſſurus; adveniente ſiquidem tunc etiam N. memorato, omnem eam, quae inter vos vertitur, turbationis materiam vel amicabili compoſitione, vel juſtitia mediante ſtudebimus conſopire.

XC.

Vt mercatoribus N. ſatisfiat de ſpoliis.

Iuri prorſus contrarium decernitur, et rationi conſonum non videtur, quod cuiquam alieni praetextu criminis infligatur afflictio, praeſertim

cum in auctorem exceſſus, poenae, quam meruit, ſupplicium potius convertatur. Cum igitur dilecti fideles noſtri N. mercatores mercimoniis ſuis non in veſtris, ſed in LAVDANEN̄. civitatis terminis, prout litterae inquiſitionis ſuper hoc factae declarant evidenter, fuerint ſpoliati, formidare nullatenus vos oportet, quod occaſione ſpolii hujusmodi quid gravaminis vel jacturae regalis noſtra Serenitas vobis inferri aliquatenus patiatur; fidelitatem tamen veſtram ſerioſe requirimus et hortamur, quatinus, ut eisdem mercatoribus de dampnis ſibi illatis ſatisfiat, una cum ipſis opem et operas veſtras ſollicitas pro noſtra reverentia ferventer et fideliter applicetis.

XCI.

De mutuis inſolentiis reprimendis.

Veſtram frequenter et crebrius querimoniam recepiſſe meminimus, qualiter noſtri fideles vos et veſtros gravibus laceſſire non ceſſent injuriis, et injurioſis gravaminibus non deſinant moleſtare; ſed et nos vice reciproca veſtrorum inſolentias et patentes injurias, quas in homines et fideles noſtros committunt aſſidue, eorundem fidelium noſtrorum relatione queruloſa tociens experimur, quod, quid ſuper his mutuis dampnorum et tribulationum incommodis facere nos expediat, quidque viciſſim, vel quale nos conveniat applicare remedium? penitus ignoramus, dum ſic inconſulte temerario ultionis furore dampna dampnis, et injuriae injuriis compenſantur. Quapropter vobis conſulimus bonâ fide, quatinus debito correctionis indicio veſtrorum, â noſtrorum injuriis inſolentias reprimatis, et nos vice verſâ de noſtris vobis facere promitti-

mus illud idem, ne unius partis in alteram degrassante malitia, et invalescentibus malis per tempora, nimis tardum futurae tranquillitati remedium praeparetur. —

XCII.

Rudolfi R. R. ad Humbertum ad Arietem, civem Magunt. litterae.

Ad incrementum gloriae regalis pertinere dinoscitur, si illi, qui in nostris et Imperii se fideliter exercitaverunt servitiis, suae capiant praemia servitutis, quo exemplo caeteri de bono in melius animari, ad obsequendum nobis et eidem Imperio ferventius accendantur. Hinc est, quod nos grata et placita, quae nobis et Imperio strenuus vir N. gratanter impendit, obsequia, et adhuc impendere poterit gratiora, benignius intuentes, LX. marcas puri et legalis argenti sibi de regia liberalitate promittimus nos daturos, duas carratas vini franconici de torculari nostro sumendas apud Wesaliam sibi tamdiu obligantes, quousque praefatae LX. marcae per nos vel nostros in Imperio successores sibi vel suis haeredibus fuerint persolutae. In cujus testimonium praesens scriptum manu nostra sibi duximus roborandum etc.

XCIII.

Cancellarii Regii notificatio ad N. quod Rudolfus R. R. aſſumſerit N. in protonotarium ſuum.

Quia, ut evidenti experientia didici, veſter animus ex veſtrorum promotione tripudiat, ecce, ut de praecordialiſſimi viri N. honore votivae laetitiae plenitudine foecundetur, ſignifico vobis ad gaudium, quod ipſe N. me etiam impendente pervigilem, prout ſcivi et potui, opem et operam, in Imperialis aulae Prothonotarium ab Excellentiſſimo Rudolfo Rege Romanorum favorabiliter eſt aſſumptus. Valeat veſtra benignitas, quae me velit habere benignius commendatum, mihique fidenter injungere, quicquid libet.

XCIV.

Exemtio temporaria â ſturis et angariis.

Multifariis, quas tam ignis incendio, quam aliis quibuscumque caſibus inportunis graviter pertuliſtis, moleſtiis et jacturis interno conpatientes affectu, ac cupientes jacturas hujusmodi aliquali conſolationis et gratiae noſtrae refocillamine mitigare: hanc vobis de benignitate regiâ gratiam duximus faciendam, quod â N. feſto ad ſex annos â ſturarum et angariarum onere vos eſſe volumus ſimpliciter abſolutos, ita tamen, quod infra praeſentis anni circulum muri civitatis veſtrae ruinoſa diſpendia plene et integrè reformetis; concedentes vobis etc.

XCV.

Feudum, vidualitii nomine, ad uxorem transferendi facultas concessa.

Devotis N. fidelis nostri dilecti supplicationibus inclinati, ad hoc liberum consensum nostrum porrigimus, quod idem castrum N. cum suis attinentiis universis, si ipsum contingat decedere, in N. uxorem suam superstitem possit transferre temporibus vitae suae, si vidua manserit, pacifice possidendum. Si verò post mortem ipsius N. dicta N. legitimum duxerit, praedicta castrum et bona ad haeredes legitimos, vel quibus idem N. suo condito testamento de consensu principis leganda decreverit, devolvantur, hac tamen conditione signanter adjecta, quod, quicunque bonorum hujusmodi haeres fuerit, aut possessor, defectum dotis, quem dicta N. in LX. libris in bonis N. sustinere dinoscitur, supplere complete et integrè teneatur. Testes hujus etc. —

XCVI.

Grates pro honorifica Protonotarii regii susceptione, tractationeque.

Super eo, quod in personâ honorabilis viri, Magistri G. Prothonotarii nostri dilecti, prout ex ipsius relatione cognovimus, nos tanto honore et reverentia praevenistis, quodque sincerae devotionis et fidei integritate Nos et Imperium amplectimini incessanter, prout evidenter apparuit ex eo, quod eundem nostrum Prothonotarium, ut est dictum, nostro nomine honorificè suscepistis, et benevole pertractastis,

vobis gratiarum actiones referimus multiformes, incommutabiliter disponentes, propter hoc vos condignae recompensationis praemiare muneribus, et congruis honore et gloria vos prae caeteris vestris participibus coronare.

XCVII.

Ad Rudolfum etc. ut sex tentoria transmittat.

Tot et tanta singulis nobis à vestrâ discretione beneficia sunt impensa, quod firma nobis de impendendis ulterioribus gratae vestrae promotionis beneficiis spes existit. Propter quod, Pater karissime! affectum paternum, quo nos hactenus prosequebamini incessanter, hoc indigentiae nostrae tempore quiescere non sinentes, verùm ipsum in fructuosum permittentes prodire effectum, nobis de sex tentoriis honestis dignemini, quaesumus, providere; ipsas nobis aut personaliter apportantes, aut si certi nuntii se oportunitas obtulerit, transmittentes; per hoc enim nos revera ad vestra obsequia nunc paratos efficietis semper ad quaevis vestra beneplacita promptiores. —

XCVIII.

Vt exactiones illicitè ab hominibus regiis extortae restituantur.

Querelam gravem dilecti fidelis nostri N. recepimus continentem, quod vos homines suos ad persolvendas graves et inauditas exactiones in ipsius praejudicium et gravamen compellere praesumpsistis. Cum igitur idem N. ad prae-

ſens circa noſtra et Imperii negotia, et totius Reip. Chriſtianae ſervitia occupetur utiliter, et propter hoc cum ſuis hominibus debeat non indigne ſub protectione regiâ reſpirare: fidelitati veſtrae firmiter praecipiendo mandamus, praeciſe volentes, quatenus omnes exactiones, quas â praedictis hominibus exegiſtis, pro noſtro honore et reverentia integraliter refundere nullatenus omittatis; alioquin vos tanquam indevotos et infideles Imperio, propter hujusmodi illicita opera corrigemus; ſicut enim vobis inconveniens videretur, quod in veſtros homines exactiones aliquas poneremus, ſic nos vice reciprocâ rationi diſſonum reputamus, quod quidquam exigitis â noſtrorum fidelium hominibus, ſive noſtris, in quibus nulla jura vobis competere dinoſcuntur.

XCIX.

Pietas in rebelles, junctâ comminatione, ſin ſpiritum indevotionis aſſumſerint.

Ad hoc in eminenti Regiae Majeſtatis ſpeculâ collocati, et ad praeſens accincti magnifice, ut Sacri Imperii, ac totius Reip. Chriſtianae negotia in pacis quietudine collocemus; Vos, qui mero jure, prout ſacri canones, et legis auctoritas proteſtantur, ad ipſum Imperium eſtis ex cauſa legitima devoluti, rogamus et hortamur pleniſſimo cum affectu, quatinus pergravibus futuris periculis, quibus propter rebellionis proterviam, ſiqua in vobis reperta fuerit, vos cingemus, providè praecaventes regali noſtrae Clementiae, quae devotis non claudit, ſed latius ſinum aperit pietatis, benignè vos ſtudeatis ſubmittere, et nobis in puritate devotionis et fidei

fideliter adhaerere; propter hoc enim praeter illa, quae de jure, et ex antiquo vobis competunt, libertate, vos affluentibus gratiarum beneficiis attollemus, et, si forte, quod absit, in spiritum indevotionis assumpti fueritis, personas vestras truculentâ strage corporum, et res vestras incendiis et rapinis destruere compellemur, universa dampna et singula, quae propter rebellionem hujusmodi incurrere nos continget, â vobis nichilominus petituri.

C.

Exemptio â Muta.

Decet munificentiam regiae Majestatis, fidelium suorum obsequia vultu sereno respicere, ac ea condignis retributionum praemiis praevenire. Eapropter nosse volumus universos, tam posteros, quam praesentes, quod nos graves et innumeras tribulationum et afflictionum injurias, quas dilecti fideles nostri cives de La. pro nostris et Imperii conservandis honoribus, persecutionis tempore sunt perpessi, gratiosius attendentes, hanc ipsis de benignitate regali consolationis gratiam duximus faciendam, ut Mutam in N. nobis solvi consuetam, per X. annos continuos in emendationem et meliorationem civitatis suae recipiant, ipsam ad usus civitatis magis oportunos et utiles convertendo. Gratiam quoque gratiae cumulare volentes, ipsis civibus nostris liberaliter indulgemus, ut â Muta infra civitatem ab ipsis dari consueta de regali benevolentia sint liberi penitus et immunes. In cujus concessionis nostrae testimonium evidens et cautelam etc.

CI.

Mandatum de restituendo damna et ablata, quae perpessus est N. Episcopus N. ab N.

Querelam gravem, singultuosisque suspiriis plenam, venerabilis Patris Episcopi, Principis nostri karissimi nuper cum dolore percepimus, continentem, quod tu ipsius, et Ecclesiae suae res et possessiones subintrans, in ipsis nocturna quiete contracta, eas variis depraedationibus, pabulationibus, ac aliis injuriosis molestiis temerè penitùs devastasti, et quod tu, licet ad subversionem et destructionem omnimodam praedictarum possessionum et rerum praedationes hujusmodi suffecissent, hac tamen non contentus injuria, quidquid ab ungulis tuis in priori praeda ceciderat inconsumptum, tibi adduci praecipis, seu tuis officialibus assignari. Cum igitur tam manifestas Christi, et Ecclesiae suae sanctae, nostrae Matris injurias non absque nostro maximo et Imperii scandalo dissimulare possimus, eo quod à Deo nos constitutos fore cognoscimus Ecclesiarum omnium defensores: fidelitati tuae nostrae gratiae sub obtentu praecipimus, injungimus, et mandamus firmiter et districte, quatenus universa et singula dampna, quae ipsi Episcopo praesumptione nepharia irrogasti, sibi indilate, sicut honorem nostrum diligis, et res tuas, restituas et refundas, nec de caetero manus tuas in ipsius eleves nocumentum, si nostram offensam volueris evitare; tot enim et tantas idem Episcopus pro nostro nomine adversitates sustinuit, in quibus semper stabilis in nostrà devotione permansit, quod potestas Majestatis Regiae ipsum indignè desereret, aut permitteret à nostris fidelibus tam enormi-

bus ſpoliis ſuffocari. Igitur revertaris ad cor, et conſideres diligenter, quis ex eo conſequi poſſit eventus, cum injurias eidem Epiſcopo irrogatas, noſtras reputemus injurias, et noſtrae ac ſuae moleſtiae ſe mutuò amplexentur?

CII.

Facultas data adprehendendi, pignorandique res et bona civium in Wels, Styra, et Linz, pro ſatisfactione damnorum, civibus Vindobonens. illatorum.

Vniverſitatis veſtrae notitiae tenore praeſentium volumus eſſe notum, quod nos dilectorum fidelium noſtrorum, quorundam civium Wiennen̄. ſuper bonis et rebus eorum, per cives et homines de Welsa, Styra, et Linza contra juſtitiam ipſis notorie et evidenter ablatis, indempnitati conſulere cupientes, eisdem plenam et liberam damus praeſentibus facultatem, res, poſſeſſiones, et bona civium et hominum civitatum jam dictarum, ubicunque locorum illa cives noſtri memorati repererint, occupandi, ac ſuis tamdiu juribus et uſibus applicandi, quousque de praefatis bonis ipſis ablatis indebite, ſufficientem acceperint recompenſam. Stratae tamen regiae, et communis tranſitus, libertate, quam tam in terris, quam in aquis, ab omni violentia et offenſione qualibet penitus exemptam et illaeſam eſſe praecipimus, ſemper ſalvâ.

CIII.

Pro orationibus.

Non tantum in fortitudinis noſtrae robore, nec in virtute bellicâ, quantum in devotorum Chriſti fidelium piis orationum ſuffragiis ſingularis noſtrae fiduciae ſpem locantes, devotionem tuam pleniſſimo cum affectu requirimus et rogamus, quatenus univerſa monaſteria et loca religioſa tibi ſubdita et ſubjecta, diligenter exhortari non deſinas, ut pro noſtrae ſalutis, et Imperii boni ſtatûs augmento devotos precum manipulos, et gratas orationum ſuarum victimas ſummo patri luminum non deſinant immolare, ut, qui de ſede tam humili in excelſum Romani Imperii ſolium nos, licet immeritos, mirâ benignitatis ſuae clementia collocavit, nos virtute et robore muniat, poſſe et noſſe nobis affluenter adjiciat, creditum et traditum ab ipſo nobis Imperium ad ipſius laudem et gloriam, ac totius Reip. commodum et ſalutem feliciter gubernandi. —

CIV.

Mandatum, de non gravando Prioriſſam et conventum in N.

Querelam gravem Prioriſſae et conventus N. nuper recepimus, continentem, quod tu à juſti paſtoris via et officio, plus, quam deceat, devians et declinans, ipſas, quas potius ex officii tibi crediti debito ab injurioſis gravaminibus et preſſuris indebitis deberes defendere, metu Dei, jurisque reverentia penitus ultrajectis, injurioſis nimis vexationibus non deſinis perturbare. Qua-

propter Sinceritatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus Dei, juris, noſtraeque interceſſionis intuitu, â praedictarum Prioriſſae et conventus, quibus ſicut et caeteris Imperii fidelibus et devotis, ne graventur indebite, noſtrae tuitionis impertiri nos convenit, ([a]) injurioſis gravaminibus reſipiſcas; alioquin vias et modos, quibus dictae ſanctimoniales in jure ſuo conſerventur illaeſè, ſtudebimus inſtaurare.

CV.

Protectoria.

Licet ex ſuſcepti regiminis debito quoslibet ſub Romano degentes Imperio juſte defendere nos conveniat et delectet, reverà tamen perſonas eccleſiaſticas, utpote ſpecialiter nobis creditas in ſuis fovere debemus juribus, et ab injuriatorum ſeu protervientium in eas inſultibus efficacius defenſare. Quapropter fidelitati veſtrae firmiter injungimus, et mandamus, quatenus Prioriſſam et conventum N. quae, ſicut ex earundem querela collegimus, â venerabili Epiſcopo N. et aliis quibusdam injurioſius praegravantur, contra quoslibet injurioſos turbatores auctoritate regiâ, quandocunque per easdem requiſiti fueritis, juſte et rationabiliter defendatis.

Etſi ex aſſumpti regiminis officio omnium univerſaliter ſub Imperio Romano degentium curam et ſollicitudinem gerere debeamus, Eccleſias tamen et perſonas eccleſiaſticas, in quibus et per quas pro noſtrae ſalutis augmento Deus

(a) Deeſt quaedam vox.

omnipotens placabiliter exoratur, ne injuriarum afficiantur molestiis, specialis tenemur nostrae defensionis praesidio communire; volentes igitur specialis Capellae nostrae N. et Capellanorum nostrorum ibidem, sicut tenemur ex debito, tranquillitati et commodo providere, universis vobis et singulis firmiter praecipiendo mandamus, quatenus eosdem, quos, sicut ad nostram audientiam est perductum, â communi bono pacis et vestrae protectionis praesidio irrationabiliter exclusistis, in suis juribus, honoribus, et libertatibus conservare velitis illaesos, in maleficos quoslibet et protervos, qui ipsorum juribus existunt injurii, et honoribus inhonori, condignae ac debitae correctionis judicium exercentes, ita, quod illorum conditio, quae potius jure privilegii Clericalis augmentum in bono debet accipere, nullum per leges vestras frivolas et statuta sustineat detrimentum.

Etsi ad quoslibet Romani Imperii principes pro suis juribus et honoribus conservandis protectionis nostrae dexteram debeamus extendere debitricem, te tamen, in quo nobis et Imperio specialis devotionis et fidei sincerae lucerna resplenduit, specialioris defensionis nostrae praesidio non immeritò ducimus confovendum, ut, quo clarioribus purae defensionis insigniis caeteros antecellis, eo foecundioribus protectionis et gratiae nostrae muneribus foveris. Eapropter te et Ecclesiam tuam sub nostrae protectionis clypeo favorabiliter assumentes, bona fide promittimus, et ad hoc nos tenore praesentium obligamus, quod nos contra quoslibet jurium tuorum aemulos, et honorem, ac te, et Ecclesiam tuam hostiliter aut indebite impugnantes tibi astabi-

mus consilio, auxilio et favore, nec te permittemus ab aliquo indebite molestari, dummodo etiam tu vice reciprocâ ad consimilia, ad quae tamen ratione homagii praestiti nobis astringeris, nobis et Imperio obligeris. —

CVI.

Exemtio.

Fidem et merita dilectorum fidelium nostrorum, Civium N. benignius Clementiae regalis oculis intuentes, et cupientes dampna gravia, quae iidem hoc tempore occasione nostri exercitus in suis possessionibus sive bonis multipliciter sunt perpessi, aliqualis nostrae relevationis anthidoto compensare, libertates et gratias, has videlicet, quod ab omni precaria sive stura, Mutaque et Thelonio per continuum quinquennium sint exempti, ita, quod judicio civitatis gaudeant quinque annis, â regali munificentia ipsis indultas, per alios quinque annos continuos ipsis liberaliter duximus ampliandas, ita, quod per continuum decennium ab omni precaria siue stura, Thelonio sive Muta sint liberi penitus et immunes, judicio civitatis apud ipsos annis totidem remanente. Gratiam quoque gratiae cumulare volentes, trecentas marcas argenti, infra tres annos continuos, ita, quod singulis annis singulas centum marcas in emendationem civitatis eorum ([a]), ipsis promittimus nos daturos. In cuius etc. —

(a) Add. forte: *convertant*, seu *impendant*.

CVII.

Gratia regalis pro liberis N.

Nuntios illuſtris Principis noſtri IO. Ducis Brabantiae latores praeſentium nuper ad Celſitudinem noſtram venientes, quâ decuit, benignitate ſuſcepimus, ipſosque ex parte Ducis ipſius humiliter ſupplicantes, ut vos, et veſtros liberos orbatos paterno ſolatio dignaremur piè reſpicere, et ſpecialis vobis noſtrae gratiae ſubſidia impertiri, diligenter audivimus, et exaudire volumus cum effectu, ſic, quod, quamvis prius ſemper in propoſito habuerimus ſirmiori, vobis et veſtris liberis praenotatis regali juvamine non deeſſe: ex ipſius tamen principis noſtri, quem favore proſequimur ſingulari, devotis precibus inclinati, majoris favoris affluentia deinceps indeſinenter colere volumus vos et veſtros, ac ſollicita mente perquirere vias et modos, quibus veſtrum et liberorum veſtrorum ſtatum, quem fata deformaverant importune, reparare poſſimus, et in amoenitate tranquillitatis et pacis pacifice collocare, ita, quod perpendere effectu votivo poteritis, nos ad procurationem veſtri commodi et profectus, precibus noſtri Principis memorati ferventius incitatos. —

CVIII.

Vt religioſo N. reſidua ſolvatur, et in futurum exactè praeſtetur certa pecuniae ſumma.

Cum nos religioſo viro N. jam dudum quatuor libras denariorum in molendino noſtro N. propter grata ſuae devotionis obſequia deputaverimus gratioſe, ſibi per te, vel per illum, qui pro tempore in tuo fuerit officio, annis ſingu-

lis, quamdiu vixerit, de dicto molendino noſtro, vel de aliis bonis noſtris, ſi ibidem defectus fuerit, in feſto N. integraliter perſolvendas, nec tu adhuc curaveris, juxta ipſius fratris inſtrumenti tenorem, mandatum noſtrum ſuper hoc tibi directum crebrius adimplere: Nos de tua negligentia in hac parte commoti, et non modicum ammirantes, fidelitati tuae nunc iterum firmiter praecipiendo mandamus, praeciſe volentes, quatenus praedictam ſummam pecuniae, quam ſibi in feſto N. ſolvere debuiſſes, ſine protractione qualibet perſolvere non omittas, et deinceps annis ſingulis in termino memorato, ſicut gratiam noſtram diligis, eosdem denarios ſibi non differas aſſignare. —

CIX.

De abſolvendis pignoribus Iglaviae oppignoratis.

Quanto ferventius tibi meminimus injunxiſſe, ut pignora N. abſolveres apud Iglaviam obligata, tanto vehementius ammiramur, et ſerioſius commovemur, quod mandatum noſtrum huiusmodi, quod ad unius juſſionis vocem, ubi noſtrum videres affectum, prompte complere deberes, mancipare effectui diſtuliſti. Vnde nunc iterum fidelitati tuae ſtudioſe praecipimus et mandamus, praeciſe volentes, quatenus memorata pignora dilecti fidelis noſtri, licet etiam te inter Iudaeos argentum pro liberatione eorum oporteret conquirere, ſtatim viſis praeſentibus, ceſſante dilatione et ſubterfugio quolibet, ſicut noſtrum diligis honorem et gratiam, prompte liberes et abſolvas; hoc enim ad liberationem eorundem pignorum magis nos movet et incitat, quod

idem N. corporali fide promisit, cum prompto argento eadem pignora liberare.

CX.

Vt civitas N. exsolvat debita N. Clerici regii, quae in servitiis regiis contraxit.

Tot et tanta sunt eximiae probitatis merita seu opera commendanda, quae honestus et providus vir N. Clericus noster dilectus ergà nos et nostros cottidie conversatione amabili, ac suae distributione scientiae, quâ ditatur, indesinenter exercet, quod suis libenter utilitatibus applicamus, quicquid sibi noscimus profuturum. Sane, cum dictus N. cuius utique commodum, sicut proprie proprium affectamus, sit quibusdam debitis, quae in nostris servitiis contraxit utiliter, oneratus, nec ab illo onere debitorum possit sine nostro juvamine liberari: fidelitati vestrae firmiter injungimus et mandamus, praecise volentes, quatinus ipsum ab huiusmodi debitis, quae ad XL marcas totaliter se extendunt, apud creditorem vel creditores suos, quos frater ipsius N. vobis vivae vocis oraculo nominabit, sine contradictione vel protractione qualibet absolvatis, mandatis, gratiis, seu promissionibus aliquibus non obstantibus, â nobis vel nostris officialibus vobis datis vel dandis; nos enim praedictas XL marcas de proxima precaria sive stura vobis proxime imponenda volumus integraliter defalcare. Si autem negligentes esse praesumpseritis in solutione dictarum XL marcarum, omnia dampna, quae dictus N. ratione huiusmodi debitorum incurrerit, in vestra dampna et dispendia volumus redundare.

CXI.

Invitatio N. ad aulam regiam.

Sapientiae tuae laudabilis altitudo, per quam tuus illuminatur animus, et delectabiliter requiescit quasi in grata quadam dulcedine paradisi, sic est ex famae suae praeconio diffusa per orbem, quod Regia nostra Celsitudo ferventer desiderat, aulam Imperatoriae Majestatis eius famosâ praesentiâ insigniri. Igitur prudentiam tuam, quam tanto desiderio cupimus intueri, quâque frui non inutiliter affectamus, rogamus omni, quo possumus, studio et affectu, quatinus de negotiis tuis omnibus sic ordines et disponas, quod statim visis praesentibus, quibuslibet curis seu agendis dilatoriis amputatis, nostris te valeas conspectibus praesentare; valde enim necessariam nobis personae tuae praesentiam reputamus, ut suo in arduis nostris et Imperii negotiis uti possimus consilio, et sapientiae tuae nectare satiari.

CXII.

Invitatio N. Legum Doctoris, ad Curiam Regalem.

Quanto plura, quantoque onerosiora nobis, qui reip. curam gerimus, frequenter incumbunt negotia, tanto magis Culmini nostro necessarium recensemus, ut talium, quorum praecordia facultatum nobilium dotibus edotantur, quibusque morum ydoneitas et laudabilis vitae merita suffragantur, quosque sani consilii laudabiliter insignit maturitas, consiliis et informationibus salubriùs adjuvemur, talesque in nostri consilii familiare participium evocemus. Cum igitur N.

Doctor Legum, familiaris noſter dilectus, maturus conſiliis, moribus et vitâ laudabilis ab omnibus cenſeatur, et propter hoc de ipſius conſili induſtria eum ad Majeſtatis noſtrae curiam duxerimus invitandum: fidelitatem veſtram affectuoſe requirimus et hortamur, quatenus eundem de communi et voluntaria veſtra licentia ad Majeſtatis noſtrae praeſentiam venire, nobiscumque, quousque opórtunum fuerit, morari, pro noſtrâ reverentiâ permittatis.

CXIII.

Mandatum contra Epiſcopum N. de non viâ facti etc. procedendo contra FF. Hoſpitalis S. Ioannis, reſtituendo eos in priſtinam poſſeſſionem etc. —

Scelus Deo et hominibus odioſum nuper in Civitate N. contra fratres hoſpitalis ſancti Iohannis commorantes ibidem, nequiter attemptatum, eisdem fratribus conquerentibus cum dolore percepimus et ſingultu, videlicet, quod N. Epiſcopus Eccleſiam male colens, Dei et hominum reverentia in abuſione contempta, contra univerſalis Eccleſiae libertatem nephariâ praeſumptione ſe erigens, et praedictorum fratrum domicilium armatâ manû ſubintrans, cum gladio, non cum ſtola, ipſos de ſuo habitaculo violenter ejecit, ac manus ſuas ſacrilegas in ſacerdotes et Levitas injiciens, ipſasque ſanguine Laicorum commaculans, ipſos Laicos quaſi lethaliter vulneravit. Et licet enormitates huiusmodi ad ipſorum fratrum exterminium ſuffeciſſent, idem tamen Epiſcopus inordinatum animi ſui motum neſciens refroenare, adhuc fraudes et dolos excogitat,

quibus possit eorumdem fratrum tranquillitas obfuscari. Cum igitur tot et tantae injuriae, quas idem Praesul in detrimentum ecclesiasticae libertatis in diversos non tanquam pastor ovium, sed potius disgregator ([a]), nequaquam debeant tolerari: etc.

CXIV.

Intercessio Rudolfi R. R. apud N. ut civitas N. relaxetur á posito interdicto.

Ex parte dilectorum fidelium nostrorum Civium N. Regiae nostrae Majestati declaratum existit, quod tu ob cuiusdam famuli tui occisionis caussam per quendam praedictae Civitatis carnificem perpetratam, de quo propter celerem eius fugam judicium fieri non potuit, dictam Civitatem sub poenâ posueris interdicti. Verùm quia irrationabile videtur, quod pro singularis personae delicto, quicquam in Universitatis praejudicium attemptetur: Sinceritatem tuam requirimus et hortamur, quatenus ad memoriam reducens, quantum favoris et gratiae in necessitatis tempore tibi nostra Serenitas ostenderit, quantumque servitii dicti Cives tibi tunc temporis ostenderint, discrete recolens, ipsam jurisdictionem pro nostrâ reverentiâ facias relaxari; per hoc enim Regia nostra Majestas se reputabit specialiter honorari.

(a) Deest vox, forte: *commisit.*

CXV.

Patrocinium civibus N. impetratum.

Quia dilecti fideles nostri Cives N. in tanta fidei puritate ergà nos et sacrum Imperium claruerunt, quod ipsorum clara devotio nullius obumbratione caliginis obumbrari unquam potuit, quia semper in fidelitate stabiles et intrepidi in omni eventu serenitatis et turbinis permanerent: Igitur de devota tua fidelitate confisi, dictos Cives, quos sincerâ dilectione complectimur, et in quibus nobis verè complacuit, tibi duximus propensius committendos, rogantes plenissimo cum affectu, quatenus ipsis fideliter assistere studeas defensionibus et congruo adjutorio, prout noveris bono et pacifico ipsorum statui expedire.

CXVI.

Absolutio à noxâ non factae denuntiationis conspirationis.

Dilecti fidelis nostri N. ad nostram nuper accedentis praesentiam propositio continebat, quod quidam eum super hoc reddiderint suspiciose notabilem, quod ad aures Regias detulisse debuerit quosdam nobiles N. contra nos machinatione nepharia conspirasse. Quia igitur paena puniri non debet, quem culpa non arguit, et facinorosae nequitiae conscientia non accusat: eundem ab imposito sibi huiusmodi crimine protestamur innoxium, et pronunciamus insontem; concedentes eidem H. &c.

CXVII.

Commiſſio pro pace gener. ſervandâ, defendendisque Decano et Capitulo N. contra N.

Venerabili viro N. Epiſcopo, Principe noſtro dilecto, inſinuante didicimus, quod N. contra generalis pacis obſervantiam honorabilibus viris Decano et Capitulo N. devotis noſtris dilectis in bonis et hominibus ſuis injuriam gravem intulerit, et adhuc inferre non deſinat Dei timore poſtpoſito graviorem; propter quod fidelitati tuae committimus ſerioſe, et mandamus, quatinus pro noſtra dilectione et reverentia praedictos N. contra injurioſos inſultus praedicti N. et amicorum ſuorum in forma juris auctoritate Regia viriliter et efficaciter manuteneas et defendas, ſic, quod per memoratum N. et ſuos amicos in bonis ſuis et hominibus nullam prorſus ſentiant laeſionem; ſciturus certiſſime, quod in praemiſſis gratiſſimum Majeſtati Regiae poteris ſervitium exhibere.

CXVIII.

Annae R. Reg. preces pro fundendis orationibus.

Cum ſaeculi nequam intuemur abiſſum, cuius procelloſis fluctibus inter rerum mundanarum miſerias, et curas continuas, quibus involvimur, obrui formidamus, non immeritò ſingultuoſis ſuſpiriis ad illum oculos nos oportet erigere, qui ineffabili ſuâ miſericordia fragilitati condeſcendit humanae, et fortitudinem per gratiam infert corporibus, quae ſunt fragilia per

naturam. Et quia in conſcientiae veſtrae delitiis coeleſti ſponſo lectum floridum praeparaſtis, ecce, quod veſtris ſanctis deprecationibus ad tribuendam veniam delinquentibus ipſum poſſe credimus inclinari; nam regis aeterni gratiam, et coeleſtis curiae vos habere favorem dilucidis praeſumimus argumentis. Quid enim apud Deum et matrem ſuam, Reginam praefulgidam, Virginem glorioſam veſtra converſatio non habebit, quorum meritis et exemplis viget et proficit Religio Chriſtiana? Digne itaque Paternitatem veſtram per Dei miſericordiam imploramus, quatenus pro ſereniſſimo Domino noſtro RUDOLFO Rom. Rege ſemper auguſto, et nobis, nec non pro felici animâ nobilis viri, quondam Vlrici Comitis fratris noſtri bonae memoriae, qui de mundi huius illecebris, proh dolor! evolavit ad coelicas manſiones, ubi tumultus garullitatis improbae non auditur, apud Deum et matrem ſuam piiſſimam orationum hoſtias jugiter immoletis.

CXIX.

Proviſio N. Sigilliferi Regii, de praebendâ Eccleſiae in N.

Tribulationibus et preſſuris, quas hactenus praeteritorum dierum faciente malitia paſſi eſtis, ex compaſſione Regali libenter applicuiſſemus remedium, ſi non indevotio Civitatis N. hactenus votis noſtris obſtaculum praebuiſſet; nunc verò huius indevotionis et ſcandali auctore praecipuo, ſicut Domino placuit, mortis interitu jam concluſo, et Civitate praedictâ prius in erroris poſitâ devio, ad devotionem noſtram et Imperii

debitam redeunte, ad reformationem ſtatûs Ecclesiae veſtrae graviter hactenus diſturbati curas et operas libet ingerere ſalutares. Propter quod in cunctis veſtris neceſſitatibus et agendis ad thronum gratiae noſtrae recurrite confidenter, quicquid in augmentum commodi veſtri poterit provenire, gratioſius obtenturi. Caeterum ſuper eo, quod in unius collatione praebendae, de quâ N. providimus, Celſitudinem Regiam liberaliter honoraſtis, vobis ad grates uberrimas inclinantes, vel aſſurgentes, devotionem veſtram rogamus pleno cum affectu, quatenus facultatem collationis dictae praebendae, quam dictus N. intendit ad opus cuiusdam . . . ſui ſocii ſpecialis, familiaris Clerici noſtri liberè reſignare, noſtro Culmini denuò gratioſius indulgentes, eandem nobis per patentes veſtri Capituli litteras deſtinetis. Et ne de perſona, cui de ipſa praebenda provide diſponimus, aliquod ſenſibus noſtris dubium ingeratur, ecce, quod N. cui vigens honoris noſtri depoſitum, ſigillum videlicet regium fiducialiter et fideliter conſervandum commiſimus, de ſaepedicta praebenda et Canonicatu decrevimus providendum, ipſum tantò deſiderabilius affectantes veſtro venerando Collegio adunare, quanto eiusdem votiva promotio meritorum ſuorum obtentu, ſpecialiùs nos delectat; niſi enim et nos, et dictus noſter prothonotarius de vitae et morum eiusdem legalitate conſpicuâ plenam et certam conſcientiam haberemus, nequaquam ipſum tam honeſto et celebri Vniverſitatis veſtrae conſortio jungeremus. Placeat igitur in hac parte veſtrae providentiae, votis noſtris annuere, et eundem veſtro caetui aggregari. Litteras veſtras patentes, ut diximus, in quibus nobis eidem de dicta praebenda detur auctoritas providendi nobili viro N. quantocyus

aſſignantes, nobis per eundem continuò deſtinandas, ut proni vos et Eccleſiam veſtram in cor noſtrum velut ſpeciale ſignaculum collocantes, defenſionis et beneficentiae noſtrae favore perpetuo foveamus.

CXX.

Annae Rom. Reginae preces ulteriores, pro orationum ſuffragiis, marito, ſibi, liberisque adplicandis.

Ex veſtrae eximiae ſanctitatis odore mirifico, quaſi in gratae ſuavitatis fragrantia delectabiliter recreati, et internis deſideriis aſſectantes ardentius, veſtrae ſanctitatis adjuvari precibus apud Deum, et apud màtrem ſuam Virginem illibatam, prudentiam veſtram rogamus pleniſſimo cum affectu, quatenus pro Sereniſſimo Domino noſtro Rudolfo Rom. Rege ſemper auguſto, pro nobis, ac noſtris liberis curetis ex indito caelitus veſtris praecordiis karitatis ardore, continuè altiſſimum exorare, ut ipſe propter multitudinem miſericordiarum ſuarum iniquitates noſtras deleat, et ſic ſuis miniſteriis in huius mundi fluctibus nos conſervet, quod poſt huius vitae curriculum valeamus in caeleſti patriâ, coronà immarceſcibili coronari.

CXXI.

Eiusdem, de eadem re.

Reverendis in X̄po patribus, Magiſtro, Diffinitoribus, totique fratrum Praedicatorum Capitulo generali apud *Oxeñ.* celebrando, Anna etc. Salutem in omnium Salvatore. Quanto divina benignitas nos licet immeritas altius elevavit et extulit, quantoque in ſublimioris terrenae dignitatis ſpeculam nos provexit, tanto nobis vigilantius eſt cavendum, ne nos tantarum muneribus gratiarum, quas de manu Domini liberali ſuſcepimus affluenter, faciamus ingratas. Quia tamen quaſi continuè et frequenter cum Martha multiplicis turbationis incommodo fatigatae, ad redhibenda altiſſimo pro perceptis ab ipſo tantis beneficentiae ſuae donis condigna gratiarum et laudum libamina non ſufficimus per nos ipſas, ad illos oportune recurrere cogimur et artamur, qui partem optimam eligentes, contemplationis in otio delicato quieſcuut ad pedes dominicos cum Maria. Ad vos igitur, patres kariſſimi! de quibus noviſſimè his diebus, ut ſedulae praedicationis officio, et ſanctae converſationis exemplo proficiant populo Chriſtiano, toti mundo ſalubriter coelitus eſt proviſum, cum plenâ fiducia requirentes, univerſitatem veſtram rogamus pleno cum affectu, quatenus Sereniſſimum Dominum noſtrum Rudolfum Rom. Regem inclytum, nos, ac liberos noſtros, dominicae miſericordiae piis orationum veſtrarum ſuffragiis commendetis, ut, quod merita noſtra non obtinent, veſtris ſaltem votivis interceſſionibus miſericorditer conſequamur.

CXXII.

Protectorium pro Comitiſſa N. eiusque filio.

In excelſo throno Regiae dignitatis divino munere collocati, libenter illas perſonas ulnis gratioſis amplectimur et fovemus, quae nobilitate morum et ſanguinis decoratae, ergà nos et ſacrum Rom. Imperium conſtantis fidei et devotionis inſignia repraeſentant. Sane, cum nobilis Matrona Comitiſſa N. altâ generoſitate ſpectabilis cum tantae devotionis ferventia nos et ipſum Imperium veneretur, quod ipſa verae fidei floſculis redimita, terras et bona ſubſcripta, videlicet N. et N. omnia ſibi competentia hereditario jure, in Comitatu N. nobis et Imperio reſignavit, et de eisdem per nos et idem Imperium praeſtito fidelitatis et homagii ſacramento voluit inveſtiri, ut ſuae puritatis affectum, quem ergà nos in corde geſſit et gerit continue, per exhibitionem operis demonſtraret: Nos ipſius commodis et profectibus grata viciſſitudine intendere delectantes, et ſuis ubilibet indempnitatibus praecavere ex animo cupientes, ipſam, et ſuum filium cum terris, rebus, et poſſeſſionibus ſuis univerſis et ſingulis in noſtram et ſacri Imperii protectionem ſuſcipimus ſpecialem, contra injuriatores ſuos quoslibet oportuno ſubſidio favorabiliter defendendos; omnibus noſtris fidelibus et devotis hoc regali edicto firmiter injungentes, quatinus ipſos contra noſtrae protectionis tenorem non praeſumant aliqualiter perturbare. —

CXXIII.

Garantia Rudolfi R. R. ſuper promiſſo filiorum ſuorum, de providendo N. Notario eorundem.

Rudolfus &c. Vniverſis et &c. Ad univerſorum notitiam deferimus et ſingulorum, quod illuſtres N. et N. filii noſtri kariſſimi ſe obligaverunt de noſtro conſenſu benivolo et aſſenſu, ad providendum honeſto viro N. praedicti N. filii noſtri Notario, cuius utique promotionem propter ſuae probitatis praeſtantiam ferventius affectamus, de primo beneficio ad ipſorum collationem ſpectante, quod idem duxerit acceptandum, quam citò ad id ſe obtulerit facultas. Et nos Al. et H. praedicti praedictam obligationem ipſi N. per nos factam praeſentibus profitemur, promittentes firmiter bonâ fide, quod contra obligationem huiusmodi ad nullius inſtantiam veniemus, niſi prius eidem N. pro ſuo beneplacito ſit proviſum. In cuius obligationis teſtimonium ſigilla noſtrà praedicti Domini noſtri Regis ſigillo duximus adjungenda.

CXXIV.

Rudolfus &c. N. minifterialem AEpi Colonien. nominat Scabinum fecreti judicii terrae Weftphaliae.

Rudolfus &c. Venerabili Colonieñ. Archiepifcopo, Weftphaliae Duci, Principi fuo &c. Affectantes, N. tuum et Ecclefiae Colonieñ. minifterialem, ob fuorum obfequiorum merita, quibus noftris famulatibus fe obtulit benivolum et paratum, de noftrâ munificentia Scabinatûs officio in fecreto judicio terrae Weftphaliae annotari, Sinceritati tuae damus praefentibus in mandatis, praecife volentes, quatenus eundem per te, vel per alium tibi in hac parte fubjectum fcabinum conftituas et facias in fecreto judicio Ducatûs tui et terrae Weftphaliae cum follempnitatibus circa hoc debitis et confuetis; defectum, fiquis fibi in natalibus in hoc obftare videtur, quem praefentibus ex certa noftra fcientia tollimus, et eum ad id officium habendum habilitamus, fibi aliquatenus non obftante. Damus etiam tibi poteftatem, illos, qui fe tibi in hoc oppofuerint, auctoritate noftrâ, ut defiftant, poena, quâ convenit, cohercendi. In cuius facti teftimonium praefentes litteras fcribi, et noftrae manus fignaculo juffimus communiri.

CXXV.

Protectorium.

Quia cottidie pro conſervatione boni et pacifici ſtatûs Imperii anxiamur, nec valemus ſub eodem degentes Imperio propter ipſius latitudinem ſingulariter protegere per nos ipſos religioſas nonnunquam perſonas, defenſioni aliorum nos oportet committere defendendas. Sane, cum honorabilis. . Abbas, et Conventus N. devoti noſtri dilecti ſub noſtra et Imperii ſpeciali protectione debeant reſpirare, licet propter curas multiplices, quibus frequentius agitamur, defenſioni ipſorum in perſonâ propriâ non poſſimus intendere, prout ipſorum videretur expedire quieti, tibi noſtro nomine ipſos fratres et monaſterium ipſorum committimus defendendos, fidelitati tuae firmiter injungentes, quatenus praedictis fratribus in bonis ſuis omnibus per Moraviam vice et auctoritate Regia fideliter praeeſſe ſtudeas pariter et prodeſſe, ſic, quod dicti fratres in rebus, juribus, libertatibus, et ſuis poſſeſſionibus quibuscunque non moleſtentur ab aliquo vel laedantur, ſed te protegente ſint liberi ab impugnatione quacunque, et ad divina miniſteria aptiores.

AVCTARIVM I.

CONTINENS

FRAGMENTA CHARTARVM QVARVNDAM, RES BOHEMICAS SVB EPOCHA PRIMISL. OTTOCARI II. ET WENCESLAI R. ILLVSTRANTIVM.

I.

Praepositi et Decani Ecclesiarum Leodiensium exorant Rudolfum R. R. ut tueatur privilegium, Clero Leod. ab Henrico V. R. R. indultum.

Excellentissimo Regi Romanorum Praepositi, Decani Leodien. Eccliarum omnipotenti Deo, per quem reges regnant, et principes, optimates principantur, ex cuius solo munere desluunt bonitates, Nos universi et singuli pronis vultibus toto corde gratias agimus, offerentes sacrificium laudis, ac immolantes hostiam gratiarum, ut vestra gloriosa Majestas toti mundo necessaria sospitate desiderabili potiatur, et succedentibus prosperis feliciora vobis tempora dirigantur, et per virtutem, quam accepistis ex alto, et sapientiae plenitudinem, quâ iam prae cunctis principibus terrae magnificamini, benignitatis cooperante gratia, ponentes aspera in vias plenas, et tam diversa, quam adversa, sic positis regulariter adaequare, ut nostro felici tempore proveniat quies regnis, pax Ecclesiis, concordia plebibus, et moribus disciplina. Sane, cum sub umbra respiramus protectionis Regiae magestatis, Celsitudini vestrae cum omni attentione, quâ possumus, humillime supplicamus, quatinus ad imitationem clarae recordationis H. quinti quondam Romanorum Regis, ac aliorum Imperatorum Roman. et Regum, praedecessorum vestrorum, qui side praeclari, caritate serventes, devotione sinceri, sibi subditis proficientes verbo pariter et exemplo, Leodieñ. Ecclesiam, utpote Capellam Imperii, adeoque vestram, multis libertatum privilegiis muniverunt, multarumque largitionum liberalitate ditarunt, Ecclesiam ipsam, et nos Capellanos vestros devote altissimo famulantes in ipsâ, sub vestram et Imperii protectionem suscipientes benigne, omnia privilegia nobis et eidem Ecclesiae ab eisdem praedecessori-

bus veſtris piè indulta, et ſpecialiter privilegium eiusdem H. quinti, nobis et eidem Eccleſiae auctoritate regalis Culminis de ſolita et innata vobis clementia innovare dignemini, et etiam confirmare, quendam articulum in privilegio eiusdem H. contentum, praeſertim cum illius ſit interpretari, cuius eſt condere, de veſtra ſpeciali munificentia declarantes, videlicet, ut, ſi alicujus Canonici ſerviens, qui in convictu ſuo aliquid peccaverit in emunitate, nullum forenſe judicium ſuſtinebit, niſi publicus mercator fuerit, ſed in refectorio ſancti Lamberti, videlicet majoris Eccleſiae forenſi poteſtati, vel quicunque reus fuerit, Domini ſui conductû cum clericus eſt, judicio per vim ſuorum ſimilium ſervientium, puta ut ſicut clauſtrarii cuſtodientes chorum et Capitulum Eccleſiarum, et feretrum ſancti Lamberti, ac theſaurum Eccleſiae, piſtoris, pincernae, huiusmodi et alii in ipſis Eccleſiis ſpecialia officia obtinentes, monente et mandante villico praepoſiti majoris Eccleſiae Leodien. qui inibi ab antiquo temporalem jurisdictionem exercet ſecundum perpe ſatisfaciet competenter, et cum per huiusmodi pares ſuos condempnat, ... malefactores huiusmodi judicio ſ.... pro meritis recepturi. Ne igitur faſtidium vobis generet lectio litterarum, dilecto Concanonico noſtro (a) credentiam etc. —

II.

Cives Leodienſes Rudolfo Caeſ.

Quia Dei, à quo omnis poteſtas conceditur, ordinatione, ſumma reipublicae potentia veſtrae Clementiae dinoſcitur attributa, ut per veſtrae magnitudinis vigorem conſervetur juſtitia, et injuriae exſtirpentur, fidelium debilitas relevetur, et fortium rebellio comprimatur, omniaque juſto legum libramine in ſalvatoris ſervitio dirigantur, ad Mageſtatis veſtrae Clementiam de

(a) Fuit *Alexander de Brunshorn.*

penultimis Rom. Imperii finibus recurrentes, sub vestrae gratiae confidentia speciali, Celsitudini Regiae duximus non absque dolore et perturbatione cordium intimandum, quod honorabiles viri Clerus Leodien. licet ipsum omni, quâ possumus, veneratione colamus, civitatis tamen, et totius patriae nostrae quietis et pacis impatientes, cum de ipsis nil suspicaremur adversi, quoddam privilegium hactenus inauditum â vestra magnificentia sibi nunc asserunt indultum, confirmatum, seu etiam declaratum nuper apud nos fecit in multorum praesentia publicari, quod inper . . . in publicationem deductum, quamvis tanquam improvisi tonitrui ictibus et fulminibus terrae attonitam . . . turbaverit universam, ipsum tamen propter vestri venerationem nominis audivimus reverenter, ipsiusque receptâ copiâ, deliberatione super hoc matura praehabita, quia per idem, si dici debet, privilegium tota lex Civitatis, et nostrae provinciae penè penitus absorbetur, et declinatur status nostrae patriae generalis, ab antiquis temporibus â nostris divis praedecessoribus ordinatus. Post diversa consilia habita cum sapientibus, et colloquia in communi, nostra diliberatio tandem in hoc . . . quod, quia eius est legem interpretari vel emendare, cuius est concedere, ad Vestrae Majestatis audientiam, quam in hac . . . calliditate impetrantium credimus circumventam, sub certâ formâ duximus communiter et sollempniter procurand . . . provocandum, sperantes, et in altissimi misericordiâ confidentes, quod, cum vobis patuerint inconvenientia, e . . . cula ex tali privilegio proventura, vestra providia et benivola providentia remediis fidelium subjectorum invigilans, â tantis nos turbationibus, et totius patriae gravaminibus relevabit, et ad statum pacificum amputatis . . . is novitatibus salubriter omnia reformabit. Nunc autem vestrae liqueat per singula . . . qualiter et in si memoratum privilegium dici debet, quod â vobis innovatum dicitur, obviat rationi, publicaeque saluti, et communi utilitati. Ecce enucliatim per singulos

ipſius articulos praeſentibus interclusos demonſtrat. Quocirca veſtrae ſerenitatis Clementiae cum ſummâ devotione inſtantiſſimè ſupplicamus, quatinus ipſum tale quale privilegium, quod in gravamen jurium reverendi patris Domini noſtri Epiſcopi Leodieñ. veſtri fidelis principis, et feudi, quod â vobis obtinet, defalcationem, nec non juris et legis publici patriae enormem laeſionem redundat, et tantae multitudinis populorum graviſſimam turbationem inducit, veſtra regia Clementia dignetur quantocyus revocare, vel ſaltem alicui viro idoneo, non ſuſpecto, prudenti, Domini timenti, et juſtitiam diligenti, in noſtris partibus hoc negotium velitis committere, per cuius induſtriam auctoritate regia paci et tranquillitati publicae conſolatur, et imminentibus periculis ſalubriter obvietur; taliter nobis, civitati, ac patriae noſtrae in hac parte de pietatis veſtrae habundantia providentes, ut ſe apud vos inveniſſe juſtitiam, et veſtram gratiam ſibi affuiſſe ac benivolentiam gaudeat univerſitatis noſtrae fidelis Imperio tam praeſens populus, quam futurus; poſtremò, ne per obliquorum detractionem malivolam, veſtrae Celſitudinis indignatio contra noſtram innocentiam provocetur, humillime ſupplicamus, quatinus nobis, vel noſtris nuntiis inauditis, ſiniſtris adverſus nos relatibus aliquorum credere non velitis.

III.

Papae, pro Leodieñ. Eccleſia.

Improbae perſecutionis inſidiae, ac inmenſae tribulationis incurſus, quibus adverſus nobilem illam Leodieñ. Eccleſiam, devotiſſimam Sacroſanctae Romanae Eccleſiae filiam, N. Comitis Flandriae, ſuorum complicum rabies praeterviens, Dei timore poſtpoſito, et Rom. Imperii reverentia ultrojecta ferociter excandeſcit, grandia pectori noſtro nimirum compaſſionis infudit incommoda, et amaritudinis pocula ſubminiſtrant. Cum N. venera-

bilis Leodien. Episcopus, quem Romana Ecclesia nobis et Imperio delegavit, in principem primi . . . questionis obortae materiam nobis obtulisset omnimodo relinquere sopiendam, praedictus Comes, nobis à finibus illis longe sepositis, et in redintegrandis Imperii praenotati scissuris utiliter aliàs occupatis, prohibitionibus . . . pariter et mandatis irreverenter contemporare recusans, ad exterminium dictae Ecclesiae in contemptum nrum, et memorati Imperii evidens nocumentum, eductâ de Galliae finibus manû copiosae militiae truculentus et temerarius insurrexit, devastans terras ipsius, ad sanctuarium Domini deputatas, incendiis et rapinis. Cum igitur tanti facinoris patratores, ne tam nefandi excessus inpunitas aliis padat audaciam committendi similia vel pejora, sedis apostolicae animadversionis aculeo sint pungendi, una cum ipso Episcopo, et pro Episcopo vestrae piissimae Sanctitati affectuosissime supplicamus, quatenus ob honorem Dei, et sacri Imperii, cuius causa nunc agitur, contra malefactores . . . di tempestivo remedio dignemini gladium congruae correptionis exerere, prout expedire videritis, et praedicti . . . Episcopi rationabilis vobis porrigenda petitio continebit.

IV.

Cassatio eorum, quae contra privilegium Aureae Valli indultum, ipse Rudolfus fortè decreverit.

Quia meminimus, nos illustrem et magnificum principem, Dominum Ph. Franchorum Regem interpellasse per . . . litteras, speciali nostra auctoritate munitas, ut religiosis viris, Abbati et Conventui Aureae Vallis, Cistercien. ordinis, contra quorumlibet invasorum proterviam congruum patrocinium et levamen exhibeat et Nos ipsos Abbatem et Conventum magnopere cupientes eiusdem Regis defensione perpetuâ communire: praesentium serie duximus statuendum, quod, quic-

quid per falſi ſuggeſtionem et veri ſuppreſſionem à nobis contra gratiam hanc noſtram per quoscunque iam impetratum exiſtit, vel impetrari contigerit in futurum, omnimodo careat robore firmitatis; nos enim illud in irritum revocamus.

V.

Dotalitium Annae Reg. à Rudolfo R. R. conſtitutum.

Humanae fragilitatis caduca memoria, ne geſtarum rerum notio ſucceſſivis temporum decurſibus et momentis dubium ingerat ſucceſſori, actus ſuos conſuevit ſcripturarum teſtimonio perhennare. Hinc eſt, quod nos ad univerſorum Ro. Imperii fidelium notitiam cupimus pervenire, quod nos ſanctiſſimi patris . . . Papae, nec non venerabilium Archiepiſcoporum, Epiſcoporum etc. ac aliorum ſacri Ro. Imperii Principum in electione jus habentium accedente conſenſu, aut benivola voluntate, conjugem noſtram An. inclitam Ro. Reginam poſſeſſione M. marcarum gaudere volumus, infraſcriptis ipſi pro receptione ſupradictarum marcarum, quoad vixerit, deputatis. Bona autem, de quibus praedictam argenti ſummam recipiet, ſunt haec etc.

VI.

Rudolfus R. R. confirmat gratiam Honorii P. IV. conceſſam habitatoribus Tuſciae, haeretica labe infectis.

Rudolfus Dei gratia Romanorum Rex etc. N. N. gratiam ſuam, et omne bonum. Intelleximus, quod felicis recordationis Dominus Honorius Papa IIII. Vobis infraſcripti tenoris gratiam de apoſtolicae ſedis benignitate conceſſit; Honorius Epiſcopus, S. S. D. dilectis filiis N. N. ſalutem et apoſt. bened. Ad memoriam re-

ducentes, quod ergà nos ab olim ante noſtrae promotionis auſpicia magnae devotionis affectum gerere ſtuduiſtis, vos noſtris beneplacitis coaptando, et conſiderantes attentius grandia et accepta ſervitia, quae retroactis temporibus Romanae impendiſtis Eccleſiae, ac impendere pro poſſe ſatagitis ſollicitudine indefeſſâ: dignum fore cognovimus, et conſonum rationi, ut vobis apoſtolicae benignitatis et munificentiae gremium explicantes, illa vos gratiâ favorabiliter proſequamur, quae vobis fore dinoſcitur oportuna. Vt igitur eò amplius ergà nos et eandem Eccleſiam devotione creſcatis, et ad noſtra et ejus obſequia reddamini promptiores, quo majorem â nobis fueritis gratiam conſecuti: vobis univerſis et ſingulis omnes poenas, quae vobis, vel veſtrum aliquibus, ſeu alicui â jure canonico vel civili, et ſpecialiter auctoritate conſtitutionum ſeu mandatorum quorumlibet, a praedeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus editorum hactenus, ſeu factorum, vel conſtitutionum ſive legum quondam Friderici olim Rom. Imperatoris inflictae ſunt, vel quomodolibet ex eo poſſent infligi, quo progenitores, ſeu majores, vel praedeceſſores noſtri cujuscunque ſexus fuiſſe dicuntur labe haereticae pravitatis infecti, et ex eo etiam, quod nonnulli ex vobis in hujusmodi pravitatis crimen ex facto proprio incidiſtis, de gratia remittimus ſpeciali, et nichilominus illos, qui ex vobis, ſive hujusmodi labe pollutis, ſive liberis â labe eadem deſcendiſſe, ſeu originem traxiſſe noſcuntur, aut ſucceſſu temporis traxerunt, â poenis et juribus, mandatis vel conſtitutionibus ſupradictis, auctoritate praeſentium reddimus liberos penitus et immunes, ita, quod ad eos nullatenus extendantur. Reſtituimus quoque vos omnes et veſtrum ſingulos ad famam, bona, jurave, quae tenetis, habetis, ſeu etiam poſſidetis, aut quae vobis et veſtrum cuilibet competunt, ac nichilominus vos, et veſtrum quemlibet habiles reddimus ad quaevis officia et honores, non obſtantibus contrariis quibuscumque juribus canonicis

vel civilibus, mandatis, vel conſtitutionibus, aut proceſſibus habitis, ſive ſententiis, contra vos, vel veſtrum aliquos ſive aliquem promulgatis. Hujusmodi tamen gratiam, remiſſionem, reſtitutionem, et habilitationem, et alia ſupradicta, illis ex vobis duntaxat valere volumus, qui de hujusmodi crimine hereſeos culpabiles non fuerunt, et qui poſt ejusdem commiſſionem criminis proprium recognoſcentes crimen, ad fidem catholicam ſunt reverſi, errorem hujusmodi confitendo, quique, ſiquid forſitan omiſerunt hactenus ſuper eodem crimine confiteri, humiliter ſupplere curaverunt, quod Inquiſitori hereticae pravitatis in Tuſcia infra competentem terminum, eis ad hoc ab Inquiſitore praefigendum, eodem apertius revelando, quive infra quinque menſes, cum nonnulli ex talibus dicantur agere in remotis, hereſi penitus abjurata ſtuduerint ad fidem redire katholicam, ſuum recognoſcentes et etiam confitentes errorem. Volumus autem, et mandamus, quod hiis, qui ex talibus fuiſſe dinoſcuntur in culpâ, per Inquiſitores eosdem, apoſtolicâ ſede ſuper hoc primitùs requiſitâ, ſalutaris, ſed occulta poenitentia injungatur, gratia, reſtitutione, et abilitatione, ac aliis praemiſſis in ſuo nichilominus robore duraturis. Si verò quempiam ex vobis in labem jam dicti criminis relabi contigerit, relapſus hujusmodi omni commodo ſ. beneficio praeſentis gratiae ſit eo ipſo privatus. Caeterum mulieres ſ. foeminas univerſas, quae habent, vel habuerunt de domo vel familia ſupradicta maritos et eorum liberos in domo ipſa vel familia genitos, praedictorum gratiae, remiſſionis, reſtitutionis, immunitatis, et habilitatis volumus eſſe participes, ſi ipſi, vel earum aliqua propter propriam vel progenitorum ſeu majorum ſuorum utriusque ſexus, vel alicujus ipſorum culpas forſitan indiguerint praemiſſorum etiam praerogativa gaudere, juxta modum et formam, qui ſuperius exprimuntur. Nulli ergo etc. Datum Romae apud S. Sabinam, Nonis Februariis, Pontificatus noſtri anno primo. Quantum-

libet igitur in praemiſſis ſufficiat auctoritas tanti patris, nihilominus attendentes devota obſequia, quae vos, ſeu nonnulli ex vobis nobis impendiſtis, et noſtris, ad habundantiorem veſtram, et poſterorum veſtrorum ſecuritatem, praemiſſis omnibus et ſingulis tenore praeſentium aſſenſum benivolum impertimur, praeſentes litteras in praemiſſorum teſtimonium et munimen vobis benivole concedentes. Datum etc.

VII.

Conſtitutio arbitrorum et ſuperarbitri pro concordia inter Wernherum AEp. Mog. et Ludovicum Lgrav. terrae Haſſiae. 1282.

Rudolfus Dei gra Romanorum Rex, ſemper auguſtus, univerſis Imperii Rom. fidelibus preſentes litteras inſpecturis gratiam ſuam, et omne bonum. Etſi etc. — Quapropter ſcire volumus tam preſentes, quam poſteros, quod, cum inter venerabilem Wernherum, ſanctae Maguntin. Sedis Archiepiſcopum, et ipſius Eccleſiam ex una, et illuſtrem L. Lantgravium Haſſiae ex parte alterâ, odioſae materia quaeſtionis jam dudum ſuborta fuiſſet, de quo dampna graviſſima ſunt hinc inde commiſſa, tandem ad exhortationem noſtram ſalubrem idem Archiepiſcopus pro ſe et Eccleſia ſua, ac omnibus ſuis adjutoribus in honorabilem virum . . praepoſitum Maguntin. Magiſtrum Geyehardum ibidem Canonicum, et F. Burggravium de H ſtein, et . . Grasloc, et Lantgravius pro ſe et ſuis heredibus ac adjutoribus in nobilem virum Al. Comitem de Waldecken, et G. Reizonem de Bruberg, Eckehardum de B et L. dictum Dalb. tanquam in arbitros, arbitratores, ſeu amicabiles compoſitores, ſuper omnibus cauſis et queſtionibus, ac dampnis datis, et injuriis irrogatis hinc inde, compromittere curaverunt, dantes eisdem compromiſſariis plenam et liberam poteſtatem, omnes queſtiones et cauſas

infra hinc, et nunc instans festum beati Martini concordia vel justitia, prout eis sub debito juramenti super hoc praestiti videbitur, decidendi, et promittentes praedicti Archiepiscopus et Lantgravius fide in manus nostras praestita corporali, se inviolabiliter servaturos, et nunquam contraventuros, quicquid praedicti octo per viam juris vel concordiae duxerint ordinandum; eorum etiam aliquibus vel aliquo ex causis legitimis impeditis, in ejus vel eorum locum debent alius vel alii subrogari; eis autem in unam sententiam concordare nequeuntibus, nos, quem partes praedictae pro persona media elegerunt, concordiam vel justitiam de ipsis ordinabimus; sed concordiae consensus partium debet adesse. ad quod praedicti compromissarii sub debito juramenti, quod super hoc sollempniter et publice prestiterunt, exclusis favore, odio, vel timore, nobis sine fraude et dolo quolibet, bona fide debent et de causis, et de earum meritis, et factorum conditionibus ac qualitatibus fideli consulere vias et modos, quibus facilius deveniamus ad pacem pro posse et nosse, sine captione qualibet . . . Captivi quoque hinc inde usque ad terminum praelibatum debent etc. Caeterum quia hoc compromissum de bona voluntate processit partium, et dicti compromissarii, et nos recepimus in nos hujusmodi compromissum. et in testimonium, nostrum et praedictorum Archiepi̅ et Lantgravii sigilla praesentibus sunt appensa. Datum Bopardie VI. Kalend. Octobr. Indict. XI. Anno Dn̅i M. CC. LXXXII. Regni vero nostri Anno IX. —

VIII.

De restituendis bonis Ecclesiae Mogunt.

Post diutinam vacationem dignatus est Dominus taliter providere Ecclesiae Magunt. de pio pastore et ydoneo, qui scit, potest, et vult viduatam diu Ecclesiam juri suo restituere, et scriptis irrebellibus et fideli-

bus, quos injuriosa violentia compulerat experiri . . . am exilii, ad sinum pacis et gratiae revocatis. Sane, cum pro illicita detentione bonorum Ecclesiae contra vos mota sit quaestio coram Rege, ... consultum et utile aestimamus, ut amicabilis compositionis formula interveniente restituatis, quae restituenda sunt Ecclesiae praenotatae.

Resp.

Hortamenta vestrae affectuosae sinceritatis nolentes contraire in aliquo, juxta vestrae dominationis consilium reformari volumus, petentes omni studio et affectu, quatenus in N. die et loco nostram exspectetis praesentiam, qua de bonis restituendis Ecclesiae Magunt. vobiscum specialem tractatum habebimus, quid expediat vel deceat in praemissis.

IX.

Privilegium Wenceslai Dni Bohemiae, civibus Pragensibus indultum.

W. Dei gra Dominus et heres Regni Bohemiae universis fidelibus per Bohemiam constitutis, quibus praesens littera fuerit praesentata, gratiam suam, et omne bonum. Cupientes unicuique benefacere, ut est dignum, ecce dilectis nostris N. civibus de Praga, latoribus praesentium volentes pro meritis respondere, hanc ipsis gratiam duximus faciendam, quod ipsos, et universas, quas ducunt, merces in nram gratiam recepimus, et conductum, fidelitati vestrae sub obtentu nostrae gratiae firmiter injungentes, quatenus ipsos, ubicunque per Dominium nostrum transitum habeant, ratione pignoris, seu occasione qualibet aliâ, nullum audeat detinere, aut gravem voluerit molestiam inferre aliqualem, sicut indignationem nostram voluerint, et vindictam, quam exercebimus in rebelles, evitare.

Palea.

Nuper ad noſtram pervenit audientiam, quod te quorundam falſa relatio ſic terruit, ut noſtrae clementiae benignitate deſperans, naturalis patriae fines et arva reliqueris dulcia, nec ſolum fugeris patriam, ſed parentes. Quare cum ergà te nunquam noſtra mens ſaeva fuerit, nunquam noſtram pectoris aulam conſcendit, ut de te mali aliquid debeamus cogitare, quod revertaris ad propria, et conſulimus, et mandamus, quin te ſcire cupimus per preſentes, quod ex iracundie plerumque procedit faretra ſermo, quo cogitur de domino deſperare, dum alterius livor impatiens, ut eo deſtituatur, . . . efficere nititur, et per figmenta adhuc ut eis tollatur de mente tua ſuſpicionis ſcrupulus, ſecuritatem tibi plenariam praeſentibus elargimur.

X.

Salvus conductus ab Ottocaro R. Boh. datus B. duci Sileſiae, ejusque filio, et comitivae, Pragam venturis.

Nos O. etc. notum facimus v. v. tenorem praeſentium inſpecturis, quod nos illuſtres Principes, kariſſimos cognatos nros, Dnos B. ducem Zlezie, et H. filium ipſius inclitum ducem de Iawor aſſecuramus ſub noſtrae regalis fidei puritate, ut iidem Domini B. et H. duces cum omnibus ſuis comitibus ad nos in Pragam, vel in Grec. vel ubicumque locum regni noſtri venire ſecure valeant, ſtare nobiſcum, et domum remeare ad propria ſalvis, ſecuris, et illaeſis rebus ſuis, ac ſuorum omnium comitum pariter et perſonis; promittentes fide pura, fide ſincera, et mente non ficta, quod praefati Dni Duces, ac eorum comites univerſi in veniendo ad nos, ſtando nobiſcum, et ad propria remeando, nullum periculum, nullum incommodum per nos aut noſtros homines ſuſtinebunt, nec ipſos per nos aut noſtros

mali vel dispendii prorsus fiet, sed secure, ut diximus, tam ipsos in personis, quam suos comites, atque rebus eorum omnibus super fidem nostram regiam assecuratis, et sine aliquo metu, vel suspicionis typo venire et stare poterunt, et ad propria libere remeare.

Nos O. etc. notum facimus etc. quod nos illustrem principem, Dnum N. inclytum Ducem assecuramus, et ut ipsius mens anxia haerens, quod voluntas non formidet dubitans, nec dubitet formidans, ad nos dirigere gressus suos, promittimus verâ fide, quod idem Dnus Dux una cum omnibus comitibus secure ad nos per terminos nros venire poterit, quocunque et quandocunque sibi placuerit stare libere, nullum sibi aut suis comitibus, vel in personis, vel rebus ipsorum intuperium, dispendium, vel incommodum inferetur nullatenus in veniendo ad nos, stando nobiscum, et ad propria remeando, quin ymo ut incertitudinis stabilitate ipsius animi fluctuantis anchora defigatur, dilectum fidelem nostrum N. sibi misimus in occursum, qui eum â finibus regni nostri suscipiens sub securitate nostrâ usque ad nos conducat honorifice, sicut decet. In quarum assecurationis et promissionis etc.

XI.

Vnio Ottocari cum Rege N.

Nos O. etc. tenore presentium profitemur, quod, licet ad aeterni regis exemplar, qui pacis auctor est, institutor, pariter et amator, concordiam ex puris amemus affectibus, et pacem, quam ipsius dispositio provide cum karitatis consolatione nobis dedit et reliquit jugiter observandam cum omnibus Christianae fidei professoribus desiderantibus servare votis et votivis desideriis affectamus, tamen affectu ardentiori appetimus, et desideramus desiderio ampliori, ut praecipue cum illis,

quos nobis ſanguinis conjunctio counit, ut debeamus in pacis unione, et debitae dilectionis fervore, ſicut decet, ſedulo permanere. Eapropter diligentius intuentes, et attenta conſideratione penſantes, quod una cum Dno et Serenmo Rege etc. —

XII.

Ottocarus R. Boh. tollit abuſum judicialem in Brünn.

O. Dei gra etc. Rex Bohemiae, in perpetuum. Intrls noſtrae ditioni ſubditis ingerere dulcia tranquilli ſtatus otia totis deſideriis affectantes, dum ſollicita mente ſingultim quaelibet ſollicitudo, quae parem diſtribuunt impis videmus nunc modicum ſtatui commodi communis efficere, quod in quibusdam provinciarum noſtrarum partibus de priſca et abuſiva conſuetudine civitatum judicibus culpabiles, et in ipſis civibus extendentes, qui vel Baronum noſtrorum, vel aliorum quorumlibet domino ſint abjecti, punire vel judicare non licet, etſi malefactores penes ipſas reſideant civitates: ſequitur inde, quod, dum ſceleris enormitas taliter praeteritur impunis, dum paenarum non cohercetur limitibus offenſarum exceſſus, dum locus, qui contumeliae uo inficitur, executione ſatisfactionis debitae non diluitur, datur facinoroſis audendi deteriora fiducia, via reſeratur injuriis, et liber quodammodo transitus nequitiis aperitur. Quare cum civitas noſtra Brunna abuſus mole praefati ſe gravari et premi quereretur, nos eidem civitati de noſtrae manſuetudinis clementia ſuccurrentes, praeſentis tenore privilegii ſtatuimus, et eidem civitati, ut judex beneficiarii Brunneñ. qui pro tempore fuerint, inhabitantes in ſuburbiis civitatis ipſius Brunne, vel ipſi civitati immediate connexi, de injuriis et culpis, quas in ipſa civitate commiſerint, mediante juſtitia valeant et debeant de caetero ſine contradictione aliqua judicare, ita tamen, quod illud, in quo per eosdem

judices et beneficiarios rei condompnati fuerint, ipſorum cedat Dominis, ſicut ſi eſſent per ipſos Dominos, aut ipſorum judices finaliter condempnati. Nulli ergo hominum, et illorum ſpecialiter, ad quos homines in praefatis habitantes ſuburbiis ſpectare noſcuntur, ſive clerici, ſive layci, hoc noſtrum ſtatutum aut conceſſionem violare praeſumant, vel ei in aliquo contraire, quod ſi aliquis temerariis praeſumpſerit auſibus, noſtram graviſſimam indignationem, cujuscunque conditionis fuerit, ſe noverit incurriſſe.

XIII.

Commiſſio ad examinandam monetam Bohemiae.

117/6

. approbata fama, et fidei puritas, haeſitare nos nullatenus permittat. Per praeſens igitur ſcriptum notum facimus univerſis, quod attendentes fidem puram dilecti fidelis noſtri N. tam nobis ex multis rerum argumentis expertam, et opinionem illibatam, qua idem favoris commendationem meruit generalem, ſibi officium proviſionis in moneta per terras noſtras gerendum et exequendum committimus, dantes ipſi plenam et liberam facultatem, ubilibet providendi, ſeu examinandi monetam vel denarios in argento, bonitate, pondere, ac valore, ita, quod denarii vel moneta in debitis menſura, valore, pondere conſerventur, nec non capiendi falſarios, vel mecham fabricantes pecuniam, de pecunia et de ipſis judicium ſecundum terrae conſuetudinem faciendum; mandantes univerſis et ſingulis Magiſtris monetae diſtrictius, quod N. praedictum in executione ſui officii non audeant aliquatenus impedire, ſed ipſum promoveant et adjuvent, ubicunque et quandocunque ipſos duxerit requirendos, miniſtrentque ipſi expenſarum neceſſaria, ſicut decet, honorificè. In cujus etc.

XIV.

Dux Silesiae promittit Ottocaro R. Boh. semper ejus menti se conformare velle, — cum aliis articulis lectû dignis.

Nos H. dei gra Dux Zlezie et Dominus Wratislaw. istius tenore praesentis paginae notum facimus tam praesentibus, quam futuris, quod grata beneficia, quae â Domino O. Serenissimo Rege Bohemiae [a] meditatione sollerti revolventes, et dignum censentes proinde, ut suam sicut nostram faciamus consentaneam voluntatem, quâ suis inhaereamus beneplacitis, suaeque directionis tramite innitamur: promittimus eidem Regi, verâ fide, quod nos universis et singulis negotiis et agendis nostris suo frui et regi consilio volumus, et juxta suae maturitatis providentiam dirigere facta nostra. Promittimus etiam dicto Domino Regi, quod a nullo alio decorabimur, seu decorari permittemus, vel procurabimus in honore cinguli militaris; et hoc merito pura, et sub nostrae ipsa promittimus fidei puritate firmiter observare, ut per actuum confirmationem extrinsecalium, mentalium conformitas affectuum enitescat. Similiter verâ fide promittimus dicto Regi, quod, quocienscumque familiam nostram vestire contigerit, et ipsum Regem suam, nos juxta formam et qualitatem, quâ ipse Rex se et suam familiam vestiet, nostram familiam, et nos consimiliter vestiemus. In cujus rei testimonium et robur praesens fieri, et sigillo nro fecimus communiri. Actum et datum Anno Dni etc.

Nos H. dei gratia Dux Zlezie, Dominus Wra. istius tenore paginae notum facimus universis tam praesentibus quam futuris, quod cuncta grata et utilia beneficia, quae nobis Dominus Ottokarus inclytus Rex Bohemiae, patruus noster karissimus mite contulit, memoria revolventes, ut parum sibi respondeamus ad sin-

(a) Deest forte: *accepimus*.

gula, quae magnae ſapiunt placitum voluntatis, et ſtrictius nos ſibi habeat obligatos, eidem Dno Regi ex deliberato animo bonâ voluntate, atque purâ fide promittimus per praeſentes, quod â nemine altero Principe vel Domino, quacunque dignitate ac nomine cenſeatur, praeterquam ab ipſo Domino Rege, recipiemus vel recipere volumus honoris cingulum militaris, ſed ab ipſo Domino Rege decore honorari militis volumus et ornari. Promittimus etiam ex deliberato, et bonâ fide dicto Domino Regi, quod adhuc non benevolentiae zelus, qui inter ipſum et nos viget, pateat per actiones extrinſecas evidenter, quandocunque continget, Dnum noſtrum Regem ſuam veſtire familiam, et nos noſtram, nos juxta beneplacitum et diſpoſitionem dicti Dni Regis veſtiemus noſtram familiam, ita, ut cum familia ipſius Dni Regis, quam noſtra uniformiter veſtiatur veſtibus, ut unio denotetur in famulis, quam facit benivolentiae ſinceritas unanimis Dominorum.

XV.

Wenceslaus Boh. Rex confert N. officium Notariae in monetis Regni Bohemiae, exceptâ civitate Prag. et Pecen.

Nos W. dei gra etc. Bohemiae Rex. Notum facimus etc. quod nos dignum fore reputantes, ut nobis devotorum famulantium merita ꝯto retributionis munere compenſemus; dilecto nobis N. quem propter probitatis ſuae merita favore proſequimur et gratia ſpeciali, Notariae officium in omnibus monetis per Regnum Bohemiae, exceptâ monetâ in Pragenſi et Pecen. civitatibus, de gratia contulimus ſpeciali tenenda et poſſidenda pacifice et quiete temporibus vitae ſuae, volentes, ut in quacunque civitate, ſeu locum alium, quo exceptis Pragen. et Pocen. civitatibus ferrum certarum monetarum transferri contigerit, dictus N. dictarum monetarum

Notariam cum juribus ipſarum debeat poſſidere; praecipientes nichilominus Magiſtris monetae, et Monetariis, quibus ſaepedictas monetas noſtras pro tempore duximus committendas, ut eidem N prout noſtram dilexerint gratiam conſervandam, in omnibus juribus reſpicere debeant, quemadmodum olim Domini N. Regis Bohemiae patris noſtri kariſſimi alii monetarum Notarii reipicere conſueverunt. In cujus etc.

Nos W. dei gra. etc. notum facimus etc. quod fideli nro N. de N. officium proviſionis in eadem civitate procurandum et gerendum conceſſimus temporibus vitae ſuae, dantes ſibi tenore praeſentis privilegii facultatem plenam et liberam providendi et examinandi monetam atque denarios tam in bonitate argenti, quam in pondere, ac valore, ita, quod moneta ſive denarii in debitis menſuris, valore, et pondere conſerventur. Et quia dignum eſt, ut laborantibus aliquis fructus proveniat ex labore, volumus, et privilegii praeſentis tenore petimus adimpleri, ut noſtri monetarii nre monetae in dicta civitate praefato N. XXX. denarios exſolvant, et ut ſolvere teneantur qualibet ſeptimanâ, volumus, et expreſſe mandamus; quod ſi contigerit, ferrum monetae transferri in alteram quamlibet civitatem, quod idem nichilominus proviſionem in eadem civitate, in quam ferrum translatum fuerit, debeat poſſidere, ac XXX. denarios ſeptimanâ qualibet percipere de eodem.

XVI.

Treugarum ordinatio.

Nos W. dei gra etc. dilecto ſibi Ze. de N. notitiam ſubſcriptorum preſentibus noſtrorum fidelium amicorum, qui noſtra circumſtant et honorabilis Dni benignius inclinati, pro parte noſtra principaliter, et deinde pois parchinii de Cou

treugarum terminus fidelis utrinque â data praeſentium, usque ad feſtum N. proxime venturum inviolabiliter obſerva promittens vera fide, quod infra praefatum tempus per nos, dictos poto et Zobh' in cauſoh fideles noſtros, aut homines ipſorum, tibi, atque tuis hominibus in perſonis aut rebus nullum malum, nullum periculum inminebit, ymo penitus ſecure et illeſe poteris tam in bonis, quam in hominibus tuis per idem ſpatium temporis eſſe, atque ſi prudens fueris, noſtris te mandatis atque beneplacitis conformare. Scias etiam, quod mandavimus, Dominos quod tot treugas praedictum tempus teneant et obſervent, ſicut noſtram diligunt gratiam et favorem, et quod . . . hominibus tuis, quos captivaverunt, pro ſua redemptione pecuniam promiſerunt, et fidejuſſores ſtatuerunt, dictam cum . . . : ab ipſis fidejuſſoribus per treugarum ſpatium praedictarum, nec non et quod tuum filium cuſtodiae teneant indecenti gravamine moleſtantes. Haec autem omnia valere volumus hactenus, ſi tu ex parte tua infra praedictum treugarum tempus nullum dampnum, nullumque diſpendium per te vel tuos nobis, dictis pchuys, aut aliis s inferas, vel ſuis machinaris, alioquin dictas treugas vires nullas volumus obtinere. Volumus etiam, quod intra praedictum treugarum tempus noſtram adire praeſentiam ſecure debeas, et nobiscum tractare, qualiter noſtrae gratiae poteris reformari, ſciens, quod in veniendo ad nos, ſtando nobiscum, et ad propria remeando, nullum tibi nullum periculum imminebit.

XVII.

Salvus conductus pro Duce Sileſ. in Bohemiam venturo.

Nos W. dei gra etc. Dignae ſatis praeconio commendationis attollitur, alumpnam pacis concordiam cum quibuslibet inviolabiliter obſervare, ſeu quae violatore

ſcandalo paſſa fuerit ſciſſurae diſpendium, reſarcientis ope ſtudii ſollempnius renodare, cum his praecipue ad unionem remeare pacificam, quos naturalis et mutuus conglutinat ſanguinis internexus, longe dignis praeferre titulis et favoris. Noverint igitur univerſi turi, quod nos operam proſecutioni q̄ commendabilium mḡ exiſtunt, pronis affectibus aſpirantes, cum d . . . Nycolao ſopita diſſenſionis materia ad ſincerae pacis et concordiae devenimus unionem, ſine omni captione, malo ingenio, verâ fide, tam pro nobis, provicariis, et ſingulis Baronibus, nobilibus, et aliis quibuslibet hominibus noſtris cujuscunque conditionis, quos nunc habemus, et in noſtra habituri erimus poteſtate, promittimus, â datâ praeſentium, usque ad feſtum N. proximo venturum, et ab eodem feſto usque per tres annos continuò numerandos, ipſum Ducem N. plene amus, ut idem ad nos, cur̄ias noſtras, expeditiones, et alia quaelibet obſequia nobis impendenda, et negotia nda per praefatum tempus veniat, ſtet nobiscum, ubicumque per diſtrictum noſtri dominii, qui ſibi placuerit, et ad locum t ſalvis honore, rebus ſuis, et ipſum comitantium pariter et perſonis, promittentes eidem Dn̄o Duci N. quod tam ex parte noſtra, quam Baronum, nobilium, et aliorum quorumlibet ſuperius notatorum fideliter intentione purâ, et mente non ficta veniendo ad nos, curias noſtras, expeditiones, et alia nobis officia impendenda, et ad negotia ſuper peragenda . . . et eum comitantibus per nos aut per alios, quos habemus, et tunc in nr̄a tenebimus poteſtate, nullum nullum diſpendium, nullamque moleſtiam in honore, perſonis, aut rebus ipſorum aliquatenus inferremus per ipſas

XVIII.

Fragmentum chartae unionis s. tractatus cum Duce Siles.

. festo usque per trium annorum spatium continue numerandorum teneat et possideat terr . . . ita tamen, quod nullum nemini jus, et nulla nova actio per hoc, et ex hoc emergat, proveniat, vel nascatur in ipsa terra, ut q3 urm inviolabiliter observantur; promittentes ei sub fide, atque conditione, quod super praefata terrâ vel ipsius jure, infra scriptum tempus nullam per nos, aut interpositam personam movebimus, aut moveri patiemur, vel procurabimus quaestionem, sed ipsum possidere permittemus eandem pacifice et quiete, et absolventes eum ab impetitione cujuslibet Baronis vel nobilis, vel alterius cujuslibet; et si fuerit, quod super aliquibus bonis in dicta terra Opau, suis vellet seu niteretur contra dictum N. vel — suis Baronibus vel servitoribus suis actionem aliquam intemptare, volumus, quod ad faciendum ad judicium juri . . actio intemptati per praefatum temporis spatium nullatenus teneatur, quod eum ad faciendum aliquod judicium non nec inducemus, nisi plenam voluntatem ab ipso valeat contineri; hoc tamen caute specialiter expresso, quod potestas arbitrandi super dicta terra Opaui. q3 vel quam nos et dictus Dux N. dedimus de bonâ voluntate R. Serenissimo Romanorum Regi, karissimo patri nostro, per praesentes concordiam et promissiones nullat sed stabiles sint robore firmitatis; et si infra praedictum tempus cum Dno N. Duce non faceremus gratiam cum Dno R. Romanorum Rege infra idem tempus contingeret convenire, licet eidem Dno Regi super d . . . praesentibus concordia vel promissionibus non obstantibus, prout sibi visum fuerit, libere arbitrari. Sub fide . . atque conditionibus promittimus praetaxatis, quod si nos nostri, quod absit, honoris immemores infra praedictum tempus dictum

Ducem ſua de perſona cuperemus, aut terrâ Opavi. civitate, vel civibus, caſtro, vel munitione, vel muni^bus quocunque modo deſtitueremus, vel privaremus eundem, et coram Illuſtribus Principibus H. marchione et orientali, et H. Duce Bawariae de conſenſu utriusque noſtrûm ad hoc judicatis et ordinatis convicti mediante juſtitia fuerimus, nos praefato Duci promiſſiones veb violaſſe vel non obſervaſſe, et in termino, qui nobis â praedictis praefixus fuerit judicibus, praefato Duci ſuper ipſius violatione vel obſervatione juxta ipſorum judicum arbitrium condignam ſatisfactionem non exhibere vel forte praedicto Duci N. aut procuratoribus ſuis legitimis coram praedictis judicibus nollemus reſpondere, ex tunc ſubjecti eſſe volumus etc. Promittentes eidem Duci N. bonâ fide, quod ſibi praedictarum . . . ante feſtum B. proximo venturum litteras obtinebimus, per quas ſe judices ad praedicta ſtatuant et obligent, et eidem Duci N. cum per eum requiſiti fuerint, debeant de nobis juſtitiam exhibere. Deinde promittimus fid quod ſi nos noſtri (ut ſupra) etc. quod abſit, ex tunc ſubjecti eſſe volumus excommunicationi Dominorum et Olomucen. Epiſcoporum, et utraque terra ſubjiciatur eccleſiaſtico interdicto, non abſolvendi â praedicta excommunicatione, ac praefato interdicto minime relaxando, niſi prius N. ſine omni laeſione ac dampno reſtituatur priſtinae, vel terra Opau, civitas vel civitates, caſtrum vel caſtra, munitio vel munitiones, qua vel quibus deſtitutus eſſet, ſibi ſit vel fuerint integraliter reſtitutae, ſupradictis conditionibus promittentes . . . fide, quod ſi dictus Dux N. per aliquem vel per aliquos terrigenas noſtros fuerit captivatus vel vel caſtrum, munitio, vel munitiones fuerint occupatae, occupatores â praedictis Epiſcopis excommunicentur, ... abjudicati ſint finaliter et p̄ atque bonis, et quod ipſum Ducem N. curabimus toto poſſe captivitate liberare, vel, quando aliquid ſibi occupatum fuerit, valeat rehabere,

nec occupatores ab excommunicationis vinculo abſolvi permittemus, vel gratiae noſtrae aut patriae reſtituemus niſi prius Duci de illata injuria ſit condigne ac honorifice ſatisfactum, nec non et quod eidem Duci contra quemlibet principem, vel alium quemlibet, qui eum invaſerit, vel impugnaverit, aſſiſtemus totis noſtris viribus, et tanquam fidelem noſtrum curabimus ſtudioſius defenſare. Datum etc. —

XIX.

Super judicio, et Mutâ Pragenſi, haereditarie conceſſis.

Nos W. dei gra etc. Conſiderantes merita N. dilecti fidelis noſtri, quibus ſibi omnem favoris benivolentiam comparavit, eidem, ut in fide, ac in devotione noſtris ferventior ſtatuatur ſervitiis, noſtrae magnificentiae dexteram reſeravimus, et judicium, de quo nobis annuatim exſolvere debebat ſibi et ſuis heredibus locavimus de gratia ſpeciali, volentes, ut idem praefatum judicium haereditarie tenere debeat, et etiam poſſidere, et nobis in feſto N. ſingulis annis exſolvat. In cujus etc.

Nos O. dei gra etc. — quod judicium in N. et Mutam — conceſſimus N. de N. ſuis exigentibus meritis hereditarie poſſidenda, volentes, ut idem N. et filii ſui legittimi maſculini ſexus tantum, judicium praefatum, et mutam ipſi judicio attinentem poſſideant hereditarie, proventus ex eis percipiant, ac percipere debeant et valeant libere, et contradictione qualibet inpoſterum quieſcente; ipſe verumtamen N. et ejus legitimi heredes in hujus noſtrae recognitionem gratiae XX. marcas argenti annis ſingulis in feſto N. in I. Camerae noſtrae ſolvent. In cujus etc.

Commendata nobis tuae probitatis induſtria nos inducit, ut te muneris honore publici decoremus. Idcircò

tibi per unius anni circulum judicatûs officium in civitate Pragen. gerendum committimus et regendum, dantes tibi auctoritatem plenariam, in quolibet, quibus expediet, jus dicendi. Tu verò summopere colens justitiam aequali rationis lance causas perpenses, atque taliter deservire studeas aequitati, ut nec amoris dulcibus flectaris affectibus, nec clenodiorum te sinistrare faciant donaria, auresque precibus obstruens, et odium judicando secludens, sic nitaris . . . decisione cuilibet aequabilis inveniri, ut continuata tuae famae claritas per temporis executionem laudabilis, dignitate vel officio te digniorem statuat vel efficiat potiori. —

Nos W. Dei gra etc. — quod judicium nostrum provinciale in N. locavimus, sic, et eo omni modo, quod tempore tali, N. judex, qui tunc pro tempore fuerat, dictam villicationem regebat, regere debeant et tenere; mandantes et praecipientes universis auditoribus praesentium, gratiae nostrae sub optentu, quatenus nullus dictum judicem in bonis, quae ad eam villicationem spectabant olim, praesumat aliqualiter impedire; volentes, ut, quicunque de bonis dictae villicationis, quae, ut praemissum est, temporibus talibus N. quae ad ipsam spectabant, aliquid quocunque modo detinet occupatum, dicto N. cedere debeant praesentibus statim. Datum etc.

Nos O. Dei gra etc. notum fac. univ. quod judicium civitatis Pragen. in eadem civitate, N. gerendum commisimus et regendum, locantes eidem N. praefatum judicium à festo Pasce proxime futurum, usque per anni circulum revolutum, pro C. marcis argenti, ex quibus jam XX. marcas nobis exsolvit, reliquis verò ab eodem nostrae Camerae infra subscriptos terminos assignandis, videlicet, quod in festo purificationis b^te Virginis proximo futuro dabit nobis quinquaginta marcas argenti, in festo vero Sci Iacobi succedente LX. marcas, — in festo autem b^ti Martini subsequente LX. marcas similiter nobis solvet. In cujus etc.

XX.

Fragmentum chartae pacis publicae per Bohemiam saec. XIII. ab Ottocaro s. Wenceslao stabilitae.

In nomine Domini Amen. Tranquillitatem Reip. quae pacis observatione perficitur, terrarum principes ita defendere convenit et tueri, ut pacatis provinciis pacificè praesidentes et feliciter, dignè gratulemur imperiis, et famosae laudis praeconio suum tribuere valeat unicuique. Cum itaque provincia, quam hereditariae laudis integritas, et praeteritorum principum juste saeviens disciplina pacis cultricem, fomitemque justitiae praeteritis effecit temporibus, et Deo auctore in aeternum efficiet, tantus noviter vitiorum vigor accrevit, quod sibi horrescimus, virtus reputetur improbitas, furtum abstinentia, audacia molimina fortitudo: Nos itaque Dux N. una cum baronibus terrae nostrae novis moribus nova volentes praeparare anthidota, praemisso diligenti, sollicitoque tractatu dignum duximus, subditorum taliter excessibus obviare, ut, quos virtus propria â malo ad delinquendum proposito non refraenat, corporalis saltem paenae metus prohibeat in ppito, quo magis deformatus per scelera status terrae, in culturam justitiae valeat reformari. Vnde, cum succrescente olim inter nos, nostrosque Barones seditionis materiâ quidam nobilium terrae nostrae ad exteros se transtulerint principatus, sibique spontaneum assumentes exilium, tam nobis, quam natali patriae se ostendunt inimici, quibus tandem per talem principem nostrae gratiae reformatis, abolitâ penitus et cessante rancoris materiâ praeconcepti, ut via de caetero talibus, tamque perniciosis odiis clauderetur, et praecipue ne illa inter nostros Barones oriri seditio seu scissura posset, de consensu et unanimi voluntate, congregati in N. castro concorditer statuerunt, ut nullus in aliquem ho-

minem aut perſonam in nro dominio conſtitutam, vel alium qualemcunque noſtrum ſubditum ſeu fidelem, cujuscunque conditionis exiſtat, vim vel injurioſam audaciam exerceret, ſed ſingulorum nro ſubditorum dominio res pariter et perſonae ab injuriis tutae ſubſiſterent, et ſecurae, quin ymo, ſiquis adverſus aliquem habere ſe diceret jus agendi, coram nobis nroque judicio teneatur in cauſa qualibet credat audaciam ulciſcendi. Siquis hujus, ſaeviret in alterum violenter, ſeu injuriis, ſeu ūabilis rerum ſuarum, et dium hujusmodi transgreſſor patiatur; ſin . . . ſor; injuria corporalis animadverſion . . merito plectatur in corpore, cujuscunque generis . . . tatis malefactor h. videatur. Hoc itaque ſtatutum non volentes ullis temporis . . . ſicut rationabiliter edita fuerat, et edictum . . . legitime duximus confirmandum. Ordinan . . . quio cunctis ad ipſum terrae noſtrae baron . . . Anno Dni . . die . . in civitat. praeſiden . . . conſtitutionis praedictae memoriam cunctorum quam univerſi et ſinguli milites et . . . darunt, ratificaverunt, et etiam elegerunt . . . concorditer ſubmittentes. Nos quoque ficationem gratam habentes et ratam inſc . . . nam memoriam praeſentem conſtitutionem . . . noſtro ſigillo cunctorumque baronum aſtantium fecimus et mandavimus roborari. S ſuper tam nos inqm Barones ac univerſi promiſimus, ipſique Barones tacta univerſi et ſinguli juraverunt, nec per ſe ſovere nec receptare, nec manutenere . . fures, ſpoliatores, incendiarios . . . cos qualescunque, ſed omnes, quos hujus ſc . . . irritatores, eorumque fautores et co denuntient examini, nec ullius pte . . . aut gratiae fures, furumve ſocios . . ſceleratos deſinant occultari, ſed ipſos . . . latitantes nris inquiſitionibus de tocyus teneantur. Super quibus diligenter rendis, per ſingularum civitatum diſtrictus bini et bini deputati f qui conjunctis ſibi duobus civibus . . . de cauſis diligenter inquirant,

inven . . . incendiarios, latrones, aliosque m . . . aut vitae vilitas, aut clamoſa d infamia, auctoritate nra dign . . . ſuppliciis, niſi forte famoſus . . . genere fuerit accuſatus; tales N. tene . . . dicio deſtinari. Nosque ipſorum . . . ſidem omnimodo adhibentes p . . . delatos habere debemus omnimode . . . interim ut nec ad excuſationem aliquam . . . os nobis reos pro vitae meritis . . . noris penis debitis exigente r9 . . . emus, quod forte quempiam militum . . . terrae noſtrae, aut curiae noſtrae ſervitorem familiaribus ſit aſcriptus fore licentiam delinquendi, incidere obitum. Nos in hoc dignitati de . . . remur, ſi aliàs bonae converſationis . . . quam de crimine fuerit accuſatus, tamen ultimo puniatur ſupplicio. Sed vinculis caſtigatum ad morum correct . . . orditer deferemus, ita tamen, ut ri non valeat ullo modo, quousque laeſo convenienter ex integro de . . . juriis ſatisfaciet, data inſuper . . . ſidejuſſoria cautione, ut de caet it ſimilia non committat. Quodſi noſtrae . . . s diſpendium evitare deſiderans . . . us ad exteras terras ſe duxerit habeantur in tota nra provincia pro usque gratiam noſtram invenerit invenire fuerit malae famae, aut accuſatus ic nec etiam generi parcere teneamur . . . le, quin de ipſo juſtum judicium ia faciens ſecundum formam ſtatuti . . . phi tecuus. Inſuper cunctis militi . . . Baronibus terrae noſtrae, ut pro deprehen . . . vel aliis ſceleratis hominibus in . . . Si quis contra hujus noſtrae prohibitionis ceſſerit pro quocunque maleficio, indig . . . nram ſe noverit incurriſſe. Sta . . . ut tribus temporibus cujuslibet anni . . . eat provinciale judicium, ad quod . . . teneantur univerſi terrae noſtrae mi . . Barones, ac producere terrae noſtrae . . . homines et infames ſecundum formu ti juramenti. Tempora verò ſunt ordinatione videtur, quibus . . . nos, noſtrique judices delata la ſingulorum in utne juſtitie . . . Barones, vel quos ad inquiſitionis . . .

ſuper praemiſſis per ſingulas civitates . . . ter ſtatuemus, qui vulgò conſules ad memoriam futurorum fecimus haec conſcribi. Territoria ponentur, ſicut debent per milites ordinari; qui milites et territoria ordinati omnes et ſinguli tactis reliquiis ſanctae crucis ſpontaneè juraverunt, omnia ſubſcripta rata habere, et inviolabiliter obſervare, et facere per quoslibet noſtros ſubditos inviolabiliter obſervari. Siquis ex praedictis conſulibus morte, vel quocunque caſu fortuito praepeditus, commiſſum ſibi praeſentis inquiſitionis officium nequierit exercere, in locum ipſius alter ſine dilatione qualibet ſubrogetur. Ad hoc, cum inquiſitio juris injuriam non precedat, diſtrictius inhibemus cunctis Baronibus, militibus, caeterisque noſtro Dominio ſubjectis, nequis deputatos â nobis, cunctisque Baronibus conſules ſupradictos ab injuncto ſibi negotio minis arceat, aut aliquam ipſis violentiam inferat, aut eosdem propter ipſorum fidem atque juſtitiam perſequatur. Siquis autem eisdem ſe exhibuerit propter ipſorum officium inimicum, perjurus permaneat et infamis, poſtque ult. honoris hoſtis et proditor Reip. cum caeteris ſceleratis hominibus paris paenae recipiat portionem. Praecipimus inſuper, atque mandamus, ut univerſi terrae noſtrae milites et Barones caeterique in officiis publicis conſtituti infra octavas proxime nunc inſtantes jurare debeant fideliter pacem; quod quicunque non fecerint, ac facere renuerint, elapſo termino pro eo praefixo, contemptor noſtri mandati, et hoſtis tam â nobis, quam â terrae noſtrae incolis habeatur. Vt omnia ſupraſcripta rata permaneant, et firma perpetuis ſubſiſtant temporibus, praeſentes litteras conſcribi fecimus, noſtrique ſigilli munimine, ac praedictorum conſulum ſignaculo communiri. Actum et datum etc.

XXI.

Fragm. unionis inter Ottocarum R. Boh. et B. Ducem Silef. ac H. Iawor, ejusque fratres, super treugâ et pace.

. ceterosque amicos, consanguineos, et auxiliatores atque et terras ipsorum, nec non homines et terras dicti Ducis Wrat. atque homines et terras nostras, ita quod penitus dampni, molestiae, ac praejudicii praefatos Dominos Duces B. Slezie, et Ha. Iawor, et fratres ejus terris nostris et hominibus, ac praefatis Dominis, et hominibus atque terris ipsorum, quos inclusimus, si ad ul' si' per se vel interpositam personam infra treugarum tempus praescriptum, et similiter pro parte nostra ac praefa ut nichil nocumenti, praejudicii, vel gravaminis procuretur per nos praefatos omnes, aut per aliquem in tàm personam, sed potius treugarum ipsarum fiat tempore pax tranquilla; assecuramus etiam per praesentes dictos . . . Dnum B. inclitum Ducem Zlezie, ac omnes filios ejus praetaxatos, ut idem infra praefatas as ad nos se personaliter conferre valeat, stare nobiscum, tractare deliberatione praefati Ducis Wra remeare salvis personis ipsorum, et eorum comitum omnium, atque rebus, si idem Dnus B. una cum filiis . . . venerint, sive etiam cum quibusdam ex eis; promittentes eis sub fide nostrâ Regia, quod eidem Dno B filiis suis, sive cum quibusdam veniet, sive cum omnibus, aut caeteris comitantibus suis, in veniendo ad nos . . . tractando nobiscum, et in remeando, nichil nocumenti vel injuriae inferetur, sed salvi et securi . . . pariter permanebunt, et ad propria remeabunt. In cujus etc. —

XXII.

Assecuratio B. et H. Ducum Silesiae, de servandis treugis et foederibus initis cum Duce Wratislavieñ.

In nomine Domini amen. Cum unicuique Christi fidelium ad gubernandum naturaliter plebem suam divinitus ad justitiae et meriti incrementa, si ipsam et limites terrarum insultibus malignorum mediante, et concordiae benivolentia confoveat et gubernet: Nos B. et Hc. Duces Zlezie . . . benivolentiam et concordiae unionem attendentes desiderata cordium nostrorum, qui in terrarum quiete oscimus, in prosperitate ipsorum pleto Reipublicae gratulamur, et scire vos volumus, praesentium notitiam habituros . . . os consilio Baronum nostrorum concorditer accedente, pro karissimis nrīs filiis H. B. B'. et dictis fidelibus nostris dictis Ducibus illustribus Glogaw̄. promisimus per respectum ad inclytum Ducem Wrāt. . . . H. filium pie recordationis Dnī H. quondam tunc ibidem, foedera concordiae et treugarum pacificā â data presentium, usque ad purificationem gloriosae Virginis proxime affuturum, et deinde per annum in inviolabiliter observari, ut eaedem ppe q pix hominum frivolorum, quin ymo eisdem treugis pendentibus in metis terrarum nostrarum et Dominiorum Glogov. contiguis ubique metis terrae praeli . . . Dni H. Ducis Wratisl. per nos et dictos Dnos Glogovien. nulla penitus nova munitio ur, sed antiquarum firmitation. reparationibus, si placuerit, intendatur, et earundem gratiae treugarum includi viros nobiles, videlicet Dnum B. et Dnum H. talis pactionis conditione nihilominus interjecta, ... orum aliquem vel alios citatorie evocaverit pro causa, quae nro judicio fuerit decidenda, per nos eis ativae ipsorum securitatis cautione praestita coram nobis compareant et respondeant juris nrorum vasallorum

complementum percepturi. Si autem pro causa citab^z judicio dicti Dno Wrat. pertineri coram ipso Dno respondebunt ad hoc per nos in praesentibus sunt praemissa praescripta in terris nostris, et recitatorum Glogou. in Wrat. dominio sit praescripti, in ɛ̊o intra Dni Wratisl. censeantur esse perscripti in . . . Dnorum Glogov. atque nostro. Praeterea statuimus altrinsecus stabili robore observandum, quod homines terrae saepenominati Dni Wrat. si qui requirendum, vel aliquid aliud agendum habuerint ad comparationem ad nostros homines Dnorum Glogou, coram nobis et memoratis Dominis Glogo sive juris justitiam consequantur, p fide nostra ducali, et testimonio nri scripti. Vt haec omnia et singula, quae praediximus, vigorose bilia perseverent, Nos B. fidem nostram et Baronum nostrorum, videlicet I. et B. Nos H. fidelium nrorum vasallorum, scilicet Dni H. et C. duximus stabilire. —

XXIII.

Treugae cum Rege Hungariae.

. Vngariae non ſolum unit, ſed duplicatus familiaritatis funiculus in amicitia nos conſtringat, et quod tam conſanguinitas, quam adfinitas ad concordiae oſcula alterutrum nos invitant, animum praebemus, et praebere ad omnia, quae inter ipſum et nos pacem et concordiam mutuam ſapere dinoſcuntur, cujus ſi quidem pacis ſeu concordiae unio, ut interjecto aliquo temporis intervallo amplius uniatur, firmetur, firmiusque ſolidetur, quolibet rancoris ſympthomate reſecato, ecce treugas absque fraude et dolo â data Sci . . . proxime affuturo per duos annos cum ipſo ſtatuimus, quatinus per nos et nros fideli rei hujusmodi, nempe treugis venerabiles patres Dnos Salceburgen. Archiepiſcopum, et C. aliosque fideles et fautores nros ex parte noſtra nominatim et ſpecialiter includendo, quas profecto treugas, ad majores obſervantias earundem, conditionibus vallavimus infraſcriptis, videlicet, quod, ſi quis eas forſitan violaverit, ex ipſo facto excommunicationis ſententiam ſummi Pontificis, et Dnorum Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum omnium ſubjaceat, et nichilominus fidei violatae, et Rex carens veritate, quae potiſſima debet eſſe ſocia Regiae Majeſtatis, â cunctis Xpi fidelibus reputari.

Nos dei gra etc. Rex Vngariae, tenore praeſentium declaramus, quod cum Nos cum Dno Rege ſuper concordiae et dilectionis unione inter nos invicem ſolidandae funiculis fortius colligendis convenire de Baronum meorum conſilio ut offeratur ab utriusque viſionis deſiderare affectus concordiae tractatus, et amica colloquia hinc et inde praeparata, et incrementa mutui ſunt amoris cum Dno Ph. ob ligentes ejusdem Regis, quam apud nos in hac parte exauditionis effe-

ctum, tum propter cum etiam propter consanguinitatis nexus, quibus nobis velut duplici conjunctionis brachio treugas duximus admittendas, usque ad terminum N. talibus quippe conditionibus talibus pendentibus in Deph . . . munitiones, quas habet, in eo statu per omnia, quo eas nunc possidet à treugarum institutione praesentium, usque ad exitum earundem, libere et quiete debeat possidere, ... nos tempore medio extendemus, quae ipsis Ph. fautorum suorum praejudicium sapere videantur, ... Ph. versâ vice tam contra nos, quam contra nostros, et in terris nostris bona habentes, ac universos fautores et fideles nros pacem, quietem, et treugarum conservationem, foedera, inviolabiliter observare, nullis prorsus per se, vel per alios bona nra, vel aliorum fautorum et fidelium nostrorum bona bellorum seu aliarum offensarum insultibus infestando. Si autem treugarum statutis relatis contra nos vel nros forsitan contrarium moliretur treugis durantibus supradictis, ex tunc contra ipsum et suos nras injurias propulsabimus juxta posse, et nichilominus praedictus Rex contra eundem Ph. suae potentiae viribus tenebitur nos juvare. In cujus etc.

XXIV.

Ottocarus R. Boh. patris exemplo eximit Abbatem et Conventum Monasterii N. à sturis, curribus, albergaria et sustentatione hospitum.

O. dei gra etc. Rex Bohemiae. Honestum fore nobis reputamus et utile, si religiosis viris piae subventionis opem ferimus, et ut piis actibus quondam patris nostri . . . felicis memoriae vestigiis inhaeremus, eoquod divinae remunerationis securi praestolamur praemium, ex hoc verò virtutis prosequimur opus clarum . . ¶ Eapropter re nos volumus per praesentes,

quod nos ob remedium animae praefati quondam patris noſtri, et merita honorabilis viri Abbatis monaſterii de N. ipſius patris noſtri ſequentes veſtigia, qui dictum monaſterium ab omni moleſtia per certum temporis ſpatium, quod jam praeteriit, abſolverat, idem monaſterium ab omni exactione te vel ſteure, et transmiſſione curruum ad noſtrum exercitum, nec non ab omni amminiſtratione expenſarum et hoſpitibus noſtris per duorum annorum ſpatium â data praeſentium numerandorum liberum liberaliter eſſe imus et immune. Quare vobis damus tenore praeſentium firmiter in mandatis, ſub obtentu noſtrae gratiae, diſtrictius injungentes, quatinus hanc immunitatis gratiam, et relaxationem ſervitiorum non praeſumatis infringere, vel in aliquo violare; ſi quis autem in tantam proruperit temeritatis audaciam, ut dictam gratiam in aliquo violet vel infringat, noſtram indignationem ſe noverit incurriſſe. In cujus etc.

XXV.

Ottocari Boh. Regis immunitas conceſſa tenentibus terras deſertas.

Nos O. Dei gra etc. — Quod nos reformationi bonorum noſtrorum intendentes, ut ex eis fructuum emolumenta conſequi valeamus, univerſos et ſingulos tenentes, et tenere et poſſidere deſertas areas in civitate N. volentes, et laneos deſertos circa ipſam civitatem, pertinentes ad eam, per duorum annorum ſpatium â feſto N. proxime praeterito numerandorum, ab omni exactione cenſus et ſteurae liberos reddimus, ... et volentes, ut nullus ab eis ratione cenſus, ſeu ſteurae, ſive exactionum quarumcunque aliquid exigere debeat, vel praeſumat infra duorum annorum ſpatium praetaxatum. In cujus etc.

XXVI.

Exemtio monaſterii in Cladruna.

O. dei gra etc. Opera Deo placita exercere nos credimus, dum ſervitorum noſtrorum, ſub habitu monaſtico militantium turbationum moleſtias amputantes, ipſorum commoditatibus providemus. Inde quod nos honeſtati obſervantiae regularis plurimum convenire, ut vexationum onera ipſi entia muniamus, Abbatem et Conventum monaſterii in Cladruna, et ipſorum homines univerſos â jurisdictione et examine judicum provincialium et beneficiariorum regni Bohemiae de ſpeciali gratia eximimus â feſto Paſche Dni proxime nunc venturo, per unius anni ſpatium per completum, ita videlicet, ut eisdem Abbati et Conventui monaſterii N. et eorum hominibus moveretur, vel moveri contingeret infra dicti temporis ſpatium, coram Pragenſibus tantummodo, et nullis aliis beneficiariis regni Bohemiae, ipſe Abbas et Conventus, ac ipſorum homines debeant reſpondere; injungentes tenore praeſentium univerſis et ſingulis judicibus provincialibus et beneficiariis per regnum Bohemiae conſtitutis, Pragenſi duntaxat judice et beneficiariis exceptis, ut nullus ipſorum Abbatem et Conventum monaſterii praetaxati, ac homines ipſorum etc. —

XXVII.

Libertas civitati N. concessa per N. Regem Bohem.

. Serenitatis officio gaudeant universa pia et religiosa loca, sub nostro dominio constituta nostrae protectionis dexterâ defensare, ac eorum jura et libertates, ne â malignantibus infringantur, curâ pervigili conservare: illis tamen Ecclesiis, quas progenitorum nostrorum sincera fundavit devotio, sumus et esse volumus specialis benivolentiae debitores, quatinus ipsorum libertatem liberaliter ampliando, ampliatam conside post amministrationem terrenae dignitatis ascribi numero supernorum civium mereamur. Noverint igitur tam moderni temporis, quam futuri Christi fideles, quod nos consilio pietatis inducti, pro remedio peccaminum nrorum parentum, ac nrorum, Ecclesiae N. talem concedimus libertatem, videlicet, ut civitas ipsorum, quae : jure fori, jure civili, jure judicii, caeterisque juribus et libertatibus gaudeat, quibus civitas nostra N. et aliae civitates nostrae per regnum Bohemiae sunt contentae, et quod homines dictae civitatis et ubique per Abbatiam constituti nullius Castellani, nullorumque judicum vel officialium, seu alium astent judicio, sed Pragae coram nobis vel nostro Vicario; volentes ut ab omni jugo servitutis, exactionis, vel gravaminis sint immunes pariter et exempti. Ad majorem praeterea nostrae libertatis concessionem, privilegia eis â nostris antecessoribus pia consideratione concessa, sive sint realia, sive personalia, ad res et jura pertinentia, dummodo appareant in primâ figurâ, et sigillis autenticis sigillata, non vitiata, non cancellata, nec in aliqua sui parte abolita, rata habemus, et habere volumus . . . firma, et ea auctoritate praesentis scripti confirmamus, nolentes tractu temporis â malivolis aliquo ausu temerario violari. In cujus rei testimonium praesentes lras praehabitae Ecclesiae pro memoria praefatorum omnium sempi-

. . . .

terna conceſſimus, noſtrorum ſigillorum munimine roboratas; teſtibus etc. —

XXVIII.

Libertatio civium in N. ad tres annos.

Nos W. dei gra etc. Bohemiae Rex. — quod dilectorum fidelium noſtrorum, judicis et civium in N. grata et fidelia ſervitia, Sereniſſimo quondam patri noſtro conſtanter exhibita grato et benigno recolligentes affectu, quo ipſos pm noſtrae Excellentiae brachiis amplexantes ſtrictius, ex liberalitate Reg . . . gratiam eis impendere volumus ſpecialem. Attendentes itaque, quod praedicti cives non ſolum hoſtium inſultibus, verum etiam ex ignis crudelitate, quâ nuper eorum civitas pro majori parte combuſta extitit, dampna non modica ſunt perpeſſi, et eorum volentes incommoditatibus et dampnis ac ipſis gratioſius providere: praeſentis ſcripti tenore dictos cives â cujuslibet cenſus honere, exactione ſolutione, quocunque etiam nomine cenſeantur, â data praeſentium, usque ad tres annos relevandos duximus eximendos, ita, quod ab eisdem civibus praedictae noſtrae libertatis tempore eisdem ex gra . . . conceſſae, praemiſſa minime exigantur. Praeterea, ut dictae civitatis cives domus eorum per ignem deſtructas eo facilius et liberius reaedificare valeant, ex ſpeciali gratia eis duximus indulgendum, ut ligna in noſtris ſilvis pro reaedificatione domorum igne conſumptarum, etiam quocunque modo deſtructarum noſtrâ auctoritate ſuccidere debeant, ubi noſter judex, qui tunc fuerit, eis duxerit deputanda, volentes, ut â praemiſſis omnibus, quae nobis et patri noſtro liberaliter ſolvere conſueverunt, tenore praeſentium liberius ſint exempti. In cujus rei etc. —

XXIX.

Exemtio domús monasterii N. in civitate Prageñ. ab omni exactione.

O. Dei gra etc. — Licet ad ea, quae honestatem sapiunt, et ad gloriam nobis cedunt, satis celeriter nostra cadit intentio nonnunquam ad ipsarum prosecutionem matura discretarum personarum persuasio fortius nos inducit; utpote 9 carine, quae velis citivolis vehitur, remorum subsidium peritus navita, non quod sao non ppet, sed quod impulſ . . . noscat tam praesens aetas, quam successura posteritas futurorum, quod, quia jus ad subveniendum que . . . genitoribus nostris recolendae memoriae pii revelatione suffragii propriis desideriis aspiremus, tamen providi et honesti viri Dni Abbatis de N. persuasione inducti, vehementius impulsi, domum monasterii praefati sitam in civitate Pragen. prope Ecclesiam sci Iacobi, et claustrum fratrum minorum, pro ipsius quondam patris nostri remedio animae, ac etiam ob merita dicti Abbatis, quibus nostram gratiam meruit et favorem, ab omni exactione etc. —

XXX.

Fragm. concernens Alfonsi Reg. Hispaniae anhelitus ad solium Imperii Romani.

Sinceritatis vestrae litteras recepit nostrae Serenitas Majestatis, et ipsarum continentia perlecta quodam specialis hilaritatis tripudio aula nri pectoris repleta. Zelus N. purae amicitiae, quam detegebatur impis, q idem duplicitatis nesciens inſ e comme nequit, sic in lavi apertum, dum earum tenor nro reseravit almĩ, nos contra exaltationem honoris et gloriae Dni Regis

Hyſpaniae vires veſtras effundere et ad ejus molimina cupitis ob reverentiam noſtri opera et opere, geſtis ac geſtibus anhelare; qua de cauſa referentes vobis gratiarum uberes actiones, devotionem vram volumus ſingulari dilectione proſequi et favore ad ea, quae vobis placita fuerint, et grata, viciſſitudine ſcientes, quod praedictum Dominum N. Regem . . . curavimus inducere quaſi ſtimulatoria ſerie litterarum, . . . proſecutionem jurium circa Imperatoriae praeeminentiam dignitatis erigere debeat animum, et ſuarum virium potentiam compeſcere, cum diſpendium in plerisque parere conſuevit, decre eo maxime, quod nos ſibi aſſiſtere cupimus, et auxiliatoris dexterae ſuffragium potentialiter impendere.

Sinceritatis veſtrae litteras etc. (ut ſuprà, usque: prodeat in apricum.) dum earum tenor nos docuit, vos recepiſſe litteras reverenter, et ad exaltationem honoris et gloriae Domini . . . Regis ardentibus deſiderantes, ut orbis ſibi ſubjiciatur orbita, et obtinere valeat privilegium monarchiae . . . nos ipſi prim . . gliſcan ſuffragia, nec alios ad idem ex oratoriis inductionibus . . . quibusvis exhortationibus incitatis. Qua de cauſa vobis univerſaliter ſingulis, et ſingulariter univerſis referentes uberes gratiarum, ſinceritatem veſtram propria et di (usque: compeſcere.) etc. —

XXXI.

(Praemonſtratenſi Capitulo).

Etſi multiplicium curarum fluctibus, quibus veſtri Culminis involuta Majeſtas, dum regni gubernaculis ſolerter invigilat, et aliarum, quibus praeſidet, provinciarum feliciter moderatur, otioſa nobis vix ſuf-

fragetur habilitas, ut ea, quae ſurſum ſunt, praemeditari ac ſeq . . . tiis intuitu libere valeamus, nequimus ea, quae faciente providentia, quae futura metitur, et rerum . . . exitum providendo ſic frequentibus ingruentium negotiorum bus diſtrahi, ſic terrenorum perplexi volvi, quod, niſi aliunde ſuadente fide (uum nitamur) ac modum, quibus illum nobis reddere poſſumus, p . . . per quem regnantium erig . . . ſolvi, et dominantur in nationibus, arduis dignitatum faſtigiis principum poteſtas, ad cujus denique gratiam comparandam licet multifarie, multisque modis currentium in hujus curioſa ſollicitudo laboret, plurimaque ſuppetant, quibus valeat obtineri, multum tamen valet depreca dua, quae ſua et aliorum deſideria impet . . . , dum per excellentiam meriti ſine offendiculo arces tranſcendens . . . pia mortalium vota divinae auribus pietatis inculcat. Vnde, cum ordo veſter iſtis nitens, operis laudabilis honeſtate praefulgens, credamus procul dubio, quod jugis orationis inſtantia aſſequatur, q . . . omnium poſtulavit, vos attentiùs duximus exorandos, quatenus in Capitulo veſtro ſtatuere dignemini, ut pro nobis et te noſtra inclyta Regina Bohemiae, liberisque noſtris, frequenter precum libamenta creatori noſtro per fres veſtros offerantur, quorum adjutum ſuffragio regni noſtri magnificum dyadema felicibus ſemper promoveatur ſ et continua ſuſcipiat incrementa, et creſcat propria noſtrae Majeſtatis devotio, quae zelo aemulation . . . ſincerae proſequi deſiderat veſtri ordinis ſanctitatem.

XXXII.

Epiſcopo et Capitulo Olomucen.

Sollicitudinis intereſſe dignoſcitur officii paſtoralis, ut ſummâ animi vigilantiâ illa, quae commiſſae profutura fuerint, procurare debeat pontifex, et circumſpectae proviſionis promovere ſtudio, quicquid in

emolumentum ipſius cedere viderit et honorem. Sanè nobis ſollicitudinis vocatis in partem illa perſaepius cogitationis occurrit, qualiter Olomucen. Eccleſia temporibus nris faciente Domino felicibus augeatur ſucceſſibus, ... nis decoretur ydoneis, ex quorum induſtria utilitas ſibi valeat provenire, ut, dum ſic ſtudioſe profectibus, dum ſic ſollicitudinibus ſuis intendimus et commodis, in ſui providi praeſulis ſponſâ non modicum gloriemur . . . Itaque Magiſter H. Regis Bohemiae prothonotarius, vir utique probitate perſpicuus, et honeſtate decorus ſit perſona, ex qua Eccleſia veſtra poterit conſequi multa bona, ipſique in emergentibus caſibus et articulis praeterfluentibus ejus probitas valeat ſuffragatorii auxilii compendia impertiri: dignum, quin ymo neceſſarium du . . . noſtra cenſuit, ut tali viro carere non debeat, ſed potius in ſinum ſuae gratiae Eccleſiae Olomucen. admittatur, maxime, cum, ſicut veſtram non latet providentiam, Dominus noſter Bohemiae Rex illuſtris ipſum ſpeciali quadam favoris et munificentiae ſuae benivolentia exſequatur, et evidenter appareat, quod eidem Regi tanto habeatur carior, quanto ei arridet gratius ſerenitas principalis. Quapropter Vos univerſos et ſingulos attentius inducimus et hortamur, quatenus eundem Magiſtrum H. in fratrem et Canonicum veſtrum dignemini recipere, ſibique de praebendâ, quae vacat ad praeſens, gratioſe atque hylariter providere.

XXXIII.

Fragm. chartae, concernentis votum Ottocari R. B. ad Imper. Rom.

. ymo ut valeatis conſequi Imperialis culminis dignitatem, noſtrum libenter erigimus animum operas affectamus impendere cum effectu, dummodo, ſi fas eſt dicere, ſi dicendi detur copia, ... pace Regiae Majeſtatis, veſtra ut ita dicamus, negligentia hujus non tollerandae inde tarditatis diſpendium non inferret, ſed profligato cujuslibet morae ſubterfugio, in juris veſtri proſecutionem aſſurgeretis tam celeriter quam potenter. Quapropter prorumpite moras ad executionem currat veſtri emolumenti et commodi prompta manus, ad quorum felicem n̄torum noſtrorum ſuſpirat et aſpirat intentio, tanquam illi, qui veſtris incrementa for ſucceſſibus, et patēnt̃ in contrariis quod abſit non modica detrimenta, et nos praecipue tanto graviora ſentiremus diſpendia, quanto vobis aſſiſtimus et aſſiſtere volumus efficacia ori. Et haec omnia animi curâ pervigili revolventes, qualiter nos debeamus gerere, veſtrarum nobis litterarum ſerie intimetis, et quid de proſecutione juris veſtri ad Imperium intendatis, ... ad hujus veſtrae ſerenitatis propoſitum ſe diſponat. —

AVCTARIVM II.

MANIPVLVS CHARTARVM, ELECTIONES REGVM ROMAN. SAEC. XIII. ET XIV. ILLVSTRANTIVM, EX AVTENTICIS MAXVMAM PARTEM DESCRIPTARVM.

I.[a])

Clemens IV. P. M. ſcribit Principibus Electoribus Alemaniae, quod non praecipere eorum jura velit, offerendo regnum Alemaniae capeſſendum Regi Angliae, aliisque. 1254.

Diſponente Domino, cui obediunt univerſa, Romana mater Eccleſia ſuper reges et regna tanquam mater omnium et magiſtra, ſupremum obtinet principatum, et per ejus miniſterium regitur et dirigitur catholicae fidei firmamentum. Haec autem ſicut alma fidelis nutrix, et provida defenſatrix in proſequendis et diſcernendis juribus, vel dignitatibus diſpenſandis, ſeu privilegiis concedendis, cum ea circumſpectionis maturitate procedit, quod nulli praejudicat, dum cuiquam gratiam impertitur, et ſingulorum jura non minus in aliis, quam in ſe ipſa conſervat, nec in aliquos manus injurioſas extendit, in qua doctrina juſtitiae recipitur et habetur. Profectò fervens zelus ejus nec tepuit, nec tepeſcet, quâ ſuos devotos et humiles filios non ſolum non laedere, vel injuriis provocare, ſed potius illos intendit favoribus et gratiis praevenire, ac Vos praecipuè, quos inter alios Principes orbis terrae Catholicos, exhibentes ei cum reverentia filiales affectus intra ſuae dilectionis brachia collocavit; et licet credamus in opinionis noſtrae ſtabilitate conſiſtere, noſtrarumque providentia mentium circumſpecta per alicujus iniquae ſuggeſtionis inſtantiam dedignetur contrariis relatibus implicari: tamen ad confundendum nequitiam detractorum, ſatagentium inter matrem et filios ſcandala ſuſcitare, mentem noſtram ſuper hiis, quae mendacii didicimus aſſertione relata, nequaquam turbationis poſſitis inde

colligere, vobis decrevimus aperire. Intelleximus enim, quosdam filios iniquitatum ſuper eo linguas inſtruxiſſe mendaces, quod nos excluſis ab Imperatoria dignitate principibus ad praeſens litigantibus ſuper ea intendebamus de perſona noſtra juxta noſtrum beneplacitum Imperio providere, jure, quod vobis ſuper hoc competit, enervato; talis quippe relatio non rationis fundamentum habuit, ſed â nequitiae fermento traxit originem; indecens enim eſſet, quod inde ſequerentur injuriae, unde jura naſcuntur, et illi de paterna manû nocumenta ſentiret, qui per eam attolli ad gratiam meruerunt. Vnde, cum ſit intentionis noſtrae, jura veſtra non ſubripere, vel eis in aliquo derogare, quin ymo plenis ac ſtudioſis affectibus illa conſervare deſideramus illaeſa, talibus relatibus ex fomite patentis malitiae prodeuntibus aures adhibere veſtra prudentia quaeſumus aſpernetur, ſed de nobis velut de benigno patre confidite, cor intentum, et animum gerite benivolum ad ea, quae non depreſſionem jurium, ſed veſtrorum exaltationis honorum grata reſpiciant incrementa. —

I. b)

Conventio inter Ricardum Com. Cornubiae, et AEpiſcopum Colonieñ. de eligendo illo in Regem Romanorum. 1256. *(Ex autentico.)*

Dominus Richardvs frater Regis Angliae bonâ fide promittet, et litteras patentes ſub ſuo, et ipſius fratris ſui Regis dabit ſigillis, quod omnia bona et jura, quae Eccleſia Colonieñ. habuit et poſſedit â tempore Reinoldi, Philippi, et aliorum Archiepiſcoporum hucusque, et quae temporibus ipſius Dñi Richardi, cum ipſe Domino annuente regnaverit, acquiſierit Colonieñ. Archiepũs beato Petro et Eccleſiae Colonieñ., tuebitur bonâ fide, et contra quemlibet invaſorem defendet potenter et patenter. Item litteram ſuam dabit patentem,

quod omnem offenſam et rancoris materiam, quam Dnus Petrvs Capvcivs Card^lis, ſive Curia Rom. habent contra ipſum Colonieñ. Archiepiſcopum, ipſe R. in Regem Romanorum promotus deponet infra feſtum Pentecoſtes; quod ſi non fecerit, dabit Archiepiſcopo duo milia marcharum ſterlingorum tredecim ſolidis et quatuor denariis pro marcha qualibet computatis; et ipſe Archiepiſcopus conveniet cum praedictis, ſicut poteſt. Et pro hac ſummâ pecuniae ipſe R. ſe per ſuas patentes litteras obligabit, et nichilominus ipſe R. ipſum Archiepiſcopum non derelinquet durante diſcordia: et ſi ipſe Archiepiſcopus infra dictum feſtum Pentecoſtes, vel poſt compoſuerit pecuniâ mediante, hanc ipſe R. ſibi refundet. Item dabit litteras ſuas patentes ipſi Archiepiſcopo, quod officiales ſ. juſtitiarios, quos ipſe Dnus R. in Regem promotus voluerit infra Moſellam, Aquisgranum, et Tremoniam ordinare, de conſilio et voluntate ipſius Archiepiſcopi idoneos ordinabit. Item, ſi quos nobiles, milites, ſive cives ad haec expedientes dictus R. in auxilium ſibi requirere voluerit, illos de voluntate et conſilio ipſius Archiepiſcopi, et Iohannis de Avesnis acquiret. Item, quia ipſe Archiepiſcopus propter praeſens negotium labores non modicos, et expenſas habuit, et habere continget, Dnus R. ipſius liberalitatis obſequium reſpiciens, ipſi Archiepiſcopo infra octavam Epiphaniae proximè nunc futuram in ſuo periculo apud civitatem Colonieñ. octo milia marcharum ſterlingorum, tredecim ſolidis et quatuor denariis pro marca qualibet computatis, dabit et aſſignabit eidem. Item mille marcae ſterlingorum, tredecim ſolidis et quatuor denariis pro marchâ, deponentur apud Magiſtrum Andream Scolaſticum Eccleſiae S. Severini Colonieñ. infra vigiliam ſeu diem Nativitatis Domini nunc inſtantem, et dabuntur obſides pro duobus milibus marcis ſterlingorum, in computatione conſimili marcae magnae, in hunc modum, quod ſi ipſe R. infra octavam Epiphaniae regni ſuſceptionem tenuerit, vel ſi ipſe horum trium, vide-

licet Maguntinensis, Coloniensis, et Comitis Palatini Rheni non fuerit electione contentus, ipse Colonieñ. Archiepiscopus pro laboribus et expensis ante habitis mille marcas apud ipsum Scolasticum depositas retinebit, et obsides jacebunt, quousque duo milia marcarum fuerint persoluta. Si autem intromiserit se de regno, illae marcae computabuntur in solutionem octo milium marcarum. Quod si ipse ante diem electionis non renuerit regni susceptionem, et per ipsum Coloniensem electus fuerit, tenebitur ad solutionem septem milium marcarum, non obstante, si ille postmodum renuerit ipse regnum. Pro duobus autem milibus marcarum solvendis juraverunt dare obsides Dnus Episcopus Cameracen. et Dnus Iohannes de Avesnis, filium Dni de Mortavia, et ipse I. filium suum proprium in Arcocisitere Domini apud Bonnam ipsos praesentandum, et nichilominus pro eisdem duobus milibus in crastino Epiphaniae Bonnam, non moraturus ipse Cameraceñ. Episcopus intrabit, et ipse Iohannes, postquam de Anglia redierit, intrabit, non moraturus, locum ipsum. Dabunt etiam praefati Episcopus et Iohannes, et dare juraverunt in ejusdem Epiphaniae crastino obsides alios, hos videlicet, Dnum Baldvinvm de Avesnis, Iacobvm de Bailliolo, Aegidivm de Blammont, quos similiter Bonnam praesentabunt, et cum primis duobus obsidibus tenebuntur ibidem pro quinque milibus marcarum, et nichilominus primi duo obsides, postquam ipse R. electus fuerit, cum aliis tribus tenebuntur pro totâ summâ, videlicet septem milibus marcarum. Insuper ipse Cameraceñ. Episcopus, et Iohannes, jacebunt ut fidejussores cum omnibus obsidibus praenominatis, et ita jacebunt, quousque ipsa septem milia marcarum fuerint dicto Archiepiscopo persoluta. Item, si praefatus Rex infra supradictam octavam Epiphaniae regni susceptionem renuerit, ut superius est praetactum, ipse Colonieñ. Archiepiscopus habitis nichilominus et pagatis sibi tribus milibus marcarum ab ipsius R. obligatione

penitus liber erit et quitus. Item consilio ipsius Archiepiscopi dabuntur quadringentae marcae; et haec et alia omnia, quae promissa sunt hominibus ipsius Archiepiscopi tam clericis quam laycis, infra octavam Epiphaniae persolventur eisdem, et pro eis erunt obsides et fidejussores nichilominus obligati; et, si aliquis fidejussorum et obsidum decesserit, vel fuerit infirmatus, alter ponetur aeque bonus. Nos praenominati NICHOLAVS dei gra Cameraceñ. Episcopus, et IOHANNES DE AVESNIS omnia superius enarrata juravimus nos fideliter servaturos, et ea confitemur nos pro ipso Dno nostro R. de Anglia promisisse, omni dolo et fraude exclusis, in signum et testimonium hanc litteram dantes ipsi Archiepiscopo, signatam nostrorum munimine sigillorum. Actum et datum apud LVDENDORPE, Anno Dni M. CC. LVI.° feria sexta post festum Luciae.

(Adp. sig. Episcopi Cameracen. habens in dorso contrasigillum.)

II.

Ricardus Comes Cornubiae ratificat pacta et promissa, suo nomine á Ioanne de Avesnis cum Conrado AEpo Colon. inita.

Omnibus, ad quos praesens scriptum pervenerit, R. Comes Cornub. aeternam in Domino salutem. Noverit Vniversitas vestra, nos bonâ fide promisisse, ac firmiter promittimus et constanter, quod omnes pactiones et conventiones, quas nobilis vir Dnus IOHANNES DE AVESNIS fecit cum venerabili patre CVNRADO dei gra sanctae Colonieñ. Ecclesiae Archiepiscopo super promotione nostrae electionis, prout in litteris IOHANNIS praedicti patentibus plenius continetur, inviolabiliter observabimus, et faciemus observari, et ipsas, quam citò in Regem Romanorum promoti fuerimus, faciemus sigillo nostro Regio

confirmari, excepto hoc articulo, quod terminum pacis faciendae inter Dn̄um Archiep̄um, et Dn̄um Petrvm Caboth Cardinalem, nobiles viri Walleramvs frater Comitis Iuliacen̄. Fretthericvs de Sleda, Mag̃r Theodericvs Scolaſticus Bunn̄en. usque ad Aſſumptionem ſanctae Mariae ad petitionem noſtram prorogarunt, et hoc honus in ſe gratis ſuſceperunt. In cujus rei teſtimonium Dn̄us Rex Angliae illuſtris frater noſter praeſenti ſcripto, ſigillo noſtro ſimiliter roborato, ſigillum ſuum appoſuit. Datum London, XXVI. die Decembr. Anno gratiae M. CC. L. ſexto. —

(Adp. grande ſigill. exhibens in adverſâ parte Regem ſedentem, dexterâ gladium, ſiniſtrâ ſceptrum tenentem; — in averſâ verò Regem equitem, dexterâ gladium, ſiniſtrâ ſcutum tenentem; inſcriptione confractâ. Alterum ſigill. parvum exhibet leonem in ſcuto, globulis circumcircà ornato in peripheria, cum inſcript. ✠: S̄ *ſecreti: comitis: Ricardi* ✠: cerae viridi impreſſum.)

III.

Idem, Rex factus, eadem ratificando confirmat.

Ricardvs dei gr̄a Romanorum Rex ſemper aūgs. Vniverſis praeſentes litteras inſpecturis gratiam ſuam, et omne bonum. Noverit Vniverſitas veſtra, nos bonâ fide promiſiſſe, ac firmiter promitto ac conſtanter, quod omnes pactiones et conventiones, quas venerabilis N. Cameracen̄. Epiſcopus, dilectus Cancellarius noſter, et nobilis vir Ioannes de Avesnes dilectus fidelis noſter, cum venerabili C. Colonien̄. Archiep̄o, dilecto Principe noſtro fecerunt ſuper promotione noſtrae electionis, prout in eorundem Epiſcopi, et nobilis, et noſtris litteris patentibus ſuper hoc confectis plenius continetur,

inviolabiliter obſervabimus, et faciemus firmiter obſervari. In cujus rei teſtimonium praeſens ſcriptum exinde conſcribi, et ſigillo Majeſtatis noſtrae juſſimus communiri. Dat. Coloniae III. Idus Iunij, Indict. XV. anno regni noſtri primo.

IV.

Ricardus R. R. Engelberto AEpo Colon. transmittit abſenti feuda ſua Regalia, praeſtito per procuratorem ſibi juramento fidelitatis.

Ricardvs dei gra Romanorum Rex ſemper augs. venerabili Engelberto Colonien. Electo, dilecto Principi ſuo gram ſuam, et omne bonum. Licet principalium Eccleſiarum Regalia, quae ipſis à piorum Imperatorum et Regum Roman. munificentia ſunt indulta, non multum hactenus conſueta ſunt recipi vel concedi, niſi recipiens per perſonae etc. (ut in litteris *ad Vaſallos Colon.* ap. *Lünig*, Spic. Eccleſ. usque ad verb. *in hoc parcere*) tuis laboribus et ſumptibus decens eſſe, honorabilium etiam virorum Decani et Capituli, et nobilium porrectis pro te nobis precibus inclinati, et noſtro ac tuo Notario, tuoque ſpeciali procuratore ac nuntio ad hoc per tuas patentes litteras ſpecialiter conſtituto pro te nobis in animam tuam praeſtito fidelitatis nobis debitae juramento, tibi, cum ſicut ex etc. (ut in aliis litteris, mutat. mutand.) libere gaudeas et utaris, acſi ea de manu noſtra cum ſceptro Regio recepiſſes etc. — In cujus rei teſtimonium praeſentem litteram tibi transmittimus, noſtro ſigillo Regio communitam. Datum London IX. die Novembr. Indict. V. regni noſtri anno quinto.

V.

Vt Comes Iuliac. AEpo Colon. indilatè ſolvat 2000 marcas Aquens.

Ricardvs dei gra Romanorum Rex ſemper augs. Nobili viro W. Comiti Iuliaceñ. dilecto fideli ſuo gram ſuam et omne bonum. Neceſſitatibus et diſpendiis venerabilis C. Colonieñ. Archiepi, kariſſimi Principis et affinis noſtri benigno compatientes affectu, fidelitati tuae diſtricte praecipimus, et mandamus firmiter et praeciſe, volentes, quatinus, ſicut gratiam noſtram diligis et favorem, noſtrumque affectas commodum et augmentum, de pecunia, in quâ nobis teneris, duo milia marcarum Aquens. eidem Archiepiſcopo, vel ſuo certo nuntio ſine aliqua difficultate perſolvas, vel de tanta ſumma pecuniae de debito, in quo tibi tenetur, ipſum Archiepum et ſuos fidejuſſores abſolvas; nos enim de praedicta quantitate pecuniae, quam ſibi perſolves, vel abſolutum dimittes, nobis gratiſſime reputabimus ſatisfactum. Vnde facta ſolutione hujusmodi, reſerves tibi has litteras in teſtimonium veritatis. Datum Craneborg, XIII. die Septembr. Indict. XIIII. regni noſtri anno XV.° —

(Adp. ſig. reg. cerae rubrae impreſſ.)

ALBERTI I. R. R.

VI.

Recognitio mutui, — et oppignorationis caſtri N.

Nos Albertvs dei gratia Romanorum Rex ſemper auguſtus, recognoſcimus publice profitentes, nos N. in centum marcis argenti puri Wienneñ. ponderis, et in centum talentis denariorum monetae Wienneñ. cauſa mutui rationabiliter obligari; pro quo quidem debito eidem N. caſtrum noſtrum dictum N. obligamus, poſſi-

dendum tamdiu et tenendum, donec idem castrum ab ipso N. aut uxore, si dictum N. praemori contingerit, per nos aut successores nostros pro memorata pecunia redimatur; dantes has litteras sigillo nostro munitas in testimonium evidens super eo.

VII.

Recognitio mutui, ergà Com. de Marka.

Nos Albertus etc. publice profitemur, et recognoscimus per praesentes, nos viri spectabilis E. Comitis de Marka, fidelis nostri dilecti, pro sumptibus et expensis factis et contractis per ipsum ratione commissionis factae sibi de terrâ Westphaliae per divae recordationis Dominum Rudolfum Rom. Regem, genitorem et praedecessorem nostrum, in mille sexcentis marcis ([a]) pagamenti, tribus hallensibus aestimatis vel taxatis pro denario, existere debitores; dantes has litteras in testimonium super eo.

VIII.

Recognitio mutui, — et oppignoratio Dortmund, Westhoven, Elmhorst, et Brackel, Comiti de Marka facta.

Nos Albertus etc. recognoscimus, universis tenore praesentium declarantes, quod nos viro spectabili N. fideli nostro dilecto pro benivolentia, et gratis, quae nobis et Imperio impendit, obsequiis, in mille marcis pagamenti ex liberalitate Regiâ debitores existimus, et insuper eidem ratione obsequiorum, quae quondam Regi Adolfo versus Misnam exhibuit, in quadringentis marcis praedicti pagamenti, tribus hallensibus aestimatis et taxatis pro denario, obligamur; pro quibus quidem

(a) Deest: *denariorum, Coloniensis* —.

mille quadringentis marcis dicto Comiti curias N. titulo pignoris aſſignamus, tenendas per ipſum tamdiu, donec ipſi Comiti, vel ſuis heredibus dicta pecunia per nos, vel ſucceſſores noſtros in Regno, vel in Imperio Rom. plenarie fuerit perſoluta. Quodſi dictus Comes per nos aut ſucceſſores in Imperio de praedictis debitis expeditus fuerit, eaedem curiae ad nos et Imperium liberè revertantur.

IX.

Sententia curiae regiae, ſuper feudis Asſindenſibus.

Nos ALBERTVS etc. praeſentibus recognoſcimus, et ad univerſorum ſacri Rom. Imperii fidelium notitiam volumus pervenire, quod nos litteras Sereniſſimi Domini ADOLFI Rom. Regis, praedeceſſoris noſtri vidimus et legi fecimus, tenorem hujusmodi ſine ſuſpicione aliqua continentes: Nos ADOLFVS dei gratia Rom. Rex ſemper auguſtus, ad Vniverſorum notitiam volumus pervenire, quod nobis Anno Dn̄i M.CC. nonageſimo. VII. ſexta feria ante diem beati Galli apud SINZECHE pro tribunali ſedentibus, ex parte venerabilis Abbatiſſae et Capituli ſaecularis Eccleſiae ASSINDEN̄. fuit requiſitum in ſententia coram nobis: Si aliquis Vaſallus vel Miniſterialis habens feoda ab ipſa Eccleſia, ſi non habeat heredes aſcendentes, vel deſcendentes, aut fratres, vel filios fratrum, poſſit ipſum feodum libere donando, vel legando ipſi Eccleſiae reportare? et fuit per ſententiam omnium aſſiſtentium conſiſtorio noſtro concordem obtentum, quod Vaſallus ipſe, dummodo feodum hujusmodi non pro indiviſo cum aliis poſſideret, feodum ipſum donandi vel legandi ipſi Eccleſiae habeat poteſtatem. In cujus rei teſtimonium praeſentes litteras fieri fecimus, noſtrae Majeſtatis ſigilli munimine roboratas. Datum apud N. Anno Dn̄i N. die N. regni noſtri anno N. — Nos ſententiam praedictam, ſicut rite, juſte,

et provide lata eſt, ratam et gratam habentes, ipſam auctoritate regiâ confirmamus, innovamus, approbamus, ac praeſentis ſcripti patrocinio communimus. In hujus igitur innovationis, approbationis, et confirmationis noſtrae teſtimonium praeſentes litteras ſcribi, et Majeſtatis noſtrae ſigillo juſſimus communiri. Datum etc. —

X.

Conventio Henrici Com. Lucemburg. cum Archiepiſcopo et Eccleſia Maguntin. ante electionem ſuam in Rom. Regem. 1308. *(Ex autentico.)*

Nos HEINRICVS dei gratia Comes de Luzzelenborg, Deum, juſtitiam, aequitatem, nec non fidelem diligentiam, et devotionis puriſſimae conſtantiam, quam venerabilis Pater et Dominus noſter, Dominus PETRVS, Sanctae Maguntin. Sedis Archiepiſcopus, ſacri Imperii per Germaniam Archicancellarius circa nos et noſtri exaltationem habet, et habuit cum effectu, noſtrae conſiderationis oculis proponentes, promittimus fideliter, immò ſponte ac liberaliter nos per fidem noſtram loco juramenti praeſtitam obligamus, quod ſi forte divina providentia diſponente ad faſtigium ſive culmen regiae Majeſtatis' Regni Romani provehi nos contingat, ea, quae inferius ſunt contenta, propter cauſas juſtas, veras, et notorias, quae in ipſis eſſe noſcuntur, conſervabimus, manutenebimus, et ad plenum effectum Deo propitio perducemus, cartulam etiam hujus dignae promiſſionis, ac juſtae obligationis noſtrae, mox ſine morae diſpendio faciemus typario regalis excellentiae ad robur validius conſignari. Inprimis Eccleſiam ſanctam Dei, et ſpecialiter Eccleſiam Maguntin. per omnia membra ſua tam in ſpiritualibus, quam temporalibus, civitatis, dyoceſis, et provinciae Magunt. defenſabimus fideliter, conſervabimus, et manutenebimus efficaciter in omnibus ſuis juribus, honoribus, libertatibus, bonis, poſſeſſionibus, privilegiis et gratiis ſibi datis et factis à di-

vis Imperatoribus et Rom. Regibus. Item gratias et privilegia hujusmodi confirmabimus et innovabimus, ficut jacent, de verbo ad verbum, per litteras fpeciales, figillo regio confignandas. Item, ipfum Dominum Archiepifcopum, fucceffores fuos, et Ecclefiam Maguntin. praedictam pro toto poffe noftro fine dilatione adjuvabimus cum effectu, etiam perfonaliter, fi fuerit hoc neceffe, contra quoslibet injuriatores, temerarios offenfores, turbatores ipforum, et fpecialiter contra cives Maguntin. et Burgenfes Erfordenfes, ad juftitiam optinendam ab ipfis, et injuriam propellendam, quando, et quotiens fuper eo fuerimus requifiti. Item, caufas Ecclefiafticas nullo modo alibi, nifi coram fuis judicibus, permittemus tractari feu decidi. Perfonas etiam Ecclefiafticas pro quacumque caufa non alibi, nifi coram fuis judicibus permittemus aut fuftinebimus conveniri, feu etiam judicari. Item theloneum in LOYNSTEIN, quod propter caufas certas, veras, et juftas inftitutum dinofcitur, et traditum Ecclefiae Magunt. per divae memoriae Reges Romanorum laudamus ex certâ fcientiâ, et ex fuperhabundanti confirmabimus et innovabimus eidem. Item opidum SELIGENSTAD, et Comitatum BACHGOWE, propter veritatem, opinione cedente compertam, et juftitiam expeditam clare dicimus et publice declarabimus ad praefatam Ecclefiam Magunt. fine dubio pertinere. Item, fpecialem praerogativam, quam habet, et habere debet fuper minifterialibus et caftrenfibus Ecclefiae Maguntin. non trahendis in jus coram aliquo faeculari judice, nifi prius coram Archiepifcopo Magunt. Domino fuo conveniantur, et ibi jus deficiat, pro quacunque caufâ, confervabimus inviolabiliter, et ab aliis faciemus fimiliter confervari. Item confervabimus et manutenebimus eum, et Ecclefiam fuam praedictam in juribus, honoribus, et dignitatibus, et utilitatibus univerfis Archicancellariae facri Imperii per Germaniam, et fpecialiter in Cancellario, Prothonotario, et Notariis inftituendis et deftituendis in aula regia per eundem,

qui ſibi loco et vice noſtri pro obedientia, reverentia, et fidelitate debita obſervanda facient juramentum, et in decimâ ſibi et Eccleſiae ſuae debita de ſturis, exactionibus, ſive obventionibus Iudaeorum, ac aliis, quae de Curia Regia cedere ſibi debent intuitu Archicancellariae praedictae. Nullum etiam in hiis, vel aliquo praemiſſorum, ſeu aliis ſuis juribus impedimentum quomodolibet faciemus per nos, aut alios, clàm vel palàm, aut fieri ab aliquo vel aliquibus permittemus. Item dampna, quae felicis memoriae Dnus Rex Albertus intulit per violentiam Eccleſiae Magunt. quorum taxationem et refuſionem gratiae noſtrae commiſit, quamvis excedant notorie ſummam centum milium marcarum argenti, ſecundum aequitatem refundemus eidem, ut commodius, utilius, ac libentius valeat Imperio deſervire. Item expenſas, quas ſaepedictus Dominus PETRVS faciet ad ſollempnia ſive neceſſaria electionis et promotionis noſtrae, ſibi abſque morâ integraliter perſolvemus. Item ſine difficultate qualibet dimittemus ei theloneum apud caſtrum ERENVELS, donec de ipſo à tempore creationis noſtrae recipiat integraliter et completè decem milia librarum halten. quas praefatus Dnus Rex ALBERTVS ſibi dare debuit et promiſit pro ſervitio, quod fecit ſecum eundo in Reyſa ad partes Bohemiae, et duo milia marcarum argenti, in quibus idem Dnus Rex ALBERTVS ſibi remanſerat obligatus, ſuasque deſuper dedit litteras manifeſtas, in quibus cauſa hujusmodi debiti continetur, nec non mille marcas, quas ſubtraxit Eccleſiae Magunt. in ungelto et Iudaeis in Franckenfort in proxima vacatione ipſius Eccleſiae Magunt. in cujus pecuniae receptione usque ad completam et perfectam ejus ſolutionem, eum ſuae conſcientiae relinquemus. Inſuper ipſi Dno PETRO efficax et fidele adjutorium faciemus contra nobilem virum . . Comitem de monte forti, dictum de SANGANS, et ſuos complices, qui eum per injuriam captivavit, exactionavit, et dampnificavit ad octo milia marcarum argenti, et laborabimus cum effe-

ctu ad hoc, ut emenda et ſatisfactio debita de Comite praedicto ſuisque complicibus ſibi fiat. Item cavebimus, et etiam defendemus eundem, ne aliquis ipſum, vel Eccleſiam ſuam praedictam inpignoret vel moleſtet pro debitis à praedeceſſoribus ſuis contractis, aut quibuslibet cauſis aliis, niſi prius coram ſuo judice ſit convictus deſuper. Caeterum ſpecialiter promittimus, et nos firmiter obligamus, quod deponemus per noſtram diligentiam, et tollemus omnem indignationem ſedis apoſtolicae, ſiquam forte idem Dominus Archiepus propter factum electionis ſeu promotionis noſtrae jam incurrerit aliqualiter, aut incurret, de quo ipſum et Eccleſiam ſuam conſervabimus indempnes omninò; quaeſtiones etiam, ſeu controverſias, ſiquae propter hoc fuerint ſibi motae, ſub noſtris laboribus et expenſis ad finem et exitum perducemus pro ipſo. Item, ubi compoſitio inter dictum Dnum Albertvm, ac piae recordationis Dnum G(erhardum) quondam Archiepum Maguntin. et ſuos ordinata non eſt completa, ipſam complebimus, et compleri totaliter faciemus. Item prohibebimus efficaciter, nec aliqualiter permittemus homines Eccleſiae Magunt. recipi in civitatibus, opidis, ſeu caſtellis ad Imperium pertinentibus in Burgenſes, qui Palbvrgere volgariter appellantur. Item, de quolibet articulo praemiſſorum omnium dabimus litteram ſpecialem, ſigillo regio conſignandam, quando et quociens ſuper eo fuerimus requiſiti per Dnum Archiepum praedictum, aut Eccleſiam Maguntin. Praeterea ſpecialiter et expreſſe confirmabimus et innovabimus ipſo Dno Archiepo et Eccleſiae Maguntinae inter continentia litterarum ſibi à Romanis Regibus traditarum, ſuper Vngelto et Iudaeis in Franckinfort. Inſuper intuitu dilectionis et merae liberalitatis, quibus ergà ipſum Dnum Archiepiſcopum digne ducimur et movemur, tria milia marcarum argenti pro ipſo in Romanâ Curiâ mox ſolvemus. Omnes etiam ſuos conſanguineos et amicos defenſabimus, promovebimus et manutenebimus, ad honorem et profectum eorum

cunctis diebus vitae noſtrae; ut in hiis et aliis, quibus ſibi et ſuis volumus complacere, meritorum ſuorum ſinceritas, fidei puritas et conſtantia felixque ſui memoria jugiter in noſtris oculis habeatur. Renuntiamus autem omnino exceptioni doli mali, actioni in factum, non numeratae, non traditae, nec ſolutae pecuniae, et generaliter et ſpecialiter quibuslibet exceptionibus, auxiliis, et defenſionibus, etiam de quibus mentio ſpecialis fieri deberet, quibus haec noſtra promiſſio, et obligatio, ſive cautio impediri ſeu impugnari poſſet quomodolibet, aut infringi. Et in omnium et ſingulorum praemiſſorum certitudinem firmiorem, ſigillo noſtro praeſens ſcriptum fecimus conſignari. Actum et datum Rense, Anno Dn̄i M. CCC. VIII.° — V.° Kalend. Novembr. —

(Adp. ſigillum illaeſ. exhibens Henricvm equitem, dexterâ gladium vibrantem, ſiniſtrâ ſcutum, cui leo impreſſus, tenentem.)

XI.

Promiſſio Henrici Com. Luzelburg. facta AEpo Colon. in caſum, ſi eligi eum in Ro. Regem contingeret.

Nos Henricvs Comes Luzelburgeñ. notum facimus univerſis, quod ſi contingat, nos per reverendum patrem Dominum noſtrum, Henricvm dei gr̄a Archiepiſcopum Colonieñ. et alios ejus coëlectores eligi et praefici in Romanorum Regem, promiſimus et promittimus ſtare dictis et ordinationi ipſius Domini Archiepiſcopi quoad dictos ejus coëlectores ſuper expenſis, quas in hujusmodi electione fecerint, et aliis, quae â Romano Imperio juſte poſſident, tenent, poſſidere et tenere debent, nec contra ejus dictum ſeu ordinationem per nos vel per alium veniemus in futurum. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum praeſentibus litteris duximus apponendum

Datum Anno Dnī M.° CCC.° VIII.° in vigilia b^ti Matthaei Apoſtoli.

(Adp. ſigillum equeſtre cum contraſigillo, leonem exhibente.)

XII.

Albertus Dux Saxoniae etc. promittit, ſe in electione Regis imminente ſtiturum ex parte AEpi Colonieñ.

Vniverſis praeſentes litteras viſuris et audituris, Nos Albertus Dux Saxoniae, Angariae, et Weſtphaliae notum facimus, quod promiſimus, et promittimus per praeſentes bonâ fide, quod vacante hiis diebus Regno Romanorum ex morte inclytae memoriae Dnī Alberti Romanorum Regis, in electione futuri Regis Romanorum, noſtro, et illuſtris principis Iohannis fratris noſtri, qui vices et poteſtatem ſuam in hac electione per ſuas patentes litteras in nos transfudit, nomine, cum venerabili in Xpo patre Dno Henrico Colinieñ. Archiepiſcopo, de cujus promotione et favore confidentiam gerimus ſpecialem, remanebimus, votum noſtrum in eum, quem ipſe in Regem Romanorum eligendum duxerit, et non alium, irrevocabiliter dirigendo. In hujus rei teſtimonium praeſentes litteras ſibi tradidimus, noſtri ſigilli munimine roboratas. Datum die dominica poſt feſtum b. Petri ad vincula, Anno Dni M°. CCC°. octavo.

(Adp. ſigill. prorſùs illaeſum.)

XIII.

Idem promittit Otto Marchio Brandenburg.

Vniverſis praeſentes litteras viſuris, Nos Otto dei gra Marchio Brandenburgeñ. et de Landisperg Dominus, notum facimus, quod univerſalis ſacroſanctae Eccle-

ſiae, nec non ſacri Ro. Imperii ſeu Regni ad praeſens ex morte inclitae memoriae Dni Alberti quondam Rom. Regis vacantis, quoad electionem concordem de futuro Romanorum Rege celebrandam, ex qua quidem concordia toti orbi ſalus et honor, nobisque ac aliis terrae principibus et magnatibus poterit provenire, utilitatem et honorem, prout nobis ex alto promittitur, provide attendentes, cum venerabili in Xpo patre et Domino Henrico Sanctae Colonieñ. Eccleſiae Archiepiſcopo, conprincipe noſtro kariſſimo, tam contemplatione perſonae ſuae, quam varietate virtutum, et praecipue in hijs, quae ad Reip. ſtatum tranquillum et honorem tendunt, novimus ex fide dignorum teſtimonio multipliciter praefulgere, tum etiam fervidae devotionis, quam circa praefectionem futuri Romanorum Regis, ut talis Rex divina providente gratia, qui praeeſſe valeat pariter et prodeſſe, praeficiatur, reſpectu, ſuper electione de eodem Rege celebrandâ convenimus in hunc modum, videlicet, quod promiſimus et promittimus eidem, quod in praetacti Romanorum Regis ex nunc futuri electione, et ad culmen regni ut praemittitur vacantis promovendi, nos cum eo, et ipſe nobiscum concordes ad invicem, ſic, quod alter noſtrûm ſine altero nihil faciet, remanebimus, et quilibet noſtrûm alterum ad honorem ſtatûs, et perſonae ſuae ſublimitatem et profectum, prout circa praemiſſa occurrere poterunt, promotione mutuâ, bonâ fide fideliter promovebit; nam in ipſo Archiepiſcopo, tanquam in auctore fidei noſtrae ſecurè quieſcimus, ſuumque oonſilium et promotionem in hoc arduo negotio dignè requirimus, maxime cum ad hoc ſua, ut novimus, verſetur intentio, quod â noxiis univerſalis Eccleſiae Deo propitio praeſervetur, et per promovendi in Rom. Regem ſtudia, ſacrum Imperium exaltationis debitae, et votiva ac felicia ſuſcipiat incrementa. In horum teſtimonium atque fidem praeſentes litteras tradidimus ipſi Archiepiſcopo, noſtri ſigilli munimine robora-

tas. Datum Anno Dn̄i M°. CCC°. octavo. feria ſecunda poſt beati Iacobi Apoſtoli.

(Adp. ſigill. ovale, cerâ albâ expreſſum, exhibens virum ſtantem, ſiniſtrâ ſcutum cum aquilâ monocephalâ, — dextrâ vexillum tenentem.)

XIV.

Vnio AEporum Mogunt. Trevir. et Colon. de imminente novi Regis electione.

Wir Peder von Gots gnaden Ertzbiſchoffe zu Mentze, vnd Erzcanczeller des Romeſhen Riches ouer Dutſchelant erkennen vns, vnd dun kunt allen den, die dieſen Brief horent leſen, daz wir mit dem Erbern Herrn vnd Vedern, Hern̂ Baldewin von Trieren, vnd Hern̂ Heinrich von Colne Ertzebiſchofen, vnd ſie mit vns vberkomen ſint, vnd vnſer iclicher dem andern globet hait in guden truwen ane argeliſt, daz vnſer iclich des andern allerbeſt warnen ſal, wo er mag, ader kann, als verre, als er vmmer von Eren vnd Beſcheidenheit getun mag; vnd mag auch vnſer iclich deme Herren, den er gekorn hait zu Romeſhen Konige, beholfen ſin nach ſiner Muge, alſo doch, daz vnſer dekeiner an den Dingen wieder den andern ichts entue an allen den Veſten ader Gude, dar wir dry inne ſitzen, vnd itzund inne haben; vnd quemes alſo, daz der zweyer, die dan gekoren ſin zu Konigen, einer ein mechtig Koning blieue, vnd vor vore an dem Riche, ſo ſolen die, die den gekorn hant, ader der in gekorn hait, alle ir beſte, vnd alle ir Macht getruwelichen darzu tun, daz die, die den andern gekorn hatten, ader der, der den andern gekorn hait, by eren, vnd ſins Geſtiffts eren blieben ader bliebe. Wer ouch, daz vnſer yenes Mage, ader vnder vnſer . . . dry vnſer gein wider des andern Mage Crieg haben wulde, ſo ſulden die andern

zwene vnder vns dryen Macht han, den Crieg hinzulegen, vnd zu berichten, alſe recht iſt, vnd ſollent die zwene daz in dry Maenden tun von der Zyt, daz in das gekundigt wirt von den, die der Crieg anegeyt. Wer aber, daz vnſer zweye Man, Burcman, Dinſtman, Burger, Lude, ader Vndertanen mit eynander Criege haben wulten, ſo ſall der dritte vnter vns dryen deſſelbes Crieges Macht han zu berichtene vnd hinzulegene, als dar vor geſhrieben ſtet. Iz ſullen ouch alle die gelobde vnd Brieue, die wir vor vber den Lantfriden gedan vnd gegeben han, ſtet vnd veſte blyben, alſe ſie beſhrieben vnd beſigelt ſin; vnd han zu eyme Vrkunde der vorgeſhrieben Ding vnſe Ingeſigel an diſen Brief gehangen. Daz geſhach zu Covelentze, do man zalt von Godes gebort Drutzeinhundert Jar, in dem achten Jare, an ſunte Bartholomeus avont des Apoſtelen.

(Adp. ſigill. confractum.)

XV.

Waldemarus Marchio Brandenb. tutorio nomine ſe obligat, ſecuturum ſe partes Henrici Colon. AEpi in electione novi Rom. Regis.

Nos Waldemarus dei grā Marchio Brandenburgeñ. Luſatiae, et de Landesberge, et tutor inclyti Marchionis Iohannis, notum facimus vniverſis, et praeſentibus proteſtamur, quod ob ſpecialis dilectionis judicium, quod hactenus habuimus, et habemus cum venerabili in Xpo Patre ac Domino Henrico Sanctae Colonieñ. Eccleſiae Archiepiſcopo, concordavimus, et concordamus cum eodem ſuper electione Regis Romanorum, ipſo regno ad praeſens ex morte recolendae memoriae Dni Henrici Romanorum Imperatoris vacante, celebrandâ; quod promiſimus, et promittimus eidem, quod cum ipſo, et ipſe nobiscum ſimul in hoc ſtando, unam perſonam in Romanorum Regem eligendam eligemus, nec nos ſine ipſo,

X 2

nec ipſe ſine nobis ultra hoc aliud faciemus, ſeu faciet in hac parte, hoc adjecto, quod nos ipſius in ipſa electione utilitatem, profectum pariter et honorem in hijs, quae perſonam ipſius Dni Archiepiſcopi contingunt, apud Regem Romanorum creandum procurabimus pro noſtrâ poſſibilitate in omnibus bonâ ſide, quod et ipſe Dnūs Archiepiſcopus ſupradictus nobis in conſimilibus faciet vice verſâ, et itidem Principi jus in electione Regis Romanorum habenti, ſi quem ſibi hac parte nobis et ſibi adhaerere volentem attraxerit, modo conſimili ad dicti Dni Heinrici Colonieñ. Eccleſiae Archiepiſcopi ſaepedicti ordinationem facere promittimus, et procurare, fraude et dolo, ac omni verſutiâ penitus in hijs ceſſantibus et excluſis. Vt igitur omnia ſupraſcripta rata maneant, et penitus inconvulſa, praeſentem litteram fecimus noſtri ſigilli munimine conſignari. Datum et actum ſub anno Incarnationis Domini Milleſimo, Trecenteſimo, tertio decimo. Quartodecimo Kalñ. menſis Decembris, quae dies fuit octava bi Martini Epiſcopi.

(Adp. ſig. exhibens virum ſtantem, ſcutum aquilâ inſignitum dexterâ, — vexillum ſiniſtrâ tenentem, cerae albae impreſſum.)

XVI.

Vnio Henrici AEpi Colon. et Rudolfi Com. Pal. Rheni, Duc. Bavar. ſe eligere nolle Iohannem Regem Bohemiae in Rom. Regem.

Vniverſis praeſentes litteras inſpecturis, Nos Henricus dei gra ſanctae Colonieñ. Eccleſiae Archiepiſcopus, ſacri Imperii per Ytaliam Archicancell. et Nos Rudolfus eadem gratia Comes Palatinus Renī, Dux Bauariae, notum facimus, quod ad invicem mutuò promittimus alter noſtrûm alteri ſide praeſtita corporali, quod nullus noſtrûm in hac Romanorum Regni vacatione, ex morte

Dni Henrici Romanorum Imperatoris, illuſtrem Principem, Dnum Iohannem Regem Boëmie in Regem eliget, ſeu in eum eligendum conſentiet, cum veriſimiliter propter defectum aetatis, quem patitur, electio in perſonâ ſuâ celebranda de jure caſſari poſſet, et ſic per conſequens jus noſtrum eligendi Regem Romanorum perderemus iſta vice; ad quod evitandum concordavimus in praemiſſis. Nos etiam Archiepiſcopus Colonieñ. praedictus promittimus Domino Duci, quodſi contingat, nos alium Regem eligere, quam illuſtrem Ducem Auſtriae, quod bonâ fide ad hoc laborabimus, ut eadem tam pro expenſis ſuis, quam aliis, quae pro ſe petiverit fieri idem Dux ab ipſo Friderico, et quae ipſe Fridericvs eidem feciſſe debuiſſet, ab alio per nos in Regem eligendo, modo ſimili conſequatur, ſecundum litterarum ſuarum continentiam, quas ſuper hoc habet à Duce Auſtriae ſupradicto; ita tamen, quod ante celebratam electionem ſibi ſuper hoc ſufficiens cautio praebeatur; fraude et dolo in hijs excluſis. In cujus rei teſtimonium Nos Henricvs Archiepiſcopus, et Rvdolfvs Dux praedicti, ſigilla noſtra duximus praeſentibus apponenda. Datum in Bacharaco, die Dominica ante Aſcenſionem Dni, anno ejusdem Milleſimo, Trecenteſimo, quarto decimo.

(Adp. 2 ſigilla prorſus illaeſa.)

XVII.

Procuratorium Rudolfi Com. Pal. Rh. Duc. Bav. pro Henrico Ep. Gurcenſ. ad inſtantem Rom. Regis electionem.

Reverendis in Xpo Patribus et Dominis ſuis, Petro Maguntin. per Germaniam, Heinrico Colonieñ. per Ytaliam, Baldewino Trevereñ. per Galliam, ſanctarum ſedium Archiepiſcopis, et ſacri Imperii Archicancellariis, nec non omnibus Conprincipibus et Coëlectoribus ſuis,

Rvdolfvs Dei gra Comes Palatinus Reni, Dux Bauariae, paratam ad quaevis beneplacita voluntatem. Quia instanti electioni de Romanorum Rege faciendae, causis legitimis et necessariis impediti, non possumus personaliter interesse, vestrae reverendae Paternitati praesentibus innotescat, quod reverendo in Xpo Patri et Dno Henrico venerabili Episcopo Gurcensi per praesentes damus et concedimus plenam et liberam potestatem, nomine meo Regem Romanorum ad praesens, et in praesenti termino cum suis coëlectoribus eligendi, et in eligendum consentiendi, ipsumque constituimus verum et legitimum procuratorem, ad eligendum, ut praedicitur, Regem Romanorum, nec non omnia faciendi nomine praedicto, quae vero procuratori conceduntur â canone vel â lege, etiam quae mandatum quantumcunque exigunt speciale; ratum et gratum habituri, quicquid per ipsum factum vel ordinatum fuerit in praemissis, seu quolibet praemissorum. In quorum omnium evidentiam praesentes sibi dedimus, et vobis transmisimus, sigilli nostri munimine legittime roboratas. Datum in Haidelberch, anno Dni Millo, CCC°. quarto decimo; feriâ quintâ post diem beati Galli.

(Adp. elegans sigill. illaes. equestre, cujus Schema v. ap. *Widder*, Dom. Wittelsbac. Numismat. St. I. S. 23.)

XVIII.

Petrus AEp. Mog. praefigit terminum electionis novi Regis Rom. — Henrico VII. Rege defuncto.

Venerabili in Xpo Patri, Dno Heinrico, Colonien. Ecclesiae Archiepiscopo, sacri Imperii per Ytaliam Archicancellario, P.(etrus) dei gra sanctae Maguntin. sedis Archiepiscopus, ejusdem sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius, sincerrimum animum complacendi.

Cum ad nos, tanquam ad ſacri Imperii per Germaniam Archicancellarium, ipſo ſacro Imperio vacante, in praeſenti pertineat, convocare Principes in electione futuri Rom. Regis jus habentes: Nos cum eisdem Principibus coëlectoribus noſtris, qui praeſentes fuerunt, et cum procuratoribus eorum, qui venire non poterant, apud villam Rense tractatu praehabito diligenti, et de hoc inſtanter requiſito per eosdem, pro communi bono et reip. gubernandis, craſtinum diem bti Lucae Ewangeliſtae proximum, ad eligendum in Frankenfvrd futurum Romanorum Regem, in Imperatorem poſtea promovendum, ex officii noſtri debito aſſignandum duximus, et praeſentibus aſſignamus, quos diem et locum vobis tenore praeſentium intimamus, ut ad praedictae electionis ſollempnia, ſicut ad Vos pertinet, veniatis. Datum apud praedictam villam Rense, anno Dñi Millo, CCC°. quarto decimo. In die bti Bonifacii martyris. —

XIX.

Idem promittit, ſe non pronuntiaturum in cauſâ Electionis novi Rom. Regis, et juris conductûs, controverſâ inter AEpos Trevir. et Colonieñ.

Nos Petrvs dei grā Sanctae Maguntiñ. ſedis Archiepiſcopus, ſacri Imperii per Germaniam Archicancell. recognoſcimus in hijs ſcriptis, quod ratione compromiſſi in Nos per Venerabiles Patres, Dnos Henricvm Colonieñ. et Baldewinvm Treuereñ. Eccleſiarum Archiepiſcopos, ſuper controverſiis inter eos ſubortis facti, non pronuntiabimus aliquid ſuper negotio electionis futuri Romanorum Regis nunc inſtantis, nec ſuper jure conductûs Dñi Colonieñ. Archiepiſcopi antedicti; dantes ſibi ſuper eo noſtras litteras, ſigilli noſtri munimine roboratas. Datum Confluentiae, anno Dñi M°. CCC°. quarto decimo. Idus Auguſti.

(Adp. ſplendidum et illaeſ. *Petri* ſigillum, cer. albâ.)

XX.

Luipoldi Ducis Austriae mandatum AEpo Colonien. datum, tractandi cum Woldemaro March. Brand. super electione Friderici fratris sui in Rom. Regem.

Vniverſis praeſentes litteras inſpecturis, Nos Lvipoldvs dei gratia Dux Auſtriae et Styriae, Dnus Carniolae, Marchiae, ac Portus Naonis, Comes in Habsburg et Kyburg, nec non Lantgravius ſuperioris Alſatiae generalis, notum facimus, quod venerabilibus in Xpo Patribus, Dno Heinrico Colonień. Archiepiſcopo, et Dno Iohanni Argentineń. Epiſcopo damus poteſtatem tractandi et ordinandi cum illuſtri Principe, Dno Woldemaro Marchione Brandenburgeń. de hijs, quae â Rege Rom. nunc creando, pro expenſis, libertatibus, juribus principatûs ſui, et alijs quibuscumque ſibi ſecundum honeſtatis ſuae ſtatum fuerint facienda, promittentes fide noſtrâ praeſtitâ corporali, apud illuſtrem Principem, Fridericvm ducem Auſtriae, fratrem noſtrum, ſi eum in Regem Romanorum eligi et coronari contingat, efficere et procurare, quod, quicquid dicti Archiepiſcopus et Epiſcopus circa praemiſſa ordinaverint, rata habebit atque grata, quodque infra quindenam poſt coronationem ſuam dabit litteras ſuas ſuper eo. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum, una cum ſigillis venerabilis Patris Dni Iohannis Argentineń. Epiſcopi, Vlrici Phirretarum, Ottonis de Strasberg, Rvdolfi de Nydowe, Comitum, ac Ottonis de Ohſenſtein, qui praemiſſis interfuerunt, praeſentibus eſt appenſum. Et nos Iohannes dei gra Epiſcopus Argentineń. Vlricvs, Otto, ac Rvdolfvs, Comites, ac Otto de Ohſenſtein praedicti recognoſcimus, praemiſſa vera, et ſic nobis mediantibus acta eſſe, ſigilla noſtra ad preces illuſtris Principis Lvpoldi ducis Auſtriae praedicti, duximus in ampliorem horum evidentiam hijs litteris appendenda. Actum et

datum in Bacheraco, feriâ quintâ post Inventionem Sanctae Crucis, quae erat VII. Idus Maij, anno Dni Millo, Trecentesimo, quarto decimo. [a]

(Adp. 6 sigilla prorsus illaesa.)

XXI.

Pactum Luipoldi Duc. Austriae, cum Henrico AEp. Colon. super eligendo Friderico Duc. Austr. et Assecuratio AEpi de recipiendâ eo nomine grandi summâ pecuniae.

Vniversis praesentes litteras inspecturis, Nos Lvipoldvs dei gra Dux Austriae etc. (ut in littera praeced.) notum facimus, quod cum venerabili in Christo Patre, Dno Henrico Colonien. Ecclesiae Archiepiscopo, pro illustri Principe Duce Austriae, fratre nostro, de infrascriptis concordavimus in hunc modum, videlicet quod promisimus et promittimus per praesentes, ratione expensarum in electione futuri Romanorum Regis, Regno Romano ad praesens ex morte Dni Heinrici Romanorum Imperatoris vacante, in personam dicti fratris nostri, concedente Domino per ipsum Archiepiscopum faciendâ, dare et persolvere ipsi Archiepiscopo et Ecclesiae suae quadraginta milia marcarum argenti puri et examinati, veri ponderis Colonien. et duo milia pro consiliariis suis, quarum decem in festo b. Petri ad vincula proxime venturo, pro ipso Archiepiscopo, et mille pro consiliariis, et triginta milia residua in festo Nativitatis B. M. V. ex tunc proxime subsequente, et similiter mille pro Consiliariis, praedictum argentum in castrum Crvcenach, Iohanni Comiti de Spanheim attinens, nostris periculis et expensis praesentando dabimus et persolvemus nuntiis ipsius Archiepiscopi ibidem dictum ar-

(a) Aliam chartam hùc spectantem v. ap. *Kindlinger*, Münster'sche Beyträge etc. Th. III. Abth. I. S. 295 fgg.

gentum recipientibus, habentibus ad hoc ab eodem mandatum speciale. Si verò in praedicto festo Nativitatis B. M. V. de summâ dictorum triginta milium marcarum, tunc, ut praedicitur, solvendarum deficerent forsan decem milia, de quibus non satisfecissemus illa vice, de illis inducias habebimus usque ad Dominicam proximam Quadragesimae, quâ cantatur: Invocavit me, post ipsum festum Nativitatis B. V. proxime tunc sequentem, sic, quod praecise, et absque defectu, saltim triginta milia marcarum tam pro primo, quam secundo termino solutionis argenti praefati ut praedicitur solvendarum, ipsi Archiepiscopo ante electionem de futuro Rege Romanorum celebrandam satisfaciat. Et ut de hijs securus existat, promisimus et promittimus eidem, dictum argentum terminis persolvere antedictis sub juramento nostro â nobis super hoc corporaliter praestito, tactis per nos sanctis Ewangeliis, sic, quod si in hoc negligentes essemus, perjurii reatum, quod absit, incurremus. Et ad ampliorem horum securitatem venerabilis Dominus Iohannes Argentinen̄. Episcopus, Vlricvs Ferretarum, Otto de Strazberg, Rvdolfvs de Nydowe, Comites, et Otto Dominus de Ohssenstein, qui tractatibus nostris de praedictis inter Dnūm Archiepiscopum et nos habitis una nobiscum interfuerunt, ad preces nostras instantes promiserunt ipsi Archiepiscopo, quod bonâ fide ad hoc laborabunt, ut praefata pecunia per Nos et fratrem nostrum Fridericvm Ducem Austriae praedictum ipsi Dn̄o Archiepiscopo in supradicto loco et terminis persolvatur; et si, quod absit, in aliquo ipsorum terminorum, videlicet festi b. Petri ad Vincula, et Nativitatis B. V. inveniremur negligentes, transgressor fidei et juramenti nostri essemus, et argentum, siquod pro aliquo terminorum eorundem solutum esset, deberet fore amissum, sive quitum; et ipse Archiepiscopus de promisso nobis, de eligendo dictum fratrem nostrum, facto, eo ipso absolutus; et nichilominus dicti Argentinen̄. Episcopus, Vlricvs, Otto, Rvdolfvs Comites, et Otto Dn̄us

de Ohſſenſtein promiſerunt ex tunc dicto Dn̄o Archiepiſcopo, eundo ſecum in locum electionis Romanorum Regis armati, toto poſſe ſuo cum caſtris, terris, et munitionibus ſuis aſſiſtere potenter et patenter, nec in hoc nos aut fratres noſtri, vel aliquis ex parte noſtra eos impediet, vel impediri procurabit, directe vel indirecte. Nos etiam, et dictus Fridericvs frater noſter ipſi Archiepiſcopo, ſi tunc votum ſuum in alia perſona in eadem electione direxerit, nullum per Nos aut per alios conſilio vel auxilio praeſtabimus impedimentum, nec nos ſibi in hac parte in aliquo opponemus. Debet etiam dictus Archiepiſcopus apud Regem creandum efficere et procurare bonâ fide, ut dictis Epiſcopo et nobilibus, dum, ut praedicitur, ſecum ad electionem Regis ierunt, cuilibet eorum ſecundum ſtatum ſuum et laborem fiat refuſio expenſarum. Verùm, ut dictus Dn̄us Archiepiſcopus de praefatis decem milibus marcarum argenti, quae nobis deficere poterunt de triginta milibus marcarum antedictis in feſto nativitatis B. M. V. eidem ſolvendarum aſſecuretur, cum ea poſt electionem dicti fratris noſtri ſolvi contingat, promittimus ea perſolvere et dare ipſi Archiepiſcopo in primâ dominicâ quadrageſimae, qua cantatur: Invocavit me, ſupradicta; obligantes nos ad hoc per juramentum noſtrum corporaliter ad hoc, â nobis tactis ſanctis ewangeliis praeſtitum, Archiepiſcopo memorato. Promittimus itaque ſub eodem juramento, quodſi de praefato argento eidem Archiepiſcopo non ſatisfaceremus in eadem Dominica Invocavit, quod ex tunc nos una cum nobilibus viris, Vlrico Ferretarum, Ottone de Strazberg, Rvdolfo de Nydowe, Comitibus, ac Ottone Dn̄o de Ohſſenſtein, qui ſe ad id per fidem ſuam corporaliter praeſtitam ad hoc obligarunt, intremus Wormatiam, Maguntiam, aut oppidum Lintburg ſuper Lanam juxta Wetſſlariam ſitum, quamcunque iſtarum civitatum voluerimus, ad jacendum ibidem in obſtagio tanquam veri obſides, abinde non receſſuri, quousque de praefatis decem milibus marcarum argenti

ipſi Archiepiſcopo et Eccleſiae ſuae fuerit ſatisfactum. Similiter et Heinricvs frater noſter idem obſtagium intrabit, ibidem jacendo; quod promittimus efficere et procurare apud ipſum tanquam obſes, et habebit quilibet ex nobis Lvpoldo et Henrico quatuor milites ſecum; praefati verò Comites, et Otto de Ohſſenſtein quilibet eorum unum militem; et nichilominus illuſtres Principes, Dnus Rvdolfvs Comes Palatinus Reni, Bauariae, ac Rvdolfvs, Saxoniae, Duces, avunculi noſtri, ſe nobiscum obligarunt apud Dnum Archiepiſcopum antedictum pro dicta pecunia, ſub hac forma, quodſi ſuper hoc moniti fuerint, ipſe Dux Bawariae quatuor, dictus verò Dux Saxoniae pro ſe duos milites ponent in eodem obſtagio ad jacendum, non exituros de ipſo, donec de praefato argento fuerit plenariè ſatisfactum, et ſi unus obſidum praedictorum decederet, vel aliàs legitimo et notorio impedimento praepeditus, obſtagium praedictum intrare non poſſet, alium aeque bonum loco ſui ſubrogabit in eodem, vel ipſe, qui talem inſtituit, alium ponet pro eodem. Si verò ex parte dicti Archiepiſcopi aliquis de tribus locis praedictis nobis ad intrandum hac de cauſa fuerit demonſtratus, in illo ſtabimus in jacentia ſeu obſtagio antedicto, niſi tunc aliquis ſeu aliqui ex nobis propter metum legittimum, qui cadere poteſt in conſtantem, ſtare non poſſet in loco ſibi demonſtrato; tunc in alio loco de tribus locis praedictis tenebitur explere obſtagium antedictum. Praeterea, ut in omnem eventum dicto Archiepiſcopo de ſolutione dictae pecuniae ſufficientius caveatur, eligimus et volumus, quod dictus Epiſcopus Argentinen. opida Sletzestat, Ehenheim, et Rodesheim, idem verò Vlricvs Comes Ferretarum oppida Brisache, Nvwenberg, et Mvlnhvsen Imperio attinentia, quae ad praeſens ſub ſe hàbet, teneat usque poſt coronationem dicti fratris noſtri, ſic, quod tunc eaedem munitiones, nec non Keysersberg, Dvringheim, et Hagenowe, Imperio attinentes, infra menſem primum poſt electionem et coronationem

dicti Friderici, per eundem Fridericvm praeſentabuntur Dno Epiſcopo, Ferretarum, de Strazberg, et de Nydowe Comitibus, et Ottoni de Ohſſenſtein antedictis, cum jurisdictionibus, officiis, juribus, redditibus, et vniverſis pertinentiis eorundem, per ipſos usque ad dictam Dominicam Invocavit tenenda et cuſtodienda; et praeſtabunt ſubditi dictarum munitionum ipſis fidelitatem ſub hac conditione, quodſi nos, aut dictus frater noſter in ipſa Dominicâ Invocavit non ſatisfaceremus Archiepiſcopo de dictis decem milibus marcarum argenti, quod ex tunc eo ipſo eadem caſtra et munitiones erunt et eſſe debent pignus dicti Archiepiſcopi pro eodem argento, et cum hoc infra octavas Nativitatis B. M. V. nunc venturas proxime, eisdem Epiſcopo et nobilibus aſſignabimus nomine et ex parte dicti Archiepiſcopi, et per eundem Fridericvm fratrem noſtrum aſſignari faciemus Ensisheim, Richemberg, Bergheim, Ortemberg, et Bilenstein, cum dominiis, juribus, et redditibus univerſis, ſpectantibus ad ipſa, jure haereditario ad nos, et ipſum Ducem Fridericvm pertinentia, tenenda ſimiliter ab Epiſcopo et nobilibus memoratis ſub formâ praedicta, ſcil. quod poſt eandem dominicam Invocavit ſimili modo, ſi de dicto argento non fuerit ipſi Archiepiſcopo ſatisfactum, erunt pignus una cum aliis munitionibus praedictis ad Imperium pertinentibus, ipſius Archiepiſcopi pro argento memorato, et dicti Epiſcopus et nobiles tenebunt munitiones praefatas nomine ipſius Archiepiſcopi, et ad uſus ſuos tanquam pignus ejusdem pro dicto argento, et quidquid ultra expenſas dictarum munitionum de redditibus et obventionibus perceperint earundem, hoc totum conſervabunt Archiepiſcopo, dum requiſierit, dandum in ſolutionem debiti memorati; et ſi forſan propter dictum obſtagium, in quo eos jacere contingit, perſonaliter aliqui eorum has munitiones cuſtodire non poſſent, per heredes eorum, vel alias perſonas fideles ipſas munitiones faciant cuſtodiri pro pignore ad uſus Archi-

episcopi antedicti. Si autem praefatas munitiones tenuerint per annum integrum, dicto argento ipsi Archiepiscopo non soluto, dictae munitiones ENSISHEIM, RICHEMBERG, BERGHEIM, ORTEMBERG, et BILENSTEIN cum suis attinentijs jure haereditario ad nos et fratres nostros pertinentes, vel etiam si non fuerint assignatae pro pignore, ut est dictum, lapso anno à Dominicâ Invocavit praedictâ, in omni eo jure, quo nunc nobis et fratribus nostris attinent, cedent et cedere debent perpetuo Archiepiscopo et Ecclesiae Colonien. pro argento memorato, et in poenam negligentiae solutionis argenti ejusdem; quas quidem munitiones nos et praefati Episcopus et nobiles dicto Archiepiscopo, vel eas suo nomine requirenti post ipsius anni lapsum assignabimus seu assignabunt; et ad id se per juramentum suum corporaliter dicto Archiepiscopo praestitum se obligarunt; et si contrarium, quod absit, facerent, reatum perjurii inciderent, et de eodem argui possent et deberent; hoc excepto, quod idem Episcopus Argentinen. loco juramenti praestabit fidem super hijs, ut est mos in talibus Episcoporum; nec nos, aut praefati obsides à supradicto obstagio liberabimur, donec praefata castra nostra haereditaria cum suis attinentiis ipsi Archiepiscopo et Ecclesiae suae Colonien. ab ipsis perpetuo habenda et tenenda fuerint assignata. Deponemus etiam nos et fratres nostri omne impedimentum, siquod subesset, quominus eadem castra ex praedictâ causa ad dictum Archiepiscopum et Ecclesiam suam devolvi possent. Efficiemus etiam, et procurabimus, quod fratres nostri, aliique, quorum interest, suum in praemissis consensum adhibeant; contra praemissa, vel aliquod eorum nos aut fratres nostri, aut haeredes nostri nullam artationem directe vel indirecte, per nos, vel per alios, clam vel manifeste faciemus, seu fieri procurabimus, quominus haec omnia bonâ fide inviolabiliter observentur; obligantes nos ad haec per fidem nostram corporaliter praestitam, interposito juramento; hoc tamen adjecto, quod, dum dictus frater

noſter Fridericvs Dux Auſtriae poſt coronationem ſuam in ſe receperit ſolutionem decem milium marcarum argenti praedicti, et eundem Archiepiſcopum de novo ſufficienter aſſecuraverit ſub formâ et cautione praedictis, datis ſibi ſuis litteris, ſigillo regis et aliorum ad hoc expedientium ſigillatis ſuper eo, quod nos ex tunc de ſolutione dicti argenti per nos faciendâ debemus eſſe quiti; ſed quoad obſtagium explendum, et caſtra et munitiones easdem, ut eſt dictum, aſſignandas, quod in hoc conſentiamus, et aſſignationem earundem quodque firma et ſtabilis amicitia mutua inter ipſum fratrem noſtrum Fridericvm, et dictum Archiepiſcopum perduret, procurare et efficere teneamur, ipſi Archiepiſcopo per juramentum noſtrum ſupradictum ſemper remanere volumus obligati. Procurabimus etiam, quod dictae munitiones Imperio attinentes tamdiu in poteſtate Epiſcopi et nobilium praedictorum remaneant, quousque dictae munitiones noſtrae hereditariae, dum poſt lapſum anni ex cauſâ praedictâ Archiepiſcopo aſſignandae fuerint, eidem aſſignentur, et tam de redditibus munitionum Imperialium, quam noſtrarum haereditariarum, expenſis deductis neceſſariis, nulli alij, quam ipſi Archiepiſcopo reſpondebitur per Epiſcopum et nobiles antedictos; et quae Archiepiſcopus de his receperit, nobis defalcabuntur, et fratri noſtro de ſorte decem milium marcarum argenti principali. Haec omnia conventa et condicta absque fraude et captione quibuslibet ſunt intelligenda et ſervanda. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum, una cum ſigillis illuſtrium principum Dnorum Rvdolfi Comitis Palatini Reni, Ducis Bawariae, et Rvdolfi Ducis Saxoniae, nec non dicti Dni Argentinen. Epiſcopi, ac Comitum et nobilium praedictorum, praeſentibus eſt appenſum. Et nos Rvdolfvs dei gra Comes Palatinus Reni, Bauariae, Rvdolfvs Saxoniae, Duces, et Iohannes eadem gratiâ Argentinen. Epiſcopus recognoſcimus, praemiſſa vera eſſe, et nos praeſentibus obligare ad obſervantiam eorundem, ut

ſunt praemiſſa, per fidem noſtram, ſigilla noſtra in eorundem evidentiam apponentes huic ſcripto. Nos verò Vlricvs Ferretarum, Otto de Strazberg, et Rvdolfvs de Nydowe, Comites, et Otto Dnus de Ohſſenſtein praedicti, eadem recognoſcimus, et ad obſervantiam eorundem nos obligamus, ad aſſignationem caſtrorum praedictorum et munitionum haereditario jure ad illuſtres Principes Duces Auſtriae pertinentes, reverendo in Xpo Patri et Dno Heinrico Colonien. Archiepiſcopo, poſtquam nobis ſub forma praedicta aſſignatae fuerint, faciendam, nos ſub fide noſtra corporaliter à nobis eidem Dno Archiepiſcopo de hoc praeſtitâ, interpoſito juramento ex certa noſtrâ ſcientia praeſentibus obligamus, fraude et dolo excluſis in praemiſſis, ſigilla noſtra in horum firmitatem ampliorem praeſentibus litteris apponentes. Actum et datum in Bacheraco, quinta feria poſt Inventionem Sanctae Crucis, quae erat VII. Idus Maïj, anno Dni Milleſimo, Trecenteſimo, quarto decimo.

(Adp. 8 ſigilla, quorum ſchemata hîc ſubjecta ſunt.)

XXII.

Pactum additionale ejusdem cum eodem, de eâdem re.

Nos Lvpoldvs dei grā Dux Auſtriae et Styriae, Dnūs Carniolae, Marchiae, et Portus Naonis, Comes in Habsburg et Kyburg, nec non Lantgravius Superioris Alſatiae. Notum eſſe volumus praeſentium litterarum inſpectoribus univerſis, quod venerabili in Chriſto Patri, Dno Heinrico Colonieñ. Archiepiſcopo promittimus pro expenſis ſuis faciendis in electione futuri Romanorum Regis, dono Dei in perſonam fratris noſtri Friderici Ducis Auſtriae celebrandâ dare quadraginta milia marcarum argenti puri, ponderis Colonieñ. ſub eodem juramento per nos corporaliter praeſtito, quo ante haec

tempora apud BACHERACVM ea promiſimus; de quibus ſtatim in aſcenſu noſtro verſùs SPIRAM, decem milia, et mille pro Conſiliariis ſuis ſibi dabimus, et apud CRVCENACHE aſſignari faciemus, et ſex milia in FRANCKENFVRT ante electionem praedictam, craſtino beati praefixam ibidem, et deinde in feſto bti Martini quatuordecim milia ipſi Archiepiſcopo, et mille pro conſiliariis ſuis, et reſidua decem milia in Dominica Invocavit ſubſequente, ac duodecim milia librarum Halleñ. in feſto Epiphaniae Domini nunc venturo; pro ſecuritate ſolutionis dicti argenti et Hallenſium conſtituentes nos ipſum principalem debitorem et fidejuſſorem apud eundem Dnum Archiepiſcopum; conſtituentes ei nichilominus fidejuſſores noſtros, HENRICVM Ducem Auſtriae fratrem noſtrum, OTTONEM de Strazberg, RVDOLFVM de Nydowe, WERNHERVM de Homberg, Comites, et OTTONEM Dnum de Ohſſenſtein, qui ſe, et quemlibet eorum in ſolidum unà nobiscum apud eundem Dnum Archiepiſcopum obligarunt ſub hac forma: quod ſi in quocunque terminorum praedictorum, videlicet feſtorum b. Martini, Epiphaniae Domini, et Dominicae Invocavit, negligentes eſſemus in ſolutione pecuniae ſeu argenti, pro illo termino perſolvendi, nos, et dicti fidejuſſores noſtri WORMATIAM intrabimus, ibidem in obſtagio, et more bonorum fidejuſſorum ſtando et jacendo, abinde non receſſuri, quousque de praefato argento ſ. pecunia ipſi Archiepiſcopo fuerit ſatisfactum. Adjectum eſt etiam, quod in Franckenvort ante electionem praedictam praeter praedictos fidejuſſores ſuperaddemus et conſtituemus viginti fidejuſſores alios, qui ſub formâ conſimili pro pecunia praedictâ ſe obligabunt apud Archiepiſcopum memoratum; quod ſi non fecerimus, eandem jacentiam in Wormatiam intrabimus cum praenominatis fidejuſſoribus noſtris, — abinde non receſſuri, donec praedicti fidejuſſores fuerint conſtituti; et ex tunc RVPERTO Comiti de Virneburg pro dictis duodecim milibus librarum Halleñ. fidejuſſores et cautionem ſicut ipſi Archiepiſcopo

fieri faciemus ſub poenâ jacentiae praedictae, et per hoc erimus de eis ab ipſo Archiepiſcopo quiti. Frater etiam noſter Heinricvs praedictus matrimonium contrahet cum Elizabeth ſorore Comitis de Virnenburg praedicti, ſicut eſt condictum; et ſi, quod abſit, dicta ſex milia marcarum argenti ante electionem ſolvenda in Franckenford, ut eſt dictum, non daremus, dicta decem milia nunc primò ſolvenda, ſi data fuerint, et mille pro Conſiliariis erunt quitta, et ipſe Archiepiſcopus â promiſſo ſuo de eligendo fratrem noſtrum, aut nos, abſolutus. Caetera omnia inter ipſum Archiepiſcopum pro ſe, Dño de Valckenberch, et de Praepoſitura Aquenſi, et nos condicta, ſi praemiſſa ante electionem explenda expleta fuerint, remanebunt in vigore ſuo juxta ſuper haec confectarum continentiam litterarum. In cujus rei teſtimonium praeſentes litteras noſtro, Heinrici fratris noſtri, Comitum et nobilium praedictorum, ſigillis ipſi Archiepiſcopo pro ſe et amicis ſuis dedimus communitas. Et nos Heinricvs dei grã Dux Auſtriae praedictus, Otto de Strazberg, Rvdolfvs de Nydowe, Wernhervs de Hombergh, Comites, et Otto Dñus de Ohſſenſtein praedicti recognoſcimus, praemiſſa omnia et ſingula vera eſſe, et nos pro dicta pecunia, aliisque praedictis fidejuſſiſſe, et fidejubere ergà reverendum in Xp̃o patrem, Dñum H. Archiepiſcopum praedictum, per fidem noſtram corporaliter praeſtitam promittentes, omnia et ſingula praemiſſa firmiter et inviolabiliter obſervare, ſigilla noſtra in horum teſtimonium praeſentibus apponendo. Nos tamen Wernhervs Comes de Hombergh pro nobis duos milites ponere poterimus in jacentiam memoratam. Actum et datum apud Sygen, feria tertia poſt feſtum beati Matthaei Apoſtoli, Anno Dñi Milleſimo, Trecenteſimo, quarto decimo.

(Adp. ſigilla ferè illaeſa.)

XXIII.

Pactum Ioannis Reg. Bohem. cum AEpo et Ecclesia Colonien. de eligendo in Regem Rom. Carolo filio suo, et renumerandâ eo nomine grandi pecunia etc. —

Wir Johan von der gnaden Gotz Kunig zu Behem, vnd Graue zu Lutzelenburg, dun kunt allen Luden, want dat Romische Riche zu dieser tzyt ledich is ouermitz entsetzen von demselben Riche Herrn Lodewichs von Beyern, der ouermitz Vrdeil vnd Macht des Stuls von Rome, von deme Riche entsat is, vnd wir vnd andere Kurvursten des Richs willen haben, einen Kunig zu kiesen, vnd want wir hoffen zu Gott, vnd von Gunsten der Kurvorsten, daz vnser Sune, herr Karl der Marggraue von Merhen an daz Riche zu Koninge sullen gekorn werden; vnd want der Erzbischoff von Coln der hoesten Kurvursten eins is, vnd den Kunig zu cronen hait, als he gekorn wert, vnd herumb dat gestichte von Colne des so me wirdich is, daz is gehohit werde, vnd gewirdiget an gunsten, gnaden, fryheiden, vnd gaben des Richs: herumb, vnd auch vmb grozzen dienste, den die Ertzbischoue von Colne allewege getan hant dem Riche, vnd noch tun mogen, so han wir von des vurgenanten Marggrauen, vnsers Suns wegen, mit dem Erwirdigen in Got Vader, herrn Walram Ertzbischoue von Colne vnserm lieben Magen vnd Herrn ouerdragen alle die stücke, die herna geschrieben steent; vnd bekennen, daz wir dem vorgen. Ertzbischoff von Colne in truwen globt vnd gesichert, vnd zu den heiligen gesworn han, dir wir lyplichen gerurt han, in diser wyse: gefellt daz also, daz vnser vorgen. Sun der Marggrefe zu Romischen Kunig gekoren vnd gecronet wirt, so sullen wir begadin, und als vil tun, daz he abzehant von der stat, da er gecront wirt, mit sins selbs libe binnen acht tagen nach der Cronunge inko-

men ſal, und wir ſullen auch mit Ime inkomen zu Colne, of zu Bvnne, vnd von danne nit enkomen, er enhabe dem Ertzbiſchoffe von Colne ſyne gute Brieue gegebin, eynen off me, wie daz geburet, vnd in der beſten formen, die man machen mag, vnd mit ſeine Kunigl. Inſigel wole beſigelt, vff alle die puncte, vorworten, vnd ſtücke, die hernach geſchrieben ſteent; auch ſal der Kunig, und wir ſament in truwen vnd ernſtlichen vnſer Moge tun, daz die Brieue von den vorgeſchr. puncten, die der Kunig dem Erzbiſchoffe von Colne geben ſal, werden beſigelt mit der Kurfurſten Ingeſiegel, und wir ſie mit dem Kuninge beſigeln, ſunder Widerſprache. tzu dem erſten, ſal he dem Ertzbiſchof vnd dem geſtichte von Colne confirmiren, ſtedigen, vnd vernuwen die vier tzolle up dem Ryne, zu Andernache, zu Bvnne, zu Nuysse, vnd zu Bercke, in aller der wyſse, Maſse, vnd Manieren, vnd in dem werthe, als die vurgeſchrieben Ertzbiſchoffe von Colne dieſelbe tzoll biſsher gehaben vnd beſeſſen hant, vnd ſie an In kumen ſint von ſüne Vurfaren Biſchoff Henrich ſeligeu; vnd ſal geloben vnd verbrieuen, daz er den vurgeſchr. Ertzbiſchoff, vnd ſine Nakumelinge, vnd daz geſtichte von Colne huden, beſchirmen, vnd behalden ſal in den vorgeſchr. tzollen, ſonder Krut, Widerſprache, ader Hinderniſſe allermeniglichs. Vort ſal er geloben vnd vorbrieuen, vnd dem geſtichte von Colne geben, daz der vorgeſchr. Ertzbiſchoffe, vnd ſine Nakomelinge, die vorgen. vier tzolle, vnd Ir iclichen legen mogen von einer ſtat vff die andere, in der maſſen, vnd in dem Werde, als ſie nu ſint zuſchen Andernach vnd Reyss, vff wilche ſtade ſie wulln, vnd als dicke, als yn diz eben kumpt. Vort ſal er globen vnd verbrieuen, daz er keine andere tzolle vff den Ryne legen, noch nieman anders geben, noch legen laſſen ſal bynnen die termynie Andernach vnd Reyss vorgeſchr. ouer die tzolle, die nu darenbinnen ſint gelacht. Vort, daz er keyne nuwe Muntze gebeu ſal ymands binnen

dem gestichte von Colne, boven die Colnische Münze, die daz gestichte von Colne, off ymand anders binnen dem Gestichte, von Romischen Kunigen, ader von Keysern bishere gehabt, vnd In besesse herbracht hait. Vort, daz nyman, wer er sy, heischen muge zu Kampfe adir degen eynchen Man, Burgman, Dinstman, ader vndertenigen des Gestichts von Colne vor den Kunig, ader vor sine Houerichter, ader vor sine Amptlude, wie die syn, in dheinerley sachen, sie syn groiss oder cleyne; vnd würde ymant von diesen davur geheischen, daz des Kunigs gerichte den wider senden sal vur des Ertzbischoffs gerichte, ez enwere dan, daz der Ertzbischoff den Clegern rechts versaget hette. Vort, daz der Ertzbischoff, sine Nachkomelinge, vnd daz Gestichte von Colne gelden vnd an sich gewinnen mogen Burge vnd Lande, Vesten, Gerichten, Herlichkeit, Rente, vnd allre kunne gud, die zu Manlehen, ader in deheine andere wyse, ouermitz ymants Mittelunge, ader sunder Mittelunge von dem Riche vurende sint, also, das daz Gestichte von Colne die Gude zu Lene halde mit andern Lenen, die ez von dem Riche zu Lene hat. Vort, daz er dem Gestichte von Colne confirmiere die Juden binnen der Stad, vnd dem Gestichte, vnd dem Chresam von Colln gesessen, die daz Gestichte von Collen zu Lene hat von dem Riche nach formen syner Brieue, die daruff gemacht sint, vnd daz er den Ertzbischoff vnd daz Gestichte in dem Lene, vnd des Lenes Besitze huden vnd behalden sal. Vort, were daz sache, daz der Kunig uber Berg vure, daz der Ertzbischoff von Colne alsdan sin Ampt von der ErtzCantzelly in Italien tun vnd vben mugé ouermitz eym andern erlichen vnd zimblichen persone, vnd sin Recht vnd die gulde von dem Ampte nemen vnd vsheben moge ouermitz dieselbe person, mit recten, eren, vnd gewonheiden desselben amptess. Vort, als daz also geuellet, daz der Kunig die Fursten heischet, ader Ine gebietet, eynchen dienst zu tune, selbist zu komen, ader Ime

Lude zu ſenden in eynche Reiſe, ader zu eynchem Parlamente zu komen, ſo mag der Ertzbiſchoff ſich entſchuldigen mit Boden vnd Brieuen, vnd mag den Kunig laſſen verſteen redliche ſachen, darumb er zu der tzyt nit komen, ader yme Lüde ſenden mag; vnd dieſe Vnſchult vnd die ſache ſal der Kunig gutlichen nemen, vnd den Ertzbiſchoff darin vber, noch vurder nit dringhen zu dheinem dienſte, ader zu ſyme Parlamente, vnd hiemit ſal der Ertzbiſchoff vmmer zu der zyt, als dicke er zu dienſte, ader zu Parlamente geheiſchen wird, quyt ſyn, vnd dem Kunig ſal damide genugen. Vort, were daz ſache, daz der Kunig in Orloge qweme mit dem vorgen. Herrn Lodewich von Beyern, ader mit yman anders, wie die were, ſo mag der Ertzbiſchoff von Colne ſtille ſitzen, vnd des Orloges nit zu ſchaffen han, er enwulle iz dan gerne dun; vnd tede er dem Kunige eynche Hulfe ader Byſtant, von Mutwillen ader von gunſten in ſolcher Orloge, daz ſal ſin off Verlieſs vnd Coſt des Kunigs. Vort ſal der Kunig globen, dem Ertzbiſchoff zu helfen vnd byzuſtene getruwelichen wider all die yhene, die yn orlogen wolden wider recht, vnd die Hulfe ſal er Im tun vnuerzogen binnen zwein manden, nachdem daz Ime das geheiſchen wirdet; vnd were er als verre, daz man yme ſelber die Hulfe nit heiſchen enmochte, ſo ſal er beſtellen, daz Ime die Hulfe geſchee vor des Richs ſteden, vnd von ſinen Landvauden, wo die dem geſtichte von Colne allreneſt geſeſſen ſint. Vort, fiele daz alſo, daz nu, oder hernachmals ymand anders wider den vurgen. Kunig zu dem Riche gekorn wurde, ſo ſal der Kunig mit dem, der alſo wider In gekorn wirdet, vnd auch mit dem vorgen. Herrn Lodewich von Beyern dheinerley Süne ader eindrechtigkeit angeen, noch er enſal auch daz Riche nit vffgeben ſunder Rad, Wille, vnd folge des Ertzbiſchoffs von Colne; vnd mit weme der Ertzbiſchoff in Orloge ader in Vyantſchafft queme vmb des Kunigs, ader vmb des Richs willen,

mit dem enſal der Kunig dheinerley Sune angaen ſunder Willen des Ertzbiſchoffs, vnd desglichen enſal auch der Ertzbiſchoff mit den dheinerley Sune nemen, ſunder dem Kunig, vnd ſime geheügniſſe. Vort, daz der Erzbiſchoff ſal Macht haben des Kunigs, daz er ſyme Bruder dem Marggreuen von Gülch vernuwen ſal alle die gnaden, gaben, fryheiten, vnd priuilegia, die er hat von Romiſchen Kunigen ader Keyſern; vnd ob dheinertey Zweyunge offſtunde zuſchen dem Kunige, vnd dem vorgen. Marggrauen, daz er dar alle wege Macht ſal haben zuſchen In zu ſaiſſin vnd niederzulegen, vnd die Brieffe, die daruff geburent zu geben dem Marggrauen, die ſal der Kunig dem Ertzbiſchoff liebern vnd vbergeben. Vort, daz der Kunig keren ſal an die perſonen, die der Erzbiſchoff will vnd nennet, ſine erſte Bede, die Ime von gewonheide geburet nach ſiner Kuniglichen Cronunge, vur half der Kirchen vnd Prebenden vnd Beneficia, die in dem Geſtichte vnd dem Chreſem von Colne gelegen ſint. Vort, daz der Kunig nit werbe, noch begadin enſal ouermitz ſich, off ymant, an dem Stule von Rhome dheine Decimas, ader dheinerley Subſidium von der Pfaffheid in dem Geſtichte von Colne, vnd wurden ſie Ime auch gegeben, ader begat ſunder ſin werben vnd zutun, ſo enſal er ſie nit heiſchen noch nemen; vnd iſt Ime vor dieſer tzyt eynche Decime, ader desglichs entgegeben, daroff ſal er zumaln vorziehen, als verre, als das Geſtichte von Collne anegeet; vnd ſundirlichen ſal er verzyhen off die Decime, die gen die Turken gegeben waren, off ſie eme gegeben ſint in dem geſtichte von Colne. Vort ſal er geloben vnd verbrieuen dem Geſtichte von Colne zu beczalen hundert tuſent margk lotiges ſilbers, als von dienſtes wegen, den des Erzbiſchoff von Colne Vorfaren, ſunderlich Biſchoff Syfrid vnd Biſchoff Wicbold getan hant dem Riche, vnd auch für den Schaden, den Kunig Albrecht dede dem Geſtichte von Colne an Lande vnd an Burgen, die er eme nam, vnd af wan

brach, vnd wuefte in des vorgen. Bifchoff Wicboltz getzyden; vnd vur die fumme gelts fal er geben dem Geftichte von Colne die ftad von Dortmvnde mit der vryen Grafffchafft, mit dem Gerichte, mit den Juden, vnd mit allen den guden vnd Rechten, die daz Riche zu Dortmvnde hait, vnd auch die Voytie von Essende mit irme rechte vnd zubehorden, alfe, als dem Riche zubehoret, alfo, daz das Riche diz allis lofin mach von dem geftichte vur die vorgen. Summe; vnd fal auch dem Geftichte diz helfen erkriegen vnd beherden, vnd er enfal dem Erzbifchoff dheinen dienft gewapent heifchen, er enhabe zuvorentz die vorgen. hundert tufent Marck filbers beczalt. Vort, daz der Kunig dheinen Mann, der des Erzbifchoff von Coln vyant ift, by fich in fynen Houe, noch in finen Raid nemen enfal; vnd neme er der eynchen by fich, des fal er fich vsstun, alsbalde er des angefprochen wirdet von des Ertzbifchoffs wegen. Vort fal er allezyt by fich vnd in finem Raide haben zwene gude Man, Vrunde des Erzbifchoffs von Colne, vmb zu verhuden, daz eynche Ding geworben werdent by dem Kunige, ader by fine houe, die fin mogen wider den Erzbifchoff, ader wider fin Geftichte. Vort, daz der Kunig confirmire, beftedige, vnd vernuwe gemeynlichen vnd funderlichen alle Privilegia, Gaben, Lene, Gnaden, vnd Vryheit, die Kunig ader Keyfer bifsher getan vnd gegeben hat dem Geftichte von Colne, vnd Kirchen vnd Cloftern, edeln Luden, Mannen, vnd Burgmannen, vnd dienftmannen, der Pfaffheide vnd dem Volcke, geiftlichen vnd werntlichen Perfonen, Stede, Burge, Lant vnd Dorff des Geftichts gemeinlichen vnd funderlichen, huden, befchermen vnd behalden fal in allme ire rechte, in ire fryheiden, in irme Gefetze vnd guden Gewonheiden, fo, wie fie darynne herkomen fint, vnd bifsher bracht hant. Vnd vmb daz der Ertzbifchoff von Colne vorgl. ficher werde, daz wir fchaffen, vnd begaden fulln by vnferm vurfprl. Sune, daz Ime alle die Stedickeit, Globden,

Vurworten, vnd Brieue, die heruorgeſchrieben ſint, gegeben vnd getan werdent von vnſerm Sune dem Marggrauen vorgen. alsbalde er die Crone entphangen hait, ob daz alſo geuellet, vnd off die zyt, als da vurgeſchrieben iſt, ſo han wir, vnd mit vns vnſer Frunde vier vnd zwentzig, mit Namen: Herˆ Hartrad herˆ von Schonecken, Herˆ Johan herre zv Riferscheid, Hrˆ Gerlach herre zv Isenbvrg, Herˆ Conrad herre zv der Dicke, Hrˆ Johan herre von der Sleiden, Herˆ Conrade von Lossnich, vnd ſin Sun Herr Conrad, Herre Dieterich von Hoingeringhe, Herˆ Gelyss von Rodemachen, Herˆ Friderich von Dvne, Herˆ Wynmar von Gymnich, Herˆ Gerlach von Wachendorp, Herˆ Gert Roitscot, Herˆ Friderich von Spenen, Hrˆ Herman von Enenberg, Herˆ Albrecht von Bicken, Herˆ Reynhart Roist, Herˆ Daniel von dem Pesche, Her Wilhelm von Bvssfelt, Herˆ Steffan von Drove, Herˆ Arnolt von Elslaer, Rittere, Johanne von Brandenbvrg, Johann von Rodemachern, vnd Nyclas von Svnnenfelt, Knapen, geſichert, vnd zu den heilgen geſworn in diſſer wyſe: were daz ſache, daz vnſer Sun, der Marggreue vorgen. alsbalde er gekorn vnd gecronet wird, ob daz alſo geuellet, nit inqweme zu Colne ader zu Bvnne, acht dage nach der Cronunge, als zu beſtedigen, verbrieuen, vnd vollfuren dem Ertzbiſchoff mit ſinen kuniclichen Brieuen alle die vurgeſchr. artickele vnd puncte, vnd ir iclich, ader qweme er wole zu Colne ader zu Bvnne ein, vnd enwolte doch dem Ertzbiſchoff dieſelben artickele vnd puncte, ader ir eynich nit endun, ader volfuren in der formen vnd der wyſe, als vorgeſchr. ſteet, ſo ſuln wir, vnd vnſer frunde vorgen. alle mit vnſer ſelbes libe inkomen zu Colne; ader mochten wir zu Colne nit inkomen vor Vyantſchafft, ſo ſuln wir inkomen zu dem Brvle, vnd da blyben ligen zu Giſele, nummer danne zu kommen, demſelben Erzbiſchoff von Colne enſy volldan, alſo, daz yme gegeben ſyn des Kunigs gude vnd beſigelde Brieue in der

beſten formen, die man machen mag, vnd wie die geburent, vnd dem Ertzbiſchoff vnd dem Geſtichte von Colne nutze ſin von alle den vurgeſchr. artickeln vnd puncten, vnd ir iglichem beſunder. Vnd wir, vnd vnſer vurgeſchr. Giſel, vnd vnſer iclich han verzigen genzlich vnd luterlich an allen den vurgeſchr. ſtücken vnd Vorworten, vnd an ir iclichem, off alle argeliſt, behendicheit, vnd off alle nuwe funde vnd widerwort, vnd off alle huhte geiſtlichs vnd werntlichs rechts, gewonheide ader geſetze, gemeyne, ader ſunderliche, Landes, oder Stede, wie, ader von wem die gemacht, ader geheiſſen ſint; vnd wir virzigen auch off alle Brieue vnd Abſolutien, die wir, ader ymant anders werben mochten, ader geworben hetten von dem Stule von Rome, ader von eyncher ander Macht, ader Oberſten, geiſtlich ader werntlich, die Vnſs, ader vnſer eynchem zu ſtaden ſteen, vnd dem vorgeſchr. Ertzbiſchoue Vnſtaden dun mochten in eynchen den puncten, Vorworten, ader Stcüken, die vorgeſchrieben ſint. Ouch erkieſen wir, ob eynich Ingeſigel, ader me, an dieſem Brieue gebrochen ader geqwat worden, ader die Brieue vom Geſtichte locherecht wurden, geriſſen, ader geſchaben, ader gekancelliret, dat ſe nochtans an ſynre volle Macht vnd Moge blyben ſuln. Wir wullen auch, ob der Gyſel einich verbreige, ader auch wir nit enqwemen, als wir ſulden, vnd vurgeſchr. iſt, des Gott nit enwulle, nochtans ſint die andern Giſel ſchuldich inzekomen, vnd zu blyben in alle der wyſe, als vurgeſchr. iſt. In Vrkunt vnd ſtedikeit diſſer Vorworten, ſo han wir, vnd vnſere Medegiſele hie vorgl. vnſe Ingeſigele an dieſen Brieue gehangen; vnd wir Giſele, mit Namen vurgenant, bekennen, daz wir Vnſs verbunden, vnd gelobt, vnd geſworn han, mit vnſerme herrn von Beheym, dem vorgeſsl. Ertzbiſchoff von Colne, in alle der formen, Manieren, vnd wyſe, als da vorgeſchr. ſtet; vnd han des zu Vrkunt vnſer Ingeſigele an diſſen Brieff gehangen, der geben wart in dem Jare vnſers Herren, do man ſchreib

tuſend, druhundert, ſeſs vnd viertzig, off den Andag des heyligen Sacramentstag.

XXIV.

Collatio facta per Sanctiſſimum patrem ac Dominum, D. Clementem papam VI. in approbatione Dn̄i Karoli, in Regem Romanorum electi die VI. menſis Novembris, Pontificatus ſui anno quinto. (Ex Originali.)

Salomon ſedebit ſuper ſolium meum, et ipſe regnabit pro me, illique precipiam, ut ſit Dux ſuper Ieruſalem. III. Reg. 1.

Sicut audiviſtis nuper per Archiepiſcopum Prageñ. proponendo negotium electionis Kariſſimi filii nr̄i Karoli in Regem Romanorum electi, fuit nobis porrecta quedam ſupplicatio, facta una interrogatio ſuper hijs verbis: *in te oculi reſpiciunt totius Ieruſalem, ut indices eis, quis ſedere debeat in ſolio;* et quia iſta interrogatio non eſt digna reprehenſione, non eſt digna irriſione, non eſt digna refutatione, ſed magis eſt digna commendatione, digna reſponſione, digna exauditione: idcirco dicens, quod dicebat *Ieremias* propheta, Ier. XLII. *Indicabo vobis, nec celabo vobis quicquam.* Dicens pro reſponſione verba thematis preaſſumpti: *Salomon ſedebit* etc. que verba ad litteram fuerunt dicta per dd. cui facta erat interrogatio nuper per Archiepiſcopum propoſita. Salomon ergo ſedebit etc. In quibus verbis tangantur quatuor, que in aliqua nova aſſumptione conſueverunt attendi. Attenditur enim *Conditio perſone,* que aſſumitur, — *Status,* ad quem preficitur, — *Perſona,* per quam erigitur, — *Cauſa,* propter quam provehitur, vel id efficitur.

Primò ergò, deſcribitur *perſone aſſumende ydoneitas et ſufficientia;* quia *Salomon* etc. Secundò,

Kathedre aſſequende nobilitas et excellentia: quia *ſedebit ſuper ſolium meum, et ipſe regnabit pro me.* Tertiò, promouentis perſone auctoritas et eminentia: quia *illique precipiam.* Quartò, cauſe conſequende utilitas, et efficacia, quia: *ut ſit Dux ſuper Ieruſalem.* — Eſt ergò promovendus conveniens, dignus, et habilis. *Salomon* eſt ſtatus eminens, clarus, et nobilis, quia *ſedebit ſuper ſolium meum, et ipſe regnabit pro me.* Eſt promovens precellens, celſus, ſublimis, et celebris, quia *illi precipiam.* Eſt fructus expediens, decens, bonus, et utilis, quia: *ut ſit Dux ſuper Ieruſalem;* ut hodie intueamur:

perſonam noſtri electi {

- gratioſe et convenienter comparatam. *Salomon.*
- glorioſe et eminenter collocatam; quia *ſedebit ſuper ſolium meum, et ipſe regnabit pro me.*
- ſerioſe, virtuoſe, et irrefragabiliter approbatam; quia *illi precipiam.*
- *fructuoſe et utiliter ſublimatam;* quia *ut ſit Dux ſuper Ieruſalem.*

Comparatur ergò *gratioſe,* propter preconium ſingularis, et quaſi ſimilis convenientie et conditionis. *Salomon.*

Collocatur glorioſe, quia aſſumitur ad faſtigium regalis, et tandem Imperialis excellentie et dominationis; *quia ſedebit ſuper ſolium meum, et ipſe regnabit pro me.*

Approbatur virtuoſe, propter judicium papalis ſententie et diſtitutionis; quia *illique precipiam.*

Sublimatur fructuoſe, propter fructum ex poteſtate ſimilis ſalutationis, preſidentie, et gubernationis, quia: *ut ſit Dux ſuper Ieruſalem.*

Dico ergo: quia tangitur *perſone aſſumende ydoneitas, et ſufficientia.* Eſt enim conveniens, dignus, et habilis, ut intueamur perſonam eius *gratioſe et convenienter comparatam;* propter *preconium ſingularis, et quaſi ſimilis convenientie et conditionis.* Quia *Salomon.* Ad cuius evidentiam conſidero:

Salomon	in aliquibus profecit, in aliquibus exceſſit, in aliquibus defecit.
Salomon enim *profecit*	in latrie magnitudine, in prudentie certitudine, in iuſtitie rectitudine, in clementie dulcedine.
Salomon autem *exceſſit*	in ſapientie limpitudine, in habundantie et opulentie plenitudine, in familie amplitudine, in quiete et tranquille vite pulchritudine.
Sed Salomon *defecit*	in luxurie et laſcivie turpitudine, in perſeverantie longitudine, in ydololatrie multitudine, in rei bellice fortitudine.
Noſter ergo electus Salomoni	comparatur in profectu, ſuperatur in exceſſu, preſervatur in defectu.

ut quaſi habeat in ordine ad Salomonem triplicem combinationem, ſ. adequationis exceſſi et excedentis. Nam in primo *adequatur,* in ſecundo *ſuperatur,* — in tertio *ſuper excommendatur.*

Adequatur enim	in magnitudine latrie et devotionis, in certitudine prudentiae et diſcretionis, in rectitudine juſtitie et diſtributionis, in teneritudine clementie et compaſſionis.

Superatur autem in preſenti
- in limpitudine ſcientie et cognitionis,
- in plenitudine pecuniarie poſſeſſionis,
- in amplitudine familie, et ordinationis,
- in dulcedine quiete pacifice gubernationis.

Superans autem *commendatur*
- in pulcritudine conjugalis continentie,
- in longitudine finalis perſeverantie et durationis,
- in celſitudine divine adorationis,
- in fortitudine corporalis et bellice experientie et exercitationis.

Dico primò, quod noſter electus Salomoni adequatur *in magnitudine latrie et devotionis.* Sicut enim Salomon totus fuit intentus ad edificium templi, et ornamentorum eius, et gloriam ipſius, ſicut dicitur iij. Regum. ſe. usque ad vııj[um] et incluſive: ſic noſter electus, ſicut pridie Achiepus declaravit, tam in fundatione novi collegii in caſtro Pragen̄. ſicut in ampliatione miniſtrorum Dei, et beati Virgini famulantium in Ecclia Pragen̄. ſicut in jocalium pulcherrimorum donatione, et larga, et ampla dotatione, et, quod obmiſit Archiepiſcopus, in nove Eccleſie in regno Bohemie ad eius ſupplicationem, erectionem, et per ejus dotationem largâ reddituum conceſſione, et in Abbatiarum reparatione, et in Eccleſia Pragenſi procuratâ erectione et ſublimatione ad Eccleſiam metropolitanam, et etiam aliorum locorum religioſorum fundatione, et perſonarum eccleſiaſticarum defenſione, manifeſte apparet, ut merito di-

catur de eo, quod dicitur III. Reg. vj. *Edificavit Salomon domum Domino, et consummavit eam.*

Et videte, quod ista conditio est mirabiliter necessaria in Rege, maxime in Imperatore promovendo; debet enim Katholicus, non scismaticus vel hereticus, devotus, non indevotus, de Deo et ejus gratiâ, non de sua potentia confisus, quod pulchre dictum est Deuteronomij XVII. ubi dicitur: *„illum Regem instituas, quem „Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuo„rum, non poteris alterius gentis hominem Regem „facere, qui non sit frater tuus; qui, postquam se„derit in solio regni tui, describes sibi deuterono„mium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a „sacerdotibus levitice tribus, et habebit secum, leget„que illud omnibus diebus vite sue, ut discat timere „Dominum Deum suum, et custodire verba et ceri„monias eius, que in lege precepta sunt, neque ele„vetur cor ejus in superbiam super fratres suos, ne„que declinet in partem dextram vel sinistram.“* ex̃ de elect. Venerabilem. Nunquid, si principes non solum in discordia, sed etiam in concordia, sacrilegum quemcunque, vel excommunicatum Regem, tyrannum, vel fatuum, hereticum eligerent, vel paganum, nos inungere, consecrare, aut coronare hominem hujusmodi deberemus? Absit omnino; et videte verum et notabile, quod sic eligendus est Rex de fratribus, quia etiam constitui non potest, nec per papam, nec per alium, nisi sit frater per fidem; quia si extra fidem est, Rex vel Imperator de populo Israel esse non potest. Vnde dicit: *non poteris alterius gentis Regem hominem facere, qui non sit frater tuus.* Quomodo ergò Lvdowicvs *de Bauaria,* hereticus manifestus, sicut aliàs probavi, potest regnare vel imperare? certe nullo modo; ymmo sicut in historia thematis preassumpti Adonias filius Agit elevabatur, dicens: ego regnabo, et tamen jussu Dd. exclusus est â regno, et Salomon filius Bersabee sublimatus est, dicente Dd. ipsi Bersabee: *„vivit Dominus, quia*

„ſicut juravi tibi Salomon: filius tuus regnabit poſt „me, et ipſe ſedebit ſuper ſolium meum pro me." ſic faciam hodie, ɪɪȷ°. Reg. 1°. ut expulſo illo heretico bauarie, iſte Salomon filius Berſabee. 1. Ecce, quem interpretatur puteus ſatians vel fons ſeptimus; eccleſiam enim et ſatiat, et refrigerat per eccliaſtica ſacramenta, et eſt fons ſeptimus, per ſeptem dona Spiritus ſancti. Iſte ergo filius tuus ſedebit ſuper iſtud ſolium, et regnabit; et hoc faciam ſibi hodie, ipſum approbando, et electionem ejus confirmando. Et videte, quod ipſe ſit Katholicus, ita devotus, ita Ecclie munificus, non ſolum debeat ex ſucceſſione, quia â ſanctis parentibus et conſimilia facientibus noſcitur deſcendiſſe, ſed etiam debeat ſibi ex nomine, quia Karolus; quis autem magis devotus et munificus Ecclie, quam Karolus magnus fuit, patet yſtorias intuenti. Vnde de eo legitur, quod non videbatur ſibi, quod poſſet, ſatis Eccleſie dare, attendens illud, quod in omni illo, quod datur Deo et Eccleſie, quecunque immenſitas eſt menſura. *Vivat ergò Rex Salomon.* tertio Regum primo.

Secundò dico: quod adequatur *in certitudine prudentie et diſcretionis.* Ad litteram enim, ſicut Salomon fuit prudentiſſimus, ſic iſte eſt valde prudens et diſcretus; optime enim, ſicut prudens animus, ſcit tempora diſpenſare, futura providendo, preſentia ordinando, preterita memorando; et iſta conditio eſt bene neceſſaria principi, quia *Prov.* xxvɪɪȷ. *„Dux indigens prudentiâ multos opprimit per calumpniam."* Ideo dicebat iſte Salomon *Prov.* vɪɪ. *„Dic Sapientie: Soror „mea es, et prudentiam voca amicam tuam."* et *Prov.* iiiȷ. *„In omni poſſeſſione acquire prudentiam, „arripe illam, et exaltabit te, glorificaberis ab ea, „cum eam fueris amplexatus. Dabit capiti tuo au„gmenta gratiarum, et corona inclyta proteget te."* Et ideo ipſe Salomon III. Reg. tertio, petivit à Domino, qui dixerat ei: poſtula quod vis, ut dem tibi, ut daret ſibi cor docile et intelligens, ut poſſet judicare

falſum, et diſcernere inter bonum et malum; quod et Deus ſibi conceſſit. Vnde *Eccleſiaſtes*, I°. *„dedi cor „meum, ut ſciret prudentiam atque doctrinam.“*

Tertiò dico: quod noſter electus adequatur Salomoni *in rectitudine juſtitie et diſtributionis.* Ad litteram enim, ſicut de Salomone dicitur III. Regū. iij°. in fine: „quod audivit omnis Iſrael judicium, quod ju„dicaſſet Rex, et timuerunt eum, videntes ſapientiam „Dei eſſe in eo, ad faciendum judicium. Vnde ipſe „Salomon parabolas edidit ad faciendum ſapientiam et „diſciplinam ad intelligenda verba prudentie, et ſuſci„piendam eruditionem doctrine juſtitiam, et judicium, „et equitatem;“ ſicut iſte dicitur eſſe valdè juſtus et in punitione malorum, et in premiatione bonorum, et in diſtributione honorum, ut de eo dicatur illud Ie. XXIII.: „Regnabit Rex, et ſapiens erit, et faciet judi„cium et juſtitiam in terra.“ Et iſta conditio eſt mirabiliter neceſſaria principi. „Abhominabiles enim Reges, „qui agunt impie, quoniam juſtitia firmatur ſolium, et „voluntas Regum labia juſti.“ Prov. XVI. Et ideo *Prov.* XX°. „Rex qui ſedet in ſolio judicii, diſſipat „omne malum intuitu ſuo.“ Vnde pulcrè loquitur *Iob.* XXXVI. dicens: „Non aufert Deus à juſto oculos ſuos, „ſed reges in ſolio collocat in pptuum, juſtitia enim „elevat gentem, miſſos facit populos peccatum.“ *Prov.* XIIII°. „Et regnum transfertur de gente in gentem „propter injuſtitias.“ — *Eccli* X°. ut merito ſit ſicut iſte Salomon, cui dixit Regina *Sabba* Ill. *Reg.* 9°. „Sit „Dn̄us Deus tuus benedictus, cui complacuiſti, qui po„ſuit te ſuper thronum Iſrael, et conſtituit te Regem, „ut faceres judicium et juſtitiam.“ —

Dico Quarto, quod noſter electus adequatur Salomoni in *teneritudine clementie et compaſſionis.* Vnde ipſe Salomon dicebat, Prov. XI.: „Clementia „praeparabit vitam;“ et XVI.: „In hilaritate vultûs „regis, vita et clementia ejus, quaſi imber ſerotinus.“ Vnde *Iſaia* XVI.: „Praeparabit in miſericordia ſolium,

„et ſedebit ſuper illud in veritate in tabernaculo dd. „judicans, et quaerens judicium, et velociter reddens, „quod juſtum eſt.“ Noſter igitur electus dicere poteſt illud *Iob*, XXXI.: „ab infantia non crevit mecum mi- „ſeratio, et de ventre matris meae eggreſſa eſt mecum.“ Clementia eſt virtus ſummè neceſſaria principi. Vnde dicit *Salomon* Prov. XX.: „miſericordia et veritas cu- „ſtodiunt Regem, et roborabitur clementiâ thronus ejus.“ et III. Reg. XX. dicitur: „Reges Iheruſalem clementes „ſunt.“ Ideo dicebat ille Archacaſſios: „Cum pluribus „imparem et univerſum orbem meae ditioni ſubjugaſ- „ſem, nequaquam volui abuti potentiae magnitudine, „ſed clementia et lenitate gubernare etc.“ — Seneca in libello de Clementiâ, ad Neron. Vnde inter cae- tera etc. — et *Eccli* III. *fili!* in manſuetudine etc. Vnde III. Reg. XII. dictum eſt, Roboam filium Salo- monis, quodſi audiret populum, et diceret ei verba le- nia, et reſponderet ſermonibus clementibus, obediret ei populus cuncto tempore; et quia contrarium fecit, X. partes regni ſui perdidit. et *Iob* dicebat XXIX. „Cum „ſederem quaſi Rex etc.“ Dominus igitur noſter electus Salomoni adaequatur in iſtis quatuor virtutibus, quaſi in quatuor lapidibus pretioſiſſimis, ornantibus dyadema cu- juscunque principis.

Vt primus ſit qui procedat. Latria et devotio.
ſecundus ————— Prudentia et diſcretio.
tertius ————— Iuſtitia et aequa diſtributio.
quartus ————— Clementia et compeſſio.

Meritò ergò Salomoni comparatur. I. Reg. IV.: „Sa- „lomon erat in ditione ſua;“ et I. Reg. 2.: „Salomon „ſedit ſuum thronum dd. patris ſui, et firmatum eſt „regnum ejus nimis.“

Dicebam *ſecundo:* quod Salomon exceſſit no- ſtrum electum in quatuor:

Primo: *in limpitudine cognitionis.* Licet enim noſter electus ſit ſufficienter, quantum pertinet ad prin-

cipem saecularem, litteratus, unde latinum et intelligit, et loquitur, et multa ydiomata novit, sicut ytalicum, gallicum, sclavonicum, vngaricum, et theutonicum, tamen ad scientiam Salomonis non attingit; Salomon enim dicit de se ipso, Eccli I. quod praecessit sapientiâ omnes, qui ante eum fuerant in Iherusalem, unde disputavit à cedro, quae est in Lybano etc.

Secundo excessit, quantum est de praesenti, *in plenitudine pecuniariae possessionis.* Fuit enim valdè dives, sicut ipsemet dicit de se ipso. *Eccl.* II. et III. Reg. 10. dicitur: quod temporibus suis argentum in Ihrlm nullius reputationis pretii erat; et subdit: quod fecit Salomon, quod tanta habundantia argenti esset in Ihrlm, quanta esset lapidum; et II. Paralip. 9. quod argentum in diebus Salomonis pro nihilo reputabatur; et subdit: „magnificatus est Salomon super omnes Re„ges terrae prae divitiis et gloria." Iste autem, ut credo, non est ita pecuniosus; et certè non mirum, quia I. Paralip. XXII. legitur, quod dd. Rex reliquerit Salomoni filio suo in impensas domûs Dni auri talenta C. milia, et argenti mille milia; aeris autem et ferri non est pondus. Credimus autem, quod Rex Boemiae, pater nostri electi tantae liberalitatis fuit potius debita, quam tanta sibi talenta dimisit. Sed nec propter hec presumant adversarii, quia indubitanter tenemus, quod hec omnia adjicientur sibi. M. VI.: „Primum quaerite „regnum Dei, et haec omnia adjicientur vobis."

Tertio excessit Salomon *in amplitudine familie et ordinationis.* Vnde III. Reg. 9. dicitur, quod videns Regina Sabba sapientiam Salomonis, et domum, quam aedificaverat, et cibos mensae ejus, et habitacula suorum, et ordines ministrantium, vestesque eorum, et . . . holocausta, quae offerebat in domo Dni, non habebat ultra spiritum.

Quarto excessit *in dulcedine quietae et pacificae gubernationis.* Quia, ut dicitur Eccli XLVII. „Salo„mon imperavit in diebus pacis." Vnde I. Paral. 22.

dicit, quod Salomon ſuit vir quietiſſimus, et requieſcere fecit eum D̄nus ab omnibus inimicis ſuis per circuitum, et ob hanc cauſam pacificus vocatus eſt, et pacem et otium dedit Deus ſibi cunctis diebus ejus. Iſte autem jam habuit adverſarium, ſicut David habuit Saulem, illum ſcilicet Bavarum haereticum, et ſciſmaticum manifeſtum; ſed confidemus Domino, quod ita erit de eo, ſicut de Davide, et de Bavaro, ſicut de Saule et domo ejus. Vn̄ II. Reg. III. dicitur, quod facta eſt longa concertatio inter domum David et domum Saul, David perficiens et ſemper ſe ipſo robuſtior; domus autem Saul decreſcens cottidie. Et notetur, quod, licet Salomon in parte regnaverit, d̄d autem ſemper ê bellis et in ſanguine, non tamen propter hoc fuit, quin David fuerit Salomone ſanctior, ymmo frequenter Deus multa aliquorum temporibus immittit, ut ſit eis, ſicut eſt virtutis ita occaſio et ſalutis; ſicut deducit Bernard. in libro de laude novae militiae templi, de Civitate Sancta Ierl̄em, quam toties permiſit D̄nus impugnari. Vnde de filiis Iſräel dicitur *Iudic.* III. quod dominus eis aliquas vicinas regiones alienigenarum, ut erudiret in eis Israhelem, ut bella addiſcerent, et haberent conſuetudinem praeliandi. Et *Deuteron.* VII. dicit, „quod paulatim conſumpſit illas gentes, et per partes, ne beſtiae multiplicarentur contra eos, id eſt *beſtiae infernales.*"

Dicebam *tertiò*, quod noſter electus ſuperans Salomonem, commendatur primò *in pulchritudine conjugalis continentiae et incorruptionis.* Salomon enim inclinavit femora ſua mulieribus, et poſuit maculam gloriae ſuae, ſicut dicitur *Eccl̄i* XLVII. et III. Reg. 11. „Rex Salomon adamavit mulieres alienigenas multas." Iſte autem pudicus cum uxore ſua, ut audivimus.

Secundò, ſuperat *in longitudine perſeverantiae et durationis.* Salomon enim in Scriptura bonum habuit initium, ſed malum exitum, ſicut apparet III. Reg. 10. De iſto praeſumimus, quod non ſolum bonum initium, immò felix medium, et feliciſſimum exitum

habebit ſemper in devotione ad Deum et Eccleſiam perſiſtendo; et certe, ſi oppoſitum faceret, malè pro eo, ſicut apparet de omnibus Imperatoribus, qui ſe Eccleſiae oppoſuerunt, ſicut de Frederico, et aliis. Eſto ergò fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae. Apoc. 2. quia incaſſum bene agitur, ſi ante conſummationis terminum deſideratur. Vnde de Salomone ſtatim cum incipit male agere, ſtatim Dominus ſuſcitavit ſibi adverſarium, ymo adverſarios multos, ſicut Ieroboam et Adan. Vnde III. Reg. 11. „Suſcitavit Dominus adverſarium Salomoni.“ —

Tertiò ſuperat *in celſitudine divinae adorationis.* Salomon enim colebat Astaron Deam Idomorum, et Chamos Deum Moabitarum, et Maloch ydolum Ammonitarum, ſicut dicitur III. Reg. 11. Sed noſter electus ſolum unum Deum adorat, et illi ſoli ſervit, et ſerviet in futurum.

Sed *quartò* ſuperat *in fortitudine corporalis et bellicae experientiae et exercitationis.* Salomon enim armorum exercitio non fuit; immò dicebat David de eo: Salomon filius meus parvulus eſt, et delicatus. I. Paralip. 22. Sed noſter electus adhuc in pueritia fuit in armorum exercitio, et in Ytalia et in aliis partibus attendens illud negotii de re militari, quia ſcientia rei bellicae, dimicandi nutrit audaciam; nemo enim facere metuit, quod ſaeculum didiciſſe confidit. Vnde audivi, quod quaſi alter Iudas Machabaeus, ſimilis factus leoni in operibus ſuis. Vnde ipſe potens viribus à juventute ſuâ ſit princeps militiae, et ipſe agat bellum populi. Poſt M^{+}. 2. Vt meritò ex iſtis quatuor multis conditionibus dicamus de eo illud III. 12. „Ecce, plus quam Salomon.“ Hoc de primo, in quo tangitur noſtri electi ydoneitas et ſufficientia; ipſe enim deſcribitur conveniens, dignus, et humilis, quia catholicus et devotus, quia induſtrius et diſcretus, quia juſtus et aequus, quia clemens et pius, quia ſobrius et caſtus, quia

bellicoſus et ſtrenuus, ut probatum eſt, non ſolum ſicut Salomon, ſed etiam in aliquibus plùs quam Salomon.

Dico *ſecundò*, quod deſcribitur *ſtatus*, *nobilitas*, et *excellentia*. Status enim, ad quem aſſumitur, eſt eminens, clarus, et nobilis. Vnde propter haec collocatur eminenter et glorioſe, quia promovetur ad faſtigium regale, et tandem Imperialis Excellentiae et dominationis. Vnde dicitur in „Sedebit ſuper ſolium meum, et ipſe regnabit per me.“ Ad cujus evidentiam ſciendum, quod iſte ſtatus Imperialis eſt eminens, altus, et nobilis ſpecialiter propter quatuor:

Primò, quia prophetice praefiguratus,	Vnde ſtatus iſte habet	propheticam praefigurationem,
quia generoſe derivatus,		coelicam derivationem,
quia ſpatioſe dilatatus,		amplificam dilatationem,
quia glorioſe exaltatus,		mirificam exaltationem.

Dico *primò*, quod ſtatus iſte eſt *Propheticè praefiguratus*. Habet enim propheticam praefigurationem. Ad litteram enim ſecundum expoſitionem Hebraeorum, et aliquorum Sanctorum, illa quatuor animalia, quae vidit *Ezechiel* primo, ſignant quatuor Imperia, quae fuerunt. *Leo Imperium Aſſiriorum*, quod fuit primum. Vnde et frequenter Reges Aſſyriorum per leonem in ſcriptura ſignificantur; et etiam dicunt aliqui, quod leones in vexillo portabant, et primus, qui regnavit in iſto Imperio, fuit Belus pater Mur, et duravit illud Regnum M. CCC. et V. annis, ſicut dicit Avgvstin. XII. de Civitate Dei, E. X. Sed poſteà translatum eſt Dei judicio ad Perſas et Medos, ſicut patet *Daniel*. V.

Homo autem ſignificat *Imperium Perſarum et Medorum*, quod incipit à Dario, et duravit annis CCCC. LXXXV. ſicut dicit Avgvstin. ibid. Significatur autem per hominem, quia iſtud regnum multum huma-

nius tractavit regnum Iudaeorum, quam alia. Vnde etiam Cirus Rex Perſarum et Medorum dedit licentiam reaedificandi Ieruſalem et templum, propter quod ſcriptura eum commendat, ut patet Yſai. 45.

Bos autem ſignificat *Regnum Graecorum*, quod incepit ab Allexandro, quod minus caeteris duravit, quia poſt mortem Allexandri impoſuerunt ſibi omnes dyademata, ſicut dicitur I°. Machabaeorum. Iſtud autem ſignificatur per bovem, quia ſicut bos inpinguit carnibus, ita iſtud regnum inpegit in regnum Iudaeorum, ſicut apparet 1°. et 2°. Machabaeorum, maxime tempore *Antiochi* illuſtris, qui ſignificatus eſt per cornu modicum, quod poſtea factum eſt grande. *Daniel* VIII.

Sed *Aquila* ſignificavit Imperium Romanum, quod incepit tempore *Romuli*, regnante *Ezechia* in Iudaea, ſicut dicit Avgvstin. XVIII. de Civit. Dei, c. 22. et durat usque nunc, licet factae ſint multae translationes per Eccleſiam, ſicut de Graecis in Germanos in perſonam magnifici Karoli, ſicut dicitur extr. de elect. c. venerabilem.

Iſtud autem ſignificabatur per *aquilam*, unde eſt ſignum Romani Imperii Aquila, et ſicut dicitur *Ezech*. I. Inter iſta quatuor animalia facies aquilae deſuper erat, quia iſtud Imperium Romanum majus et potentius caeteris fuit. Vnde et Io. dicit ſuper Danielem: „Imperio Romano nichil fortius et durius fuit.“ Fuerunt iſta Imperia figurata Daniel 2do, per ſtatuam, quam vidit Nabuchodonoſor, cujus caput aureum, pectus et brachia argentea, venter et femora ex aere, ſed tibias habebat ferreas. Regnum enim Aſſiriorum figuratum eſt per caput aureum, — Perſarum et Medorum per argentum, — Graecorum per aes; ſed Romanorum per ferrum. Modò dicit textus: Regnum quartum erit velut ferreum; quomodo enim ferrum comminuit et domat omnia, ſic regnum quartum comminuet et conteret omnia. Verum eſt, quod pars pedum iſtius ſtatuae erat ferrea, et quaedam fictilis, quia, ſicut exponit Daniel,

regnum divifum erit, et ex parte regnum erit folidum, et ex parte contritum, *ficut hodie ad litteram cernimus.* Patet ergò, quomodo iftud Imperium eft *prophetice praefiguratum,* ut dicat illud *Iohannis* V.: „Scrutamini fcripturas, quia ipfae funt, quae teftimonium perhibent de me."

Dico *fecundò,* quod ifte ftatus eft *generofe derivatus;* quia adeo non de terrâ, fed de coelo duxit originem. Fecit enim Deus duo luminaria; luminare majus, ut praeeffet diei, ac luminare minus, ut praeeffet nocti, *folem et lunam;* per quae luminaria fignificantur *Sacerdotium* et *Imperium;* fol Sacerdotium, luna Imperium, ficut apparet ex. de major. et obed. c. folite. ut dicat Imperium illud Eccli. 24. „Ego ex ore altiffimi prodii. Omnis poteftas à Deo eft." Ad Rom. 13. Vnde dicebat Ioannes Papa LXXXXVI. Di. c. fi Imperator, quod habet Imperator permulta poteftatis fuae, quae in adminiftrandis legibus publicis divinitus confecutus eft, propriam poteftatem; quod utique verum eft, fed mediante pontificali, ficut magis apparebit infrà et c. di. c. cum ad VIII.

Tertiò, ifte ftatus eft *fpatiofe dilatatus.* Nullum enim aliud regnum temporale eft, quod non paucioribus limitibus coherceatur, et quod habeat limites ita magnos; unde fecundum Legiftas Principatus ejus eft fuper omnem terram, et omnis terrà eft poffeffio ejus, et ipfe eft Dominus mundi; bene non habet ipfe principatum limitatum, fed illimitatum, fecundum eos. Sed hodie fecundum jura canonica principatus fuus etiam limitatus eft, ficut apparet ex. de fent. et re judic. c. Paftoral. in Clem. Hoc tamen certum eft, quod multo ampliorem, quam quodlibet regnum aliquod temporale, habet dilatationem. *Ezech.* 37. „Rex unus erit omnibus imperans." — Omnibus, fecundum Legiftas, — vel omnibus in multis. Gen. 28. „Dilataberis ad orientem et occidentem, ad feptentrionem et meridiem." etc.

Quartò dico, quod iste status est *gloriose exaltatus*. Vnde non solum extensive praecellit alia, sed etiam intensive; nobilius enim omnibus est; et ideo promovendo eum ad istum statum, possum sibi dicere, quod dicitur *Deuter*. XXVI. „faciam te excelsiorem cunctis „gentibus;“ ut dicat mihi, quod dicebat de se ipso I. Paralip. 17.: „fecisti me spectabilem super omnes ho„mines.“ — Vnde possumus dicere illud *Isaioe* 2. „In „diebus novissimis erit principatus meus domus Domini „in vertice montium, et elevabitur super colles, et „fluent ad eum ejus gentes.“ Et idem meritò dicit, quod sedebit super solium meum, *Isai*. 9. „Super so„lium David, et super regnum ejus sedebit, ut confir„met illud, et corroboret in judicio et justitia.“ Hodie enim collocabo eum, ut sedeat cum principibus, et solium gloriae teneat. I. Reg. 2. Vt meritò dicatur illud *Hester* III.: „Posuit solium ejus super omnes princi„pes?“ et meritò dicatur de eo illud, quod I. *Paralip.* ult.: „Sedit Salomon super solium Dni in Regem, et „cunctis placuit, et paruit illi omnis Israel.“ Et videte, quod non dicit solum, quod sedebat super *solium*, sed super *solium meum;* solium enim Imperiale *solium meum* est, sicut magis declarabo satis citò infrà; ut dicam illud III. Reg. 1.: „Benedictus Dominus Deus Israel, „qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus „oculis meis.“ Sed additur in chomate: „et regnabit „*per me;*“ ut dicatur illud I. *Paralip*. 19. „Regnabit „Salomon filius ejus pro eo.“ Sed quare dicit: *per me?* nunquid dominicam sibi istam Kathedram, et istam sedem certe non intendo, sed *per me* regnabit, quando pro honore meo, et istius sedis regnabit, — quando *per me* regnabit, quando suum regimen ad honorem Dei, et istius sanctae sedis totaliter ordinabit, vel sicut alia littera habet: *post me*, ut illius prius et posterius dicatur, vel ordinem temporis, quia junior est me, et forte me subtracto de medio adhuc regnabit, vel quia posterius me ad solium suae dignitatis pervenit, vel *post*

ratione dignitatis, quia ſua meâ inferior, ſicut dicam ſtatim infrà, vel *poſt* ratione originis, quia ſua originatur â meâ, ſicut patebit ſtatim, et ſic poſterius tempore, poſterius naturâ et dignitate, et poſterius etiam origine. „Regni enim ſolio eum praecedam;“ Gen. 41. et ſic patet, quomodò ſtatus iſte, ad quem aſſumitur, eſt eminens, altus, et nobilis, quia aſſumitur ad faſtigium Regalis, et tandem Imperialis excellentiae et dominationis. —

Dico *tertio,* quod praeſcribitur *promoventis auctoritas et eminentia,* quia promovens eſt praecellens, excelſus, et ſublimis; quia illi ego *praecipiam,* ubi tangitur judicium ſpiritualis ſententiae et diffinitionis; illique *praecipiam.* Ad cujus evidentiam ſciendum eſt, quod ſpiritualis auctoritas in ordine ad excellentiam Imperialem habet tres actus praeceptivos:

habet enim	approbare, judicare, regulare,	unde poteſtas Imperialis habet	Petere decretum ſuae approbationis et confirmationis, Subire judicium ſuae examinationis vel diſtinctionis, Sequitur praeceptum ſuae moderationis vel confirmationis.

Dico *primò,* quod Papa habet actum primum praeceptivum, qui eſt: *approbare.* Habet enim electus, in Imperatorem promovendus petere decretum ſuae approbationis vel confirmationis. Vnde ex̃. de Elect. venerabilem dicit, quod legatus denuntiationis gerens officium perſonam Regis approbavit, et Ducis reprobavit. Ex̃. de jurejur. ī. Clem. c. Roman. pontifices, dicit Dnus Clemens: perſonâ ejus ydoneâ reputatâ, ipſum nomina-

vimus, denuntiavimus Regem Romanorum, ipſius approbantes perſonam, eumque ſufficientem et habilem declarantes ad ſuſcipiendum imperialis celſitudinis dignitatem; et iſtud videtur recte praeceſſiſſe in ſcriptura, quando Samuel Saul reprobavit, et David approbavit, ſicut apparet I. Reg. 15. et 16. et quaſi per totum, et etiam quando omnes filios Iſai reprobavit, et ſolum David, qui erat minimus, approbavit, I. Reg. 16. et ſemper Deus approbationem vel reprobationem Regum Iſraël fieri voluit per miniſterium Sacerdotum, et iſta eſt differentia inter dominium tyrannicum et uſurpatum, et dominium katholicum et approbatum, quia primum bene preceſſit in ſcriptura, et frequenter, et ſine miniſterio Sacerdotum, de quibus dicitur *Oſeae* 8. „Ipſi „regnaverunt, ſed non ex me.“ Sed nequaquam benè ſecundum fuit figuratum in Melchiſedech, qui fuit ſacerdos Dei altiſſimi. Gen. 14. Sed primum proceſſit in Cain, ſicut dicit Avgvstin. ſuper Spalm. xliiij. quod Reges ſoli *Iſraël* inungebantur, quod habebant immediate ordinem ad Xpum, â quo dependet omnis unctio. Merītò ergò, quia iſtud imperium katholicum eſt, et unctionem recipit, promovendus ad ipſum debet approbari per ſummum ſacerdotem. Vnde dicit Dnus Bonifacivs ad Archiepiſcopos Magunt. Colonien. et Treveren. de perſonâ Alberti in Regem Rom. electi pro tempore ejus, quod inunctio, conſecratio, coronatio, manûs impoſitio, nec non denuntiatio, ſeu repraeſentatio ydoneitatis perſonae vel formae, et nominatio Regia, ſeu ratione dignitatis, perſonae vel formae reprobatio pertinere noſcuntur.

Dico *ſecundò*, quod habet Papa *actum praeceptivum*, quia *judicare*. Imperator enim habet ſubire judicium ſuae examinationis vel diſcuſſionis. Vnde dicitur in illo c. venerabilem. Ius et auctoritas examinandi perſonam electam in Regem, et promovendam ad Imperium, ad nos ſpectat, quia eum inungimus, conſecramus, et coronamus; eſt enim regulariter ac gene-

raliter obſervatum, ut ad eum examinatio perſonae pertineat, ad quem impoſitio manûs ſpectat; et ideo Apoſtolus dicit I. ad Thimot. 5. „nemini citò manum im„poſueris.“ *Citò* autem *manum imponere*, eſt, ante tempus examinis honorem praebere dignitatis; ſicut et patet in gloſſâ ſuper iſto verbo. Et ideo dicitur I. ad Corinth. 2. quod aliqualis homo non praecipit ea, quae Spiritus Dei ſunt. Stultitia enim eſt illi, et non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur. Spiritualis homo omnia disjudicat, et ipſe â nemine judicatur. Super quo verbo dicit Avgvstin. et eſt in gloſſa, quod propter haec ſpiritualia praeponuntur vel corporalibus vel animalibus poteſtatibus, et examinentur et probentur, an ſpiritualia ament et diligant. Vnde ℓccccvj. di. c. duo ſunt. dicitur, quod Imperator pendet ex pp. judicio non cg. quod ſatis apparet, cum pluries excommunicaſſe, et depoſuiſſe Romani Pontifices Imperatores legantur, ſicut patet noviſſimè in dec: ad apoſtolicae: de Sent. et re jud. Li. 6. Ideo I. ad Corinth. 6. dicitur, Angelos judicabitis, quantò magis ſaecularia.

Dico *tertiò:* quod papa habet *actum praeceptivum*, quia *regulare.* Imperator enim habet ſeq' praeceptum ſuae moderationis vel ordinationis. Leges enim non dedignantur ſacros Canones imitari. Vnde Imperator habet ad eum tendere, ſicut ad exemplar. Vnde, quidquid agit et facit ſecundum regulam ſacrorum Canonum, bonum et juſtum eſt; ſiquid autem ageret eis contrarium, non eſſet ſequendum, ſed potius reprobandum. Propter haec dicit *Deut.* 17. quod, ſiquis ſuperbierit, non obediens Sacerdotis Imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino, et decreto judicis, homo ille moriatur, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbiâ. Mc. VIII. 18. „Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut „Ethnicus et publicanus.“ Vnde Saul, quamdiu obedivit Samueli, bonus fuit, et proſperatus eſt, ſed quam citò non obedivit, reprobatus eſt. Vnde I. Reg. XV. ſibi dicitur: „Scidit Dominus Regnum Iſraël, et dedit

„illud proximo tuo, et meliori te.“ Et fuerunt verba Salomonis; quia ergo iſtos tres pro actus praeceptivos habet, idcirco apparet ejus eminentia et auctoritas; quanto enim poteſtates ſunt inter ſe adinvicem ordinatae, major praecipit minori. Vnde Pharao praecipiebat Ioſeph, et Ioſeph praecepit diſpenſatori, ſicut apparet *Gen.* 44. Papa Vicarius eſt illius, de quo dicitur Pſal. 2.: „Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo, „ſuper Syon montem ſanctum ejus, praedicans „praeceptum ejus.“ Iſtud enim praeceptum, de quo dicitur *Eccli* 8.: „qui cuſtodit praeceptum, non „experietur quidquam mali.“ Et ratio ſatis eſt, quia, ſicut Apoſtolus dicebat I. ad Corinth. 7. „Praecipio non „ego, ſed Dominus.“ Praeceptum *Apoſtolicum,* praeceptum *Dei* eſt. Ideo dicebat Apoſtolus I. ad Thimoth. 5.: „praecipe, ut irreprehenſibiles ſint;“ ideo II. ad Theſalonic. 3. dicit: „Confidimus de vobis, quod „quaecunque vobis praecipimus, et facitis, et facietis; „Dominus autem dirigat corda veſtra in karitate Dei, „et patientia Xpi. Vnde Diſt. 10. c. certum eſt li. „regibus dicitur, quia Regibus noſtris eſt ſalutare et „voluntatem ſuam Xpi ſacerdotibus ſtudeat ſubdere, non „praeferre ſacroſancta per eorum praeſules; diſcere potius, quam docere, et eccleſiaſticam formam ſequi.“ Et videtur mihi, quod ex iſtis tribus patet, quod Eminentia papalis in ordine ad Excellentiam Imperialem quaſi triplex genus Caliſtatis, ſicut Deus habet in ordine ad creaturam:

Primò quidem, *originalem* et *effectivam,*
Secundò, exemplarem et *directivam,*
Tertio, finalem et *completivam.*

Poteſtas enim Imperialis catholica et approbata { â papa *originatur,* / â papa *exemplatur,* / ad papam *terminatur.* }

Et dimiſſo, quomodo â papâ *exemplatur,* quia ſatis ſtatim probatum eſt, primò declaro, quomodo â Papa

originatur; et iſtud ſuadeo dupliciter: *primò* quidem in genere, quia poteſtas temporalis eſt; *ſecundò*, in ſpecie, quia translata eſt.

Primum perſuadeo decem viis: *primò*, auctoritate HVGONIS, qui in libro ſuo de Sacramentis, parte ſecundâ, Li. II. c. 4. dicit: „Sicut duae ſunt poteſtates, Sae„cularis et Spiritualis, et in utrâque poteſtate diverſi „ſunt gradus et ordines poteſtatum, ſub uno tamen ca„pite diſtributi, et quaſi ab uno principio deducti, et „ad unum relati, terrena poteſtas caput habet Impera„torem vel Regem, ſpiritualis poteſtas caput ſummum „pontificem, et ad poteſtatem Regis pertinent, quae ter„rena ſunt, et ad terrenam vitam facta; ad poteſtatem „ſummi pontificis pertinent, quae ſpiritualia ſunt, et in „re ſpirituali attributa univerſa; quantum autem vita „ſpiritualis dignior eſt, quam terrena, et ſpiritus, quam „corpus: tantum ſpiritualis poteſtas terrenam, ſive ſae„cularem poteſtatem honore ac dignitate praecedit; „nam ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem et inſti„tuere habet, ut ſit, et judicare habet, ſi bona non „fuerit; ipſa verò à Deo primùm inſtituta eſt, et cum „veniat à ſolo Deo, judicare poteſt; ſicut ſcriptum eſt: „Spiritualis homo omnia disjudicat, et ipſe â nemine „judicatur. Quod autem ſpiritualis poteſtas, quantum „ad divinam inſtitutionem ſpectat, et prior ſit tempore, „et major dignitate, in illo antiquo veteris teſtamenti „populo manifeſte declaratur, ubi primum à Deo ſacer„dotium inſtitutum eſt, poſtea verò per ſacerdotium ju„bente Dn̄o regalis poteſtas ordinata. Vnde adhuc in „Eccleſia Dei ſacerdotalis dignitas regalem poteſtatem „ſacrat, ſanctificans per benedictionem, et formans per „inſtitutionem; ex quâ auctoritate patet, quod poteſtas „ſpiritualis temporalem inſtituit, ut ſit, et judicat, ſi „bona non fuerit, et conſecrat, ut bona ſit.“

Secundò, quia non cuicunque poteſtati, ſed ſoli ſpirituali et ſacerdotali dictum eſt *Ierem.* C. I.: „Ecce, „conſtitui te ſuper gentes et regna, ut evellas et de-

„ſtruas, et diſperdas et diſſipes, et aedifices et plantes.“ Illud enim verbum non eſt dictum Regi, nec Imperatori, ſed *Ieremiae*, qui fuit de Sacerdotibus de duno ſicut patet Ierem. I. 3. quod poteſtas Imperialis temporalis catholica et approbata originem habuit â poteſtate ſpirituali, ſatis patet I. Reg. 8. quia populus Israël petivit Regem, ſed non â quocumque, ſed à Samuele; unde dicitur ibi: „Conſtitue nobis Re„gem, qui judicet nos;“ et etiam ibidem dicitur: da nobis Regem. Vnde non ad *electionem* populi, ſed ad *petitionem* duntaxat, Samuel juxta conſilium Dei dedit eis Regem Saul; et idem etiam fuit de David, I. Reg. 16. et Iojadas Sacerdos Ioas conſtituit Regem, et collocavit in Solio Regali, ac *Athalia*, quae Regnum uſurpare voluerat, gladio interfecta, ſicut patet II. Paralip. 23. et patet de aliis Regibus.

Quartò videtur michi hoc figuratum fuiſſe rectè *Numerorum* ii. ubi Dnus ad petitionem Moiſi, quia gravabatur in multitudine regiminis, voluit, quod idem Moyſes lxx. viros eligeret, qui jurarent ad populi gubernationem; et dicit textus, quod iſtis dedit Deus non immediate Spiritum, ſed mediante Moyſe. Vnde dicitur in textu, quod tulit de Spiritu Moyſi, et dedit illis; ut rectè ſignificaret, eam poteſtatem temporalem à ſacerdotali derivatam; Moyſes enim et Aaron in ſacerdotibus ejus. ps. et licet iſt. Lxx. finiunt figâ Lxx. diſcipulorum; ſicut deducit Gregorius in praefat. tamen multo propiùs fuerunt figura, ymmo res geſta iſtius poteſtatis temporalis, derivatae à ſpirituali; iſti enim ſunt electi ad poteſtatem temporalem, non ſpiritualem, quia non omnes erant de tribu Levi, ſed de cuncto populo Iſraël, et de qualibet tribu erant aliqui; ſola autem tribus Levi poteſtatem illam ſpiritualem habebat. —

Quintò: ad haec videtur multum facere, quod â principio, ex quo fuit Rex Catholicus et approbatus, Sacerdotium et Regimen in unam convenêre perſonam. Vnde Melchiſedech, qui fuit Rex, et Salomon erat Sa-

cerdos Dei altiſſimi. Gen. 14. et iſte dicitur fuiſſe Sem filius Noe, et dicit p' et ponitur in gloſſa. Gen. 14. et ſcribitur de hebraicis quaeſtionibus, et refert Magiſter in hyſtoriis, quod omnes primogeniti ante diluvium usque ad Aaron fuerint pontifices, et aliorum regimen habebant; Moyſes autem et *Aaron* etiam de Sacerdotibus, et ut finis tum reſponderet principio ante adventum Xpi, ſ. tempore Machabeorum, idem fuerunt Sacerdotes et Duces, ut *Mathatias*, et filii ejus. Avgvstinvs etiam refert XVIII. de Civit. Dei, et XLV. et XXXVI. et poſt reductionem à captivitate babylonica, et reſtaurationem templi Reges, quos habuerunt, ſicut Ariſtobulus, et Allexander frater ejus, fuerunt etiam Pontifices et Sacerdotes.

Sextò: probatur hoc, quod ſcribitur II. Machab. 15. ubi dicitur, quod *Onias* ſummus ſacerdos, et *Ieremias* etiam ſacerdos apparuerunt Iudae, qui tunc regebat populum Iſraël; Ieremias autem extendit ſibi dexteram, et dedit ei gladium aureum, dicens: accipe ſanctum gladium, munus à Deo, in quo dejicies adverſarios populi mei Iſraël. Per *gladium* autem *terrena poteſtas* ſignificatur. Vnde ad Rom. XIII. non ſine cauſa gladium portat; judex enim eſt. Iſtam enim poteſtatem percipit per manum ſacerdotis.

Septimò: Hoc fuit bene etiam clarè demonſtratum *Lucae* 22. ubi Xpc. in collegio Apoſtolorum duos gladios eſſe voluit, ſed unum per eos exercendum, alium per Reges vel Imperatores, ſed ad nutum et imperium ſacerdotis, ſicut etiam deducit Bernard. iiij. de Conſiderat. ad *Eugenium*, c. 4. 7. dicit etiam ibidem: „quodſi „uterque gladius non pertineret ad Collegium Apoſto„licum, dicentibus Apoſtolis: ecce gladii duo hìc, non „reſpondiſſet his: *ſatis eſt*, ſed reſpondiſſet: *ni„mis eſt.*"

Octavò: quia *Deuter*. 17. dicitur: „quodſi diffi„cile et ambiguum apud te eſſe perſpexeris inter ſan„guinem et ſanguinem, cauſam et cauſam, lepram et

„lepram, ſurge, et aſcende ad locum, quem elegerit „Dominus Deus tuus. Veniensque ad ſacerdotes Levi- „tici generis, et ad judicem, qui fuerit illo tempore, et „quaeras ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, „faciesque, quodcunque dixerint tibi, ſequens ſenten- „tiam eorum, nec declinabis ad dexteram, nec ſini- „ſtram." Vbi apparet manifeſte, quod ſpirituale judicium pertinet ad ſacerdotes, maxime ad ſummum ſacerdotem, et quantum ad legalia et ſpiritualia inſtituta, et etiam peccata, quae ſignificantur per judicium inter ſanguinem et ſanguinem, lepram et lepram Sed etiam quoad *civilia* omnia, quae ſignificantur per judicium inter cauſam et cauſam; ſed etiam quantum ad *criminalia*, quae ſignificantur per judicium inter ſanguinem et ſanguinem; ſed quia Xpc legem tulit amoris, iſtud judicium criminaliter quantum ad mortem noluit per ſacerdotes novi teſtamenti exerceri, ymmo dixit Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. *Lucae* 22. Voluit tamen ad ejus nutum et imperium exerceri.

Nonò: quia in Xpo fuit utraque poteſtas, ſpiritualis et temporalis, et fuit verus Pontifex, et verus Rex, ſicut alias diffuſe deduxi; unde utramque poteſtatem dimiſit Petro, dicendo ſibi: quodcunque ligaveris etc. Mt. XVI. et ideo XXII. diſt. c. omnes. dicitur, quod Xpc beato Petro aeternae vitae Clavigero terreni et caeleſtis Imperii jura commiſit.

Decimò: quia hodie determinatum eſt in illa Decr. unam ſanctam. in fine, ubi dicitur, quod credere, *omnem humanam creaturam in ſpiritualibus et temporalibus ſubeſſe Romano Pontifici*, eſt *de neceſſitate ſalutis*, et ſic patet primum declaratum, S. quo ſubeſt, quia poteſtas *temporalis* eſt. Sed nunc ſecundò probo hoc in ſpecie, quia iſta poteſtas *imperialis* eſt; et hoc probo quinque perſuaſionibus:

Primò: quia, cum *Conſtantinus* dimiſiſſet totum Imperium occidentale beato *Silveſtro*, et ejus ſucceſſoribus, ſicut patet in illo c. 96. diſt. Conſtantinus. Papa

poſtea iſtud occidentale Imperium transtulit in Germanos, ſicut declaratum eſt ſuprà. Ergò à Papa eſt originatum.

Secundò, quia, quidquid eſt cauſa cauſae, et cauſa cauſati; ſed nulli dubium eſt, quod poteſtas eligendi Imperatorem eſt Principibus Electoribus ab apoſtolica Sede conceſſa, ſicut dicitur in Decr. Venerabilem. et patet in cronicis, quod *Gregorius* quintus, natione Alemannus, hanc poteſtatem eis conceſſit, et ita eam diſtribuit, ergò etc.

Tertiò, quia plus dat juris confirmans vel approbans, quam eligens vel eligentes electo. Vnde ex electione non videtur, niſi matrimonium nuntiatum; ſed per confirmationem matrimonium videtur eſſe ratum et ratificatum, et contractum; ſed Papa habet electum in Imperatorem approbare, ergò poteſtas ſua originatur à poteſtate papali.

Quarto: quia res faciliter redit ad naturam ſuam; unde ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, et iterum fluunt. *Eccli.* I. Idcircò vacante Imperio adminiſtratio Imperii ad Papam jure ſuo pertinet, ut ex͠. de re judic. c. paſtoralis. in cle. Patet ergò, quod dependet ab eâ, ſicut à cauſa effectiva et originali.

Quinto, hoc manifeſte apparet in illo exemplo *de Sole et Lunâ.* Luna enim nullum lumen habet â ſe, ſed totam illuminationem recipit à Sole. Cum ergò per *lunam* ſignificetur *poteſtas Imperialis,* — per *ſolem* poteſtas papalis, patet, quod poteſtas Imperialis dependet et originatur â papali. Vnde, quia *illuminare* eſt *actus Ierarchicus,* et Ierarchia non eſt niſi ſacer principatus, idcircò meritò Papa praecipit Imperatori; et ideo dixi in themate: illique praecipiam. I. *Paralip.* 19. „Praecepi ei dicens, age in timore Domini fideli„ter, et corde perfecto.“ Patet ergò, quod iſta poteſtas dependet â papali, ſicut ab *originali* et *effectivâ.* Quod autem dependeat ab eâ etiam ſicut à *finali* et *completiva,* poteſt ſic perſuaderi: Ierarchia terrena ex-

emplata eſt â coeleſti. *Apocal.* 21.: „Vidi Civitatem „Sanctam Ieruſalem deſcendentem de coelo etc.“ Sed in coeleſti Ierarchia eſt unus ſupremus Ierarcha, ergò et in terreſtri. Et hanc orationem proſequitur Bernard. III. d. Conſiderat. c. 9. dicens ſic: „Ego per ſimilitu„dinem dictum reor, quod, ſicut illic CL. Seraphin et „Cherubin, et caeteri quique usque ad angelos et „archangelos ordinantur ſub uno capite Deo, ita hic „quousque ſub uno ſummo pontifice.“ Et ſubdit: „nec „eſt parvi pendendum, quod Deum habet auctorem, et „de coelo duxit originem.“

Secundò ſic: poteſtas ſpiritualis et temporalis aut ſunt ordinatae adinvicem, aut inordinatae. Non inordinatae, quia â Deo ſunt; quae autem à Deo ſunt, ordinatae ſunt. Ad *Rom.* XIII. Si autem ordinatae, aut ergò ſpiritualis ordinatur ad temporalem, quod eſt *impoſſibile,* quia nobilius et dignius non ordinatur ad ignobilius, quia finis habet rationem non ſolum ultimi, ſed etiam optimi; aut temporalis ordinatur ad ſpiritualem, quod tenendum eſt.

Tertio, iſta videtur ratio Aristotelis XII. Metaphyſ. concludentis ſic: „Entia nolunt male diſponi. Plurali„tas autem principatuum non bonum. Vnus ergò prin„ceps, et ſecundum illam regulam, ubi unum propter „alterum, utrobique tantum unum.“ Cum ergo temporalis ſit propter ſpiritualem, idcircò poteſtas ſpiritualis fons eſt alterius; ſic, ſicut eſt in artibus, ita in pollicijs. Sed in artibus illa, ad quam aliae ordinantur, dicitur Architectonica, aliae autem ſubſervientes, ſicut patet de fraenifactiva et equeſtri in ordine ad militarem. Sic poteſtas ſpiritualis eſt Architectonica, poteſtas autem temporalis ſubſerviens et miniſtra. Vnde *Proverb.* 9. dicitur, quod „Sapientia aedificavit ſibi domum, miſit „ancillas ſuas, ut vocarent ad arcem.“

Quinto: beatus *Ambroſius* in paſtorali, in fin. conſiderans, quod, ſicut finis nobilior eſt his, quae ſunt ad finem, dicit, quod honor et ſublimitas pontificalis

nullis poteſt comparationibus adaequari; ſi enim regnum fulgori comparet, et principum diademata, minus eſt, quam ſi auri fulgorem ad plumbi metallum comparet, cum videamus Regum colla ſubmitti genibus ſacerdotum, et deoſculatâ eorum dexterâ, eorum ſe putant orationibus communiri.

Sextò: Notabilitas et eminentia iſtius papalis dignitatis ad Imperialem probatur directe, ſicut probabat Apoſtolus ad *Hebrae.* 7. *Melchiſedech* fuiſſe majorem ipſo *Abraham;* unde arguit ſic ſine ulla contradictione: quod minus eſt, â majoritate benedicitur; ſed Melchiſedech benedixit Abrahae, ergò Melchiſedech major et dignior. Ego autem accipiens eandem majorem, quam accepit Apoſtolus, accipio illam minorem, videlicet quod Papa habet benedicere, conſecrare, inungere, et coronare Imperatorem, ergò major eo.

Septimò, ſic: Exercens actus Ierarchicos circa alium, nobilior eſt illo. Sed Eccleſia habet ergà omnem poteſtatem ſaecularem exercere actus Ierarchicos, qui ſunt purgare, illuminare, et perficere, ergò multò nobilior.

Octavò: Dionyſius dicit, quod lex divinitatis eſt, infima ad ſuprema per media reducere. Cum ergò poteſtas ſpiritualis habeat poteſtatem temporalem ad Deum reducere, conſtat, quod major eſt eâ.

Nonò, poteſtas ſpiritualis vicaria eſt illius lapidis excifi ſine manibus de monte, quo percuſſit ſtatuam, et contrivit pariter ferrum, teſtam, et argentum, et aurum, et omnia redegit in favillam. Vnde eſt regnum Eccleſiae, quod in aeternum non diſſipabitur, quod comminuet et conſumet univerſa regna, et ipſum ſtabit in aeternum. *Daniel* II. *Decimò:* Papa vicarius ejus eſt, qui dominatur excluſus in regno hominum, et cuicunque voluerit, dabit illud, et humillimum hominem conſtituet ſuper eum. Ipſe enim hunc humiliat, et hunc exaltat. In Pſal. quia *Lucae,* 2. Depoſuit potentes de ſede, et exaltavit humiles; quia *Eccli.* 10. ſedes

ducum ſuperborum deſtruxit Deus, et ſedere fecit mites pro eis; unde Nabuchodonoſor ejectus eſt de regno, donec cognovit, quod Dominator excelſus in regno hominum, et, cuicunque voluerit, det illud. *Daniel.* 4. *Vndecimò:* XVI. diſt. c. ſi imperator. dicit, quod Imperatorem oportet ſubeſſe pontificibus, non praeeſſe. *Duodecimò:* quia *Gregorius Nazianzenus* ſcribens Imperatoribus Conſtantinopolitanis dicit ſic, et eſt in Decretis X. Diſti.: „Suſcipitisne libertatem verbi Dei libenter? Suſcipitis, „quia lex Xpi ſacerdotalis. Vos ſubjicit poteſtati, et „iſtis tribunalibus ſiſtit. Dedit enim et nobis poteſta„tem et principatum, ſed multò perfectiorem princi„patibus veſtris. Nunquidne vobis juſtum videtur, ſi „cedat ſpiritus carni, ſi à terrenis ſpiritualia ſuperen„tur? ſi divinis praeferantur humana? quod ymmò „valde injuſtum. etc.“ Vnde tangit tres rationes etc. habet g' in ratione finis, et iſta videtur mihi ratio, quare Papa et Pontifices etiam de temporalibus habeat judicare, quia, cujus eſt judicare de *fine,* ejus eſt judicare de his, quae *ordinantur* ad finem, quia ratio de his, quae ordinantur ad finem, ſumitur ex fine, ſeu, ut probatum eſt, temporalia ordinantur ad ſpiritualia, et poteſtas temporalis ad ſpiritualem, ergo poteſtas ſpiritualis poteſt etiam omnia temporalia judicare. Patet ergò iſta eminentia ex iſta triplici calitate, ut dicat papa, quod ſcribitur *Proverb.* 8. „Per me Reges re„gnant, et legum conditores juſta decernunt. Per me „principes imperant, et potentes decernunt juſtitiam.“ De hoc habemus pulcram figuram *Ezech.* I. ubi dicitur, quod, cum fieret vox ſuper firmamentum, quod erat ſuper caput quatuor animalium, quae ſignificabant quatuor Imperia, ſicut declaratum eſt ſuprà, ipſa animalia ſtabant, et ſubmittebant alas ſuas; firmamentum, quod eſt caput ipſorum Imperiorum, eſt Eccleſia, firmata ſupra firmam petram. Item *Numer.* 9. de nube, ad cujus motionem movebantur, et ad cujus ſtabilitatem ſtabant, et ſigebant tabernaculum filii Iſraël. etc. Et vi-

detur mihi, quod ex iſtis promovendus in Imperatorem *tres reſpectus* habet in ordine *ad papam.*

Primus eſt, quod ei praeſtet juramentum fidelitatis et obedientiae, ſicut dicitur 63. Diſt. tibi Domino. et hodie magis expreſſo in Cle. c. Romani pontificis. ex̃. de jurejurando.

Secundus eſt, quod ex hoc ei debet beneficium liberalitatis et munificentiae, ſicut illi, à quo magna ſuſcepit, ſicut patet in c. praealleg. Conſtantinus. et Dnus *Bonifacius* in approbatione Dni *Alberti* dicit: „inter „caetera grata et grandia ipſi Eccleſiae, pro gratis et „grandibus impenſis tibi muneribus recompenſes.“

Tertius reſpectus eſt, quod habet officium defenſionis, advocatiae, et aſſiſtentiae, ut ex̃. de Elect. Venerabilem. et 97. dicitur Eccleſiae meae; et hoc pulcrè fuit figuratum *Zachariae* 6. ubi dicitur, quod in capite Ieſu filii Ioſedech ſacerdotis magni corona poſita eſt, et dictum ſibi: „ecce vir oriens nomen ejus, et „ſubtus eum orietur, et aedificabit templum Domino, „et ipſe portabit gloriam, et ſedebit, et dominabitur ſu„per ſolio ſuo, et erit ſacerdos ſuper ſolio ſuo, et con„ſilium pacis erit inter illos duos.“ Et loquitur ad litteram de Zorobabel. Exponatur auctoritas. Patet ergò tertiò, ſcil. *ipſius promoventis auctoritas, et eminentia,* cum dicitur: illique praecipiam.

Dico *quartò, et ultimò:* quod tangatur in themate *finis, utilitas*, et *efficacia.* Eſt enim *expediens, bonus*, et *utilis;* unde ipſe ſublimabitur fructuoſe et utiliter, propter ſpem finalis et ſalutaris praeſidentiae et gubernationis, quia ſequitur in themate: ut ſit Dux ſuper Iſraël. Forte enim dicunt multi in cordibus eorum, et forte exteriùs in auribus multorum inculcat, quod, licet perſona habeat ydoneitatem et ſufficientiam, ſtatûs nobilitatem et excellentiam, promovens auctoritatem et eminentiam, tamen fructus nullus, ymmo videtur eſſe valde periculoſus, cum frequenter viſum ſit, quod multi, poſtquam promoti fuerint, contra Eccleſiam

ſe promoventem inſurrexerunt. Sed videtur mihi, quod, quandocunque unquam, tantum hodie et neceſſitas exigit, et utilitas expoſcit, ut talis promotio fiat, ut ſcilicet ſit Dux ſuper Iſraël. Iam vacavit Imperium XXXIII. annis, ex quo Heinricvs, avus iſtius, ultimus deceſſit. Licet enim dicatur, quod poſteâ duo fuerint electi in discordia, ſcil. Fredericvs Dux Auſtriae, qui deceſſit, et Lvdovicvs de Bavaria, tamen ipſe Lvdowicvs ſuis demeritis exigentibus fuit per Dnum Ioannem praedeceſſorem noſtrum omni jure, ſiquod ſibi competebat ex dictâ electione, privatus per ſententiam; et ecce, durante iſta vacatione non vidimus mala minui, ſed augeri; quare etc. Et ut breviter pertranseam, probo hoc unicâ ratione, quae talis eſt:

Officium Xpiani Imperatoris eſt:		
	fidem dilatare,	oppreſſos relevare,
	haereticos extirpare,	Tyrannos malleare,
	Eccleſiam defenſare,	bonos praemiare et honorare,
	rempublicam augmentare, et in pace gubernare.	malos exterminare, hoſtes ſcil. per victoriam, et cives per juſtitiam.

Et iſta propoſitio poſſet diffuſe declarari; ſed pertranseo, quia ſatis notum eſt. Sed tunc accipio minorem, quae patet ad ſenſum.

Scilicet hodie fideles coartantur, et ab infidelibus impugnantur, ſicut patebat de turchis etc.

Haeretici multiplicantur, et cum eis multi principes eccleſiaſtici et ſaeculares proh dolor! fornicantur, ſicut patet de Bavaro, et adhaerentibus.

Perſonae Eccleſiae praegravantur, et eorum libertates conquaſſantur, ſicut docet experientia.

Reſpublica laeditur, pax exulat, et bella ubique graſſantur.

Pupilli, orphani, viduae, et miſerabiles perſonae ſpoliantur, et praedantur, et ſubditi excoriantur.

Tyranni dominantur et principantur.
Boni inhonorantur.
Mala impunè perpetrantur. —

Ergo quantum nunquam, hodie neceſſitas exigit, et utilitas expoſcit, ut aliquis ad Imperatorem promoveatur, ut ſit Dux ſuper Iſraël; ad hos ſines, ſcilicet:

ad ſidei dilatationem,
ad haereticorum extirpationem,
ad Eccleſiae defenſionem,
ad reip. augmentationem et pacificam gubernationem,
ad oppreſſorum relevationem,
ad tyrannorum malleationem,
ad bonorum praemiationem et honorationem,
ad malefactorum punitionem.

I. *Petri* 2.: „Subditi eſtote Regi quaſi praecellenti, „ſive Ducibus, tanquam ab eo miſſis in vindictam male-„factorum, laudem verò bonorum.“ Conſido ergo in Domino, quod multiplicabitur ejus Imperium, et pacis non erit ſinis; *Iſaye* 9. et quod per ejus miniſterium omnis violenta praedatio cum tumultu, et veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtione, et cibus ignis; hodie enim natus eſt ille, cujus imperium ſuper humerum ejus. *Iſai.* 9. Ipſe enim judicabit in juſtitiâ pauperes, et arguet in aequitate pro manſuetis terrae. Iſay. 11. Ipſe maleſicos non patietur vivere. *Exod.* 22. Ipſe illum impium Antichriſtum Bavarum, hominem peccati, filium perditionis, qui adverſatur et extollitur, qui jam miniſterium operatur iniquitatis, cum ſuis ſequacibus deſtruet illuſtratione adventûs ſui. II. ad Theſſal. 2. et velut princeps catholicus in obedientia perſiſtet Eccleſiae, attendens, quod dicitur de Theodosio Imperatore, et recitat Avgvstin. V. de civit. Dei, c. penult. dicens ſic: „Inter haec omnia ex ipſo initio Imperii ſui „non quievit juſtiſſimis et miſericordiſſimis legibus ad-„verſus impios laboranti Eccleſiae ſubvenire, quanquam „valens haereticus, qui ad litteram ſe dicebat Impera-

„torem, favens Arrianis, vehementer afflixerat, cujus Ec-
„clesiae membrorum esse magis gaudebat, quam in terris
„regre." Et Ambrosius dicit in Epistola ad Valentinian. Imperat. quod nihil honorificentius Imperatori, quam quod *filius Ecclesiae* dicatur; et ponitur in illo c. Commemor. 23. 9. 8. Vnde bonus Imperator debet esse malleus haereticorum, infidelium, tyrannorum, et perversorum, et debet esse clypeus catholicorum, obedientium, oppressorum, et virorum ecclesiasticorum. ut ergà malos sit malleus conterens, ergà bonos clypeus defendens; et quando talis est Imperator, tunc potest verè dici felix, sicut deducit pulcrè Avgvstin. V. de Civit. Dei, c. 23. dicens sic: „Neque enim nos Christianos quosdam
„Imperatores ideo felices dicimus, quia diutius impera-
„bant, vel imperantes filios morte placita reliquerunt,
„vel hostes Reip. domuerunt, vel inimicos cives adver-
„sus se insurgentes et cavere et opprimere potuerunt;
„haec enim, et alia hujus vitae solatia quidam etiam
„cultores daemonum acceperunt, qui non pertinent ad
„regnum Dei; sed felices eos dicimus, si juste impe-
„rant, si inter linguas sublimiter honorantium, et obse-
„quia minus humiliter salutantium non extolluntur, sed
„se homines esse meminerint, si suam potestatem ad Dei
„cultum majorem dilatandum, Majestati ejus famulam
„faciunt, si Deum timent, diligunt, et colunt, si plus
„amant illud regnum, ubi non timent habere consor-
„tes, si tardius judicant, facilè ignoscunt, si tandem vin-
„dictam pro necessitate regendae, tuendaeque Reip. non
„pro saturandis inimicitiarum odiis exercent, si eandem
„veniam non ad impunitatem liq'tatis, sed ad spem cor-
„rectionis indulgent, siquid aspere coguntur plerumque
„decernere, nunc lenitate, nunc beneficiorum largitate
„compensant, si luxuria tanto in eis est castigatior, quanto
„posset esse liberior, si malum cupiditatibus pravis qui-
„buslibet getibus imperare, si haec omnia faciunt, non
„propter ardorem inanis gloriae, sed propter caritatem
„felicitatis aeternae, si pro suis peccatis, humilitatis, et

„miſerationis, et orationis ſacrificium Deo ſuo verò im-„molare non negligunt, tales Xpianos Imperatores dici-„mus eſſe felices, interim ſpe poſtea re ipſa futuros, „cum id, quod exſpectamus, advenerit.“ Et in penult. c. dicit Avgvstin. quod tales Imperatores magis orationibus, quam viribus pugnant, et vincunt, ſicut dat exemplum de Theodoſio, qui vicit Maximinum et Eugenium, qui in Imperatoris locum non juſte fuerat ſubrogatus; unde dicit, quod, cum tela per dictos adverſarios jacerentur, cautus ventus ſubito venit, ut adverſariorum tela in ipſorum corpora retorqueret. Vnde Avgvstinvs, quod quidam Poeta, Clavdianvs, licet â nomine Xpi alienus, verſus in ejus laudibus fecit, dicens: o nimium dilecte Dei, cui militat aether, et conjurati veniunt ad claſſica venti. Et haec etiam bene aſſeruit de Karolo Magno, ad cujus orationem ceciderunt muri cujusdam civitatis, quam diu obſeſſam tenuerat, in quâ habitabant Saraceni, ſicut patet etiam de *Machabaeis*, ſicut de *Ioſue*, et ubique in ſcriptura. Vnde *Sapient.* 5. dicitur, quod pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos. Iſte ergò eſt finis, quare iſtum eſſe volumus ducem ſuper Iſraël. Videns enim *Symon Iohannem* filium ſuum, quod vir proelii eſſet, poſuit eum Ducem virtutum univerſarum. I. Machab. 13. ut ipſe meritò dicat omni obloquenti, quod dicebat *David Michol* filiae *Saul*, ſibi improperanti, quod luderet ante archam Dni, II. Reg. 6. ubi dicitur ſic: „Elegit me potius, „quam patrem tuum, et omnem domum ejus, et prae-„cepit mihi, quod eſſem Dux ſuper populum Domini „Iſrael.“ Longo igitur tempore regnet ipſe ſuper Iſrael; *Deuter.* 17. ut ego dicam ſibi, quod ſcribitur I. *Paralip.* 22. „Ego ero ei in patrem, et ipſe erit mihi in filium, „firmaboque ſolium regni ejus ſupra Iſraël.“ —

Nunc ergò, fili mi! ſit Dominus tecum, et proſperare, et aedifica domum Domino Deo tuo, detque tibi Dominus prudentiam et ſenſum, ut regere poſſis Iſraël, et cuſtodire legem Dni Dei tui; tunc enim per-

ficere poteris mandata et judicia, quae praecepit Moyſi, ut doceret Iſräel. Confortare, et viriliter age, ne timeas, neque paveas, ſed ſurge, et fac, et erit Dominus tecum; et fuerunt verba ad litteram David, dicta Salomoni, et ſubditur in textu, quod praecepit David cunctis praeſentibus Iſraël, ut adjuvaret Salomonem filium ſuum; ut dicatur illud *Paralip.* ult. „Magnifica„vit Dnus Salomonem ſuper omnem Iſraël, et dedit illi „gloriam regni." Et utinam talem, qualem nullus ante eum habuit Rex Iſräel, ſicut dicitur ibidem in textu. Ego enim ad litteram hodie dabo Imperium Regi meo, et ſublimabo cornu Xpi mei. I. Reg. 2. Dicens ſibi, quod dicebat Gregorivs Phocae Imperatori, et eſt in Regiſtro Li. 13. Epiſt. 36. „Laetentur coeli, et exultet „terra, et de ejus benignis actibus univerſae Reip. pplo. „Nunc usque vehementer afflictus hylareſcat, compri„mantur jugo ejus dominationis ſuperbae mentes ho„ſtium, releventur tuâ miſericordia contriti ac depreſſi „animi ſubjectorum, virtus caeleſtis gratiae inimicis ter„ribilem te faciat, pietas ſubditis benignum oſtendat, „quieſcat feliciſſimis tuis temporibus univerſa Respublica, „in pulchritudine pacis redeat cunctis in rebus proſpe„ris ſecura poſſeſſio, reformetur jam ſingulis ſub jugo „tui Imperii libertas, omnipotens Deus in cuncta cogi„tatione et opere cor tuae pietatis, ſuae gratiae dex„terâ manuteneat, et quaecunque juſte ac clementer „agenda ſunt, inhabitator tui pectoris ſpiritus ſanctus „benignè disponat, et de temporali regno poſt multo„rum annorum curricula, tua clementia ad caeleſtia „regna pertingat." Et ibidem in Epiſt. ad Lemiciam Auguſtam loquens, ſibi pro ſe et viro ſuo dicit ſic: „faciat Vos Dnus in amore katholicae fidei defenſores, „quos fecit ex benigno opere Imperatores; infundat in „veſtris mentibus zelum ſimul et manſuetudinem, ut pio „ſemper favore valeatis, et quidquid in Deo exceditur, „non multum relinquere, et ſiquid in vobis delinquitur, „parcendo tollerare." Concedat vobis Dominus vivendi

ſpatia, ut, quo longius veſtra vita extenditur, ſubjectorum omnium conſolatio validiùs confirmetur, quantòque ampliùs Deum timetis conditorem omnium, tantò amplius Petro commiſſam Eccleſiam amare debetis, cui dictum eſt: tu es Petrus, et ſuper hanc petram etc. et cui dicitur: tibi dabo claves regni caelorum, et quodcunque ligaveris ſuper terram etc. et quodcunque ſolveris etc. Quanto ergò, et quam forti amore illi debetis eſſe aſtricti, per quem ab omnibus peccatorum nexibus deſideratis abſolvi. Ipſe igitur ſit veſtri cuſtos Imperii, ipſe ſit vobis protector in terrâ, ipſe ſit pro vobis interceſſor in coelo, ut per hoc relevatis duris ponderibus in veſtro Imperio ſubjectos gaudere faciatis, poſt multa annorum tempora in coeleſti regno gaudeatis, quod Vobis et ſibi concedat, qui eſt benedictus in ſaecula ſaeculorum, Amen. —

Factâ igitur brevi recitatione, tam de diutina Imperii vacatione, quia â tempore mortis Imperatoris Henrici, qui deceſſit anno M°. CCC°. XIII°. die XXIIII. Auguſti, quaſi electione diſcordi Frederici Auſtriae, et Lvdowici Bawariae olim Ducum, et de morte dicti Friderici, et de privatione factâ per Dnum Ioannem Praedeceſſorem noſtrum juſto judicio ſententialiter dicti Lvdowici ſuis demeritis exigentibus, et ab omni jure, ſiquod ſibi ex electione hujusmodi in Regno et Imperio competebat, nec non de requiſitione et monitione, de quâ electores monuimus, ut ad electionem procederent, alioquin oporteret nos de oportuno remedio providere, et etiam de electione dicti Karoli apud *Reens* juxta Confluentiam concorditer celebratâ per Electores, qui debuerunt et potuerunt et voluerunt electioni hmoi intereſſe, et de conſenſu per dictum Karolvm tunc Marchionem Mar̃. praeſtito, et de ſignificatione tam per eum, quam per Electores ſuper electione hujusmodi nobis factâ, nec non ſuper miſſione ad noſtram praeſentiam nuntiorum ſollempnium, et eorum propoſitione et inſtantia, ac humili et frequenti ſupplicatione, et

examinatione dictae electionis, commiſſione factâ ſex Cardinalibus tam ſuper formâ, quam ſuper perſonâ dicti electi, factaque nobis tandem in Conſiſtorio in praeſentia fratrum noſtrorum relatione fideli, concludimus in hunc modum:

Nos ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, patris, et filii, et ſpiritus ſancti, ac glorioſae, ſemperque Virginis Dei Genitricis Mariae, et beatorum Apoſtolorum Petri et Pauli, et exaltationem et honorem Eccleſiae, et bonum et promotionem Imperii, et proſperum ſtatum mundi, de fratrum noſtrorum conſilio, dictum KAROLVM in ſpecialem noſtrum et Eccleſiae filium ſuſcipimus, ei noſtros favorem et gratiam concedentes, ipſiusque perſonâ ydoneâ reputatâ, eundem nominamus, denuntiamus, aſſumimus, et declaramus Regem Romanorum, ipſius approbantes perſonam, eumque ſufficientem et habilem declaramus ad ſuſcipiendam Imperialis Celſitudinis dignitatem, ac decernentes unctionem, conſecrationem, et coronationem Imperialem per manus noſtras ſibi oportunis loco et tempore impendendas; ſupplentes nihilominus omnem defectum, ſiquis aut ratione formae, perſonae ſuae, aut ratione perſonarum Electorum ſuorum, ſeu ex quavis alia ratione ſive cauſâ, in electione hmoi intervenerit, quovis modo, ex certâ ſcientiâ, et apoſtolicae plenitudine poteſtatis; praecipientes etiam omnibus fidelibus et Vaſallis Imperii, ut ſibi ſicut Regi Romanorum, in Imperatorem promovendo pareant efficaciter, et intendant.

XXV.

Gerlacus AEp. Mog. praefigit terminum electionis novi Rom. Regis, — Ludovico de Bavariâ defuncto.

Reverendo in Xpo patri, Dno Walramo, Colonień. Ecclefiae Archiepifcopo, facri Imperii per Italiam Archicancellario, Gerlacvs dei gra fanctae Maguntin. Sedis Archiepifcopus, ejusdem facri Imperii per Germaniam Archicancellarius, complacendi affectum in omnibus, cum falute. Cum diutina facri Rom. Imperii vacatio varia incommoda, et periculofa ac multiplicia dispendia ipfi Imperio, fidei quoque Catholicae, et Reip. nec non Principibus Electoribus, et aliis fubjectis eisdem periculofe ingeffiffe nofcatur, et periculofiora ingerere cottidie, verifimiliter conjecturando et praefumendo ex praedictis, formidetur, ipfumque facrum Imperium jam per longa tempora vacaviffe, et adhuc in praefentiarum vacare dubium non exiftit, fintque per Dominum noftrum Summum Pontificem omnes et finguli Principes, tam Ecclefiaftici, quam faeculares, ad quos Regem Romanorum in Imperatorem poftmodum promovendum jus pertinet eligendi, de quorum numero effe dinofcimur, auctoritate apoftolicâ moniti feriofâ inftantiâ, et hortati, ut fine morae difpendio pro electione Romanorum Regis hujusmodi, de perfona ydonea facienda convenire, et ad electionem ipfam realiter procedere non poftponant: ne fuper hoc fedes apoftolica, quae fuo advocato et defenfore praecipuo, videlicet Imperatore Catholico non intendit amplius in Domino carere, de alio oportuno remedio providere cogatur, cupientes quoque praetactis obfiftere periculis, et falubriter, in quantum divinâ fuffulti gratiâ poterimus, providere, et confiderantes, convocationem Principum Cöelectorum noftrorum ad nos pertinere, Vobis, in quantum veftra interfuerit, et caeteris Principibus noftris Cöelectoribus fupra-

dictis, deliberatione praehabita provida et matura, ad tractandum de electione hujusmodi, et ſingulis ejus circumſtantiis, et etiam, ſi divina clementia annuerit, ad eligendum aliquem virum ſtrenuum et Catholicum in Regem Romanorum, in Imperatorem poſtmodùm promovendum, feriam etiam proximam poſt feſtum beati Kiliani martyris, quae eſt dies XI. menſis Julij anni praeſentis, in pomoeriis ſeu ortis ſubtus villam *Renſe* ſuper litus Reni ſitam, Trevereñ. Dioc. ubi aliàs, et ab antiquo principes Electores convenire conſueverunt, pro finali termino ex cauſis praetactis, et aliis rationabilibus duximus praefigendum, et praefigimus in hijs ſcriptis, quos diem et locum Vobis tenore praeſentium intimamus; in quibus etiam loco et termino ob praemiſſa proponimus, et dante Domino volumus perſonaliter comparere. In cujus rei evidentiam et certitudinem ampliorem praeſentes conſcribi litteras, ipſasque noſtri appenſione ſigilli fecimus communiri. Datum *Metis*, Sabbato proximo ante feſtum Aſcenſionis Domini, quod Sabbatum fuit dies XX. menſis Maij, anno Dn̄i Milleſimo, Trecenteſimo, quadrageſimo ſexto.

(Adp. ſigillum grande Gerlaci illaeſum.)

XXVI.

Joannis Boëmiae Regis pactum ulterius, de eligendo filio ſuo Carolo in Rom. Regem, cum AEp̄o et Eccleſia Colonieñ.

Wir Johan von Cotz gnaden Kunig zu Böheim vnd Greue zu Lutzelenburg tun kunt allen Luden. Want wir Reynart von Schoeawe vnſerme getruwen vnd Manne gelobt han ouermitz vnſer Brieue, die wir yme daruff gegeben han, zu beczalen zwentzig tuſend Riale vff den Dinſtag nach ſente Kilianstage neſtkomende, vnd andere zwentzig tuſend Riolen vff den Mandag vor ſente Laurentiusdage darna volgende, . . . is

dat vnſer wille, vnd wir erkieſen als eu wider vns zu eynre Jenen, wer daz ſache, daz wir die erſte zwentzig tuſend Riale nit enbezalten vff den vorgen. Dinſtage na ſente Kiliansdage, vnd auch ob wir nit genug endeden von dem Huſe zu Dvrbey nach den Brieuen, die wir daroff gegeben hant, daz dan der erſam Vater, Her Walraue Ertzbiſchoff von Colne nit komen enſal, noch hie enſal ouch mit ſinen Mogen ſenden vff die Kure, die wir hoffen daz geſcheen ſulle von vnſerme Sune dem Marggreuen von Merhen zu dem Romſchen Riche. Wer ouch ſache, ob wir das erſte Gelt wole beczalten, vnd auch von Durbey volldeden, vnd die Kure von vnſerme Sune volgienge, als wir vorhaben, vnd daz wir die ander zwentzig tuſend Riolen nit enbeczalten vff dem vorgen. Mandage, ſo einſt der Ertzbiſchoff von Colne nit ſchuldich ze komen, noch ſine Macht zu ſenden vff die Cronunghe des vorgeſchrieben vnſers Sunes; vnd wir enſulden nit geſtaden, daz er gewyhet werde, als lange, bis die vurgeſchrieben leſte zwentzig tuſend Riolen beczalt werdent nach formen der Brieue, die itzunt daruff gegeben han. Vnd wir han geſichert in truwen, vnd zu den heiligen geſworn, geuiel daz alſo, daz wir an eyncher der vurgen. Beczalungen, ader Globden der andern Brieuen, die wir daroff gegeben han, bruchig oder verſumlich blieben, vnd das der Ertzbiſchoff von Coln herumb nit enqweme, ader ſende vff die Kure, ader vff die Cronunge unſers Suns, als vorgeſchrieben iſt, daz wir ym, ader ſyme Geſtichte, ader yman von ſinen wegen nummerme darumb occaſituen noch anſprechen ſullen, noch vns von eme beclagen ſullen, vff keynre ſtat, noch in dheyne wyſe, ſunder alle argeliſt. Des zu Vrkund han wir vnſer Ingeſigel an dieſen Brieff gehangen, der geben wart zu Colne in dem Jare vnſers Herren, do man ſchreib duſent, druhundert, ſeſſ vnd viertzig, off den Andach des heil. Sacramentsdag.

XXVII.

Fragmentum chartae, quâ Rupertus Com. Pal. Rheni, Electionem Güntheri R. R. Civitati Wormatienſi notificat. 1349. (ex authentico.)

Rupertus dei gr͠a Comes Palatin. Reni, Dux Bavariae, prudentibus ac discretis Conſulibus, Scabinis, ac Vniverſitati Civium in Wormeſſe, ſibi dilectis ſalutem cum plenitudine omnis boni. Vacantibus pridem ſacris Regno et Imperio Romanorum, ex obitu inclitae memoriae quondam Sereniſſimi Principis, Domini Ludewici...... as patrui noſtri, dies certa praeciſe et peremptorie in feriam ſextam ante diem b^ti Anthonii, quae erat ſexta decima dies...... arij ſub Anno Dn̄i M^mo. ccc^mo Xl^mo. Nono, per reverendum in Xp̄o patrem Dominum Henricum Archiepiſcopum Moguntin. apud...... in loco ſolito et conſueto ad eligendum Romanorum regem fuiſſet ſtatuta et aſſignata, et dicta feria ex...... et rationabilibus cauſis eundem Dn̄um Henricum Archiep̄um Moguntin. et nos ad hoc moventibus usque ad feriam ſextam..... ante diem purificationis beatae Mariae Virginis, quae erat tredecima dies menſis praedicti, fuerit continuando dictum terminum..... Convenientibus nobiscum, et comparentibus, ac ob hoc ſpecialiter congregatis praedicto Domino Henrico Archiepiſcopo Moguntin. Rudolfo Comite Palantin. Reni, Duce Bavariae, fratre noſt̄ro, nec non Domino Ludewico Marchione Brandenburgen. pro ſe ipſo, et nomine Dn̄orum..... oris et Erici junioris Ducum Saxoniae, habenti plenum et ſufficiens mandatum ab eisdem, ſigillis eorum ſigillatum et eligendum Romanorum regem, aliis principibus non comparentibus, nec pro ſe mittentibus, vocatis tamen interim, et ac ideo plenaria poteſtas nominandi et eligendi perſonam ydoneam in regem Romanorum penes nos et noſtros circa ſupraſcripta pro iſta vice reſidebat, vocibus abſentium, vocatorum tamen ut praeſcribitur, extinctis quoad eandem nominationem, et

penitus annullatis. Invocatâ igitur Spiritus ſancti gratia in ſpectabilem virum, Dnum GUENTHERUM Comitem de Swarczburch, virum utique katholicum, nobilem, potentem, ſtrenuum, et in omni virtuoſitate morum, et converſatione multi mendatum, valentem jura Imperii et defenſare, et in melius reformare, ac in ſtatu tranquillo et pacifico conſervare, tanquam magis utilem et ydoneum tanto regimini gubernando, habito ad reipublicae utilitatem et profectum reſpectu, p. communi conſenſu principum praedictorum tunc praeſentium oculos noſtros injecimus, ipſum in Regem Romanorum, in Imperatorem promovendum una cum principibus antedictis, voce unanimi rite et concorditer ſic electo ſimpliciter et purè propter Deum eligentes. Quocirca dilectionem veſtram requirimus, hortamur, et diligentiâ quâ poſſumus, et quantum in nobis eſt, conſulendo mandamus, quatenus eidem Domino in Romanorum Regem rite et concorditer ſic electo obediatis, et fideliter tanquam Romanorum Regi intendatis, ſibique vos pronos ad beneplacita quaevis tanquam veſtro vero Domino exhibeatis et paratos, ſic noſtris monitis et hortationibus benivole annuentes, ut Rex, et nos principes veſtris honoribus, commodis, et libertatibus intendere merito delectemur. Datum in die Purificationis beatae Mariae Virginis, anno quo ſuprà.

(Adp. fragm. ſigilli.)

XXVIII.

Caroli IV. R. Imp. et Boh. R. pacta cum Friderico AEp. et Ecclesia Colon. de eligendo filio suo Wenceslao in Rom. Regem, eoque nomine solvendâ pecuniae summâ.

Wir Karl von gots gnaden Romischer Keyser, zu allen Zeiten Merer des Richs, vnd Kunig zu Behem, bekennen vnd tun kunt offenlich mit diesem Brieue allen den, die yn sehen, odir horent lesen. Wanne wir mit dem Erwirdigen Frideriche Ertzbischoffe zu Colne, des heyligen Richs in Italien ErtzCantzlere, vnserm lieben Neuen vnd Fursten geteydinget haben, vnd vberkomen sin, daz er den Irluchten Wentzlauen Kunig zu Beheim, Margrauen zu Brandenburg, vnd Hertzogen zu Slezien, vnsern lieben Sone zu eynen Romschen Kunge welen, kyezen, vnd ouch kronen sulle, als das in andern synen Brieuen, die er vns dorubir gebin hait, volkomlich begriffen ist; dorumb so haben wir demselben Ertzbischoffe Frideriche von Colne vnserm Neuen und Fursten globt und vorheizzen, globen vnd vorheizzen ym mit crafft diss Briffs in guten truwen an alles geuerde vnd argelist, zu dem ersten, daz wir dorzu arbeiten, werben, vnd vnser Mogen tun, vnd schaffen sullen vnd wullen, mit allem vnserm Fleizze an alles Geuerde, wie daz wir den egenanten vnsern Neuen vnd Fursten der schulde, die er vnserm heiligen Vader dem Pabste, vnd Stule von Rome schuldig is, ledich und loz gemachen mogen; Were aber, daz wir des nit getun mochten, so soll vnd mag derselbe vnser Neue selber, oder mit siner Bottschafft mit dem egent. Vnserm heiligen Vader teydingen vnd vberkomen vmb die egent. schuld, so er beste vnd allerneste mogen wirdet; vnd wilcher Summen geldes danne der egent. vnser Neue und Furste mit dem Pabste vnd Stul von Rome vberkomet, derselben globen vnd wellen wir dem egent. Vnserm Vater dem Pabst vnd Stule von Rome fur vnsern egent.

Neuen, Ertzbiſchoffe FRIDERICH zu Colne gelden vnd bezalen dreyzig tuſent geder cleyner gulden florentzer gewichtes. Wer aber ſache, daz vnſer heiliger Vader der Pabſt deſſelben geldes von Vnſs leicht nit entphahen noch uffnemen wolde, oder ob der eḡent. vnſer Neue mit dem Pabſte vmb ſulche Schulde nit geteydigen vnd vberkomen enmochte, von wilcherley ſachen das queme, ſo ſullen, globen, vnd wellen dennoch wir, oder vnſer Son Kunig WENTZLAW, dem eḡent. Neuen Ertzbiſchoffe FRIDERICHE die vorgen̄. drizzig tauſend gulden gentzlichen geben, vsrichten, vnd beczalen. Ouch globen vnd vorheizzen wir dem eḡent. vnſerm Neuen und Furſten in guden truwen, als vorgeſchrieben ſtet, daz wir, oder derſelbe vnſer Sone Kunig WENTZLAW, demſelben vnſerm Neuen vnd Furſten, Ertzbiſchoffe FRIDERICHE ſechstauſend Schock grozzer Pfenninge Prager Müntze geben vnd beczalen ſullen, vnd im beyde, dieſelbe drizzig tauſent gulden, vnd ouch die ſechstauſent Schock grozzer alſo gewiſſe vnd ſicher machen, daz Im doran wole genuget; vnd als ſchir wir daz getan han, ſo ſal derſelb vnſer Neue ze hant, wan er dez von Vnſs oder vnſerm eḡent. Sone ermanet wirdet, denſelben vnſern Son zu Romſchen Kunige kiezen, welen, vnd kronen, ane alles vorziehen vnd widerrede. Sunderlichen ſo globin wir dem egenanten vnſern Neuen vnd Furſten in guten truwen, als vorbegriffen iſt, werez, daz in kunfftigen Zyden dehein Biſhtum oder Kirche ledig wurde, in wilchen Wirden ader Eren die were, do derſelb vnſer Neue nachſehen wolde, daz wir im dorzu beholffen ſin ſullen vnd wellen nach alme vnſerm Vermogen, ane alles geuerde. Gyengen aber wir abe von todeswegen, do Got fur ſy, wanne der eḡent. vnſer Son alſo zu Romiſchen Kunig gekorn vnd gekronet wurde, ſo ſullen derſelb vnſer Son Kunig WENTZL dem eḡent. vnſerm Neuen Ertzbiſchoffe FRIDERICH vmb die obgen̄. Summe geldes drizzig tauſent gulden, vnd ſechstauſent Schock grozzer, vnd der Ertz-

biſchoff vnſerm Sun Kunige Wentzl hinwieder vmb die Kure vnd Kronunge zu eynem Romiſchen Kunig, als vorgeſchrieben ſtet, vnd nach Lude ditz Brieues verbunden ſin. Weres auch, daz der offtgenante vnſer Son zu Romſchen Kunig, als vorgeſchr. ſtet, nit gekorn vnd gekronet wurde, ſo ſullen alle die vorgeſchr. Teydinge, Glubde, Artickeln, vnd Stucke aller Sache tode vnd abe ſin, vnd dieſer Brieff ſal kein Crafft ewiglich haben, noch gewinnen. Mit Vrkunt diz Brieffs verſigelt mit vnſerr Keyſerl. Maieſtat Ingeſiegel. Geben zu Mentze nach Chriſts geburte dryzehenhundirt Jahr, dornach in dem vier vnd ſybentzigiſten Jare, an ſand Martinstage, des heyligen Biſchoffs, vnſerr Reiche in dem Newe vnd zwentzigſten, vnd des Keyſerthumbs in dem czwentzigſten Jaren.

per Caeſarem.

(Adp. ſigill. cum contraſigillo.)

P. Jaureñ.

AD LECTOREM.

Adbreviationum plures, quod medii aevi MStis ſolemne eſt, certo per omnia judicio determinari cum haud potuiſſent, ne prorſus ex arbitrio agere videremur, earum ſigna reddidimus exacte ad MSti normam. Haec verò typis adſequi, res praeciſè impoſſibilis. Adſecutus interim ſummâ, qua ſolet, adcuratione et diligentia rem eſt genius ill. Typographi, ſigna ſubſtituendo, arti impreſſoriae familiaria, queis lector admoneatur, divinandum ibi eſſe potius, quam legendum. Religioni quippe duximus, ex proprio ingenio interpretari, et decidere, quae dubia videbantur. — Ea, quae dixi, ad fragmenta rer. Bohem. plerumque ſpectant, quae Tabulas ex Naufragio recte dixeris, in quibus perpolita omnia, et genuino ſenſui ſuo reſtituta vix quispiam jure deſideraverit.

Libri ſequentes impreſſi ſunt ſumtibus librariae WEIDMANNIAE Lipſiae.

Arndts, G. A., Archiv der Sächſiſchen Geſchichte. 1r bis 3r Bd. gr. 8. 1784. 85. 86. 3 thlr. 18 gr.

Codex Theodoſianus cum perpetuis commentariis Iacobi Gothofredi; praemittuntur Chronologia accuratior, Chronicon hiſtoricum et Prolegomena. Subjiciuntur notitia dignitatum, Proſopographia, Topographia, Index rerum et Gloſſarium nominum. Opus poſthumum diu in foro et ſchola deſideratum, recognitum et ordinatum ad uſum Codicis Iuſtinianei, opera et ſtudio Ant. Marvillii. Editio nova in VI tomos digeſta, collata cum Codd. MSS. antiquiſſimo Wirceburgenſi, Gothano et libris editis, iterum recognita, emendata, variorumque obſervationibus aucta, quibus adjecit ſuas Ioann. Dan. Ritter. fol. 1736. 21 thlr. 16 gr.

Davilas, H. C., Geſchichte der bürgerl. Kriege von Frankreich. Aus dem Ital. überſetzt und mit einer Geſchichte der königl. Macht und der Staatsveränd. in Frankreich bis zur Ligue etc. 5 Bände. gr. 8. 1792—95. 7 thlr. 22 gr.

Dlugoſſi, ſeu Longini, Canonici quondam Cracovienſis, Hiſtoriae Polonicae libri XII. quorum ſex poſteriores nondum editi, nunc ſimul cum prioribus ex MSto rariſſimo in lucem prodeunt ex Bibliotheca et cum praefatione Henrici L. B. ab Huyſſen, Ruſſorum Caeſaris a Conſiliis int. etc. acced. Sam. Hoppii Schediasma de ſcriptoribus hiſtoriae Polonicae, plurimis annotationibus auctum Gabr. Groddeckii. 2 Vol. fol. 1712. 10 thlr.

Fabricii, M. I. A., allgemeine Hiſtorie der Gelehrſamkeit. 3 Theile. 8. 1751. 5 thlr.

Fabritius, K. M., Geſchichte des Hochſtifts Lüttich. gr. 8. 1792. 20 gr.

Gebhardi, L. A., Geſchichte des Reichs Ungarn und der damit verbundenen Staaten. 4 Bde. mit Regiſter. 1778—82. gr. 8. 6 thlr. 12 gr.

Geſchichte, allgemeine, der vereinigten Niederlande, von den älteſten bis auf gegenwärtige Zeiten, aus dem Holländ. überſetzt. 8 Thle. gr. 4. 1766. 16 thlr. 8 gr.

Geſchichte der Deutſchen von Herrn Guthrie und Gray; aus dem Engliſchen überſetzt mit Anmerkungen, Zuſätzen und Verbeſſerungen von C. R. Hauſen. gr. 8. 1767. 1 thlr. 20 gr.

Geſchichte der Kreuzzüge, oder Staats- und Kriegsbegebenheiten der Unternehmungen der Chriſten wider die Mahomedaner im 11. 12. und 13n Iahrhundert, zur Wiedererroberung des heiligen Landes; aus dem Franzöſ. überſ. 2 Bände. gr. 8. 1782. 3 thlr. 4 gr.

Geſtel, Corn. van, Hiſtoria ſacra et profana Archi-Epiſcopatus Mechlinenſis. 2 tomi. fol. Hagae Comitum. 1725. 6 thlr.

Groppii, P. Ign., Aetas mille annorum antiquiſſimi et regalis monaſterii B. M. V. in Amorbach Ord. S. Bened. in Archidioeceſi Mogunt. gloria et honore coronata, atque hiſtorica methodo adumbrata. fol. 1736. 2 thlr. 16 gr.

Heinrichs, C. G., teutſche Reichsgeſchichte. 1—9r Bd. gr. 8. 1787—1805. 17 thlr.

Deſſen Handbuch der teutſchen Reichsgeſchichte. gr. 8. 1800. 2 thlr. 16 gr.

Heinzens, D. Val. Aug., diplomatiſche Geſchichte des Däniſchen Königs Waldemar III., Chriſtophs II. Sohnes. gr. 8. 1781. 14 gr.

Khevenhüllers, Franz Chrißoph, Annales Ferdinandei, in XII. Theilen mit mehr denn 300 Portraiten und 50 großen hiſtoriſchen Kpf. Fol. 1721—26. 48 thlr.

Meuſelii, I. G., Bibliotheca hiſtorica. Inſtructa a b. Burc. Gotth. Struvio, aucta a b. C. G. Budero. Vol. I—XI. in 21 part. 8 maj. 1782—1803. 21 thlr. 8 gr.

Ejusdem Vol. XI. p. 2da, Indicem auctorum et rerum comprehendens. 8 maj. 1804. 2 thlr. 8 gr.

Müllers, Iohann von, der Geſchichten Schweizeriſcher Eidgenoſſenſchaft 1r, 2r, 3r Band. Neue umgearbeitete Auflage. gr. 8. 1806.

— — derſelben 4r Band. gr. 8. 1805. 2 thlr. 8 gr.

Muſeum für die Sächſiſche Geſchichte, Litteratur und Staatskunde. Herausgegeben von D. C. E. Weiſse. 1r bis 3r Bd. gr. 8. 1794—96. 4 thlr. 12 gr.

Puffendorf, Samuel, de rebus et geſtis Friderici Wilhelmi, Electoris Brandenburgici, 2 Volumina. fol. Berolini 1733. 8 thlr.

Reiths, B., Geſchichte der königl. Macht und der Staatsveränderungen in Frankreich, von dem Untergange der Ligue bis zur Errichtung der Republik. 1r und 2r Bd. gr. 8. 1796. 97. 2 thlr. 12 gr.

Ritters, D. I. D., älteſte Meißniſche Geſchichte bis auf Heinrich den Erlauchten; aus der Handſchrift des Verfaſſers herausgegeben von I. M. Schröckh. gr. 8. 1780. 1 thlr.

Schannati, Ioh. Frid., Corpus Traditionum Fuldenſium, ordine chronologico digeſtum, complectens omnes et ſingulas Imperatorum, Regum, Principum, Comitum, aliorumque fidelium pias donationes in eccleſiam Fuldenſem collatas, ab anno fundat. ſuae DCCXLIV. ad finem usque ſeculi XIII. c. fig. aeneis. fol. 1724. 3 thlr. 8 gr.

Ejusdem Vindemiae litterariae, h. e. veterum monumentorum ad Germaniam ſacram praecipue ſpectantium Collectio 1 et 2. Accedit conſpectus trium vetuſtiſſimorum Codicum, ex illis, quos in ipſo Martyrii campo, vbi S. Bonifacius Archiepiscopus cum ſociis141 glorioſe occubuit, manus fidelium recollegerunt, ac in ſacrarium Fuldenſe deportarunt. c. fig. aeneis. fol. 1723. 24. 2 thlr. 16 gr.

Schröckh, I. M. Acta ſacrorum ſecularium Academiae Vitebergenſis, Anno 1802. 4 maj. 1803. 1 thlr. 12 gr.

Thuringia ſacra, ſive Hiſtoria Monaſteriorum praecipuorum ac maxime illuſtrium Thuringiae ex codd. MSS. edita et multis diplomatibus illuſtrata, Ant. Frid. Henr. Ottio. fol. 1735. 6 thlr.

Wagners, D. E., Geſchichte von Pohlen. 3 Bde. gr. 8. 1795—97. 5 thlr. 8 gr.

Deſſen Geſchichte des europäiſchen Nordens. 9 Theile. Mit einem Hauptregiſter über alle 9 Thle. gr. 8. 1778 — 89. 18 thlr. 12 gr.

Walchs, Chr. Wilh. Franz, Entwurf einer vollſtändigen Hiſtorie der römiſchen Päbſte. gr. 8. 1758. 16 gr.

Deſſen Entwurf einer vollſtändigen Hiſtorie der Ketzereyen, Spaltungen und Religionsſtreitigkeiten, bis auf die Zeiten der Reformation. 1r bis 11r Theil. gr. 8. 1762—85. 16 thlr. 8 gr.

Deſſen Entwurf einer vollſtändigen Hiſtorie der Kirchenverſammlungen. gr. 8. 1759. 1 thlr. 8 gr.

Weddigens, M. P. F., hiſtoriſch-geographiſch-ſtatiſtiſche Beſchreibung der Grafſchaft Ravensberg in Weſtphalen. 2 Bände. mit Kupfern und 1 Karte. gr. 8. 1790. 1 thlr. 18 gr.



4



8



F. B. del: Mog. 1803.

X XII.86

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Bodmann, Franz Joseph,

Codex epistolaris Rudolfi I. Rom. reg epistolas CCXXX anecdotas necrotas continens

Lipsiae 1806

J.publ.g. 100
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10558660-0